DISPVTATIONVM DE CONTRO-VERSIIS

CHRISTIANAE FIDEI ADVERSVS HVIVS TEMPORIS HAERETICOS, ex ſacris præſertim literis;

EPITOMES TOMVS III.

Auctore

R. P. IACOBO GORDONO HVNTLAEO SCOTO, Societatis IESV Doctore Theologo:

AD S. D. N. PAVLVM V. PONT. MAX.



COLONIAE AGRIPPINENSIVM,
Apud IOANNEM KINCHIVM ad interſigne
Monocerotis,
ANNO M. DC.XX.

Permiſſu Superiorum & Priuilegio.

Digitized by Google

APPROBATIO.

EGo Stephanus Charlettus Prouincialis Societatis IESV in Francia, poteſtate ad hoc mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Mutio Vitelleſco Generali Præpoſito eiuſdem Societatis facultatem concedo, vt Tomus tertius Epitomes Controuerſiarum à Patre Iacobo Gordono Huntlæo, Societatis noſtræ Doctore Theologo compoſitus, ac grauium virorum, doctorumque hominum eiuſdem Societatis iudicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus, Pariſiis 17. Nouemb. 1618.

STEPHANVS CHARLETTVS.

Locus Sigilli.

QVARTAE

Digitized by Google

QVARTAE

CONTROVERSIÆ DE TRANSSVBSTANTIATIONE panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti Capita.

I. Panem tranſubſtantiari in Corpus Chriſti, & vinum in eius Sanguinem, probatur ex ipſa ſacra Scriptura. pagina 2.

II. Tranſubſtantiatio probatur teſtimonijs Patrum antiquorum. p. 12.

III. Diſſoluuntur argumenta, quæ contra Tranſubſtantiationem deſumunt aduerſarij ex ipſa ſacra Scriptura. pagina 25.

IV. Diluuntur argumenta aduerſariorum deſumpta ex Patribus & rationibus naturalibus. p. 41.

QVINTAE CONTROVERSIAE De adoratione Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia Capita.

I. Corpus Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento adorandum eſſe. p. 60.

II. Refelluntur argumenta, quibus aduerſarij impugnant adorationem Euchariſtiæ. p. 69.

SEXTAE CONTROVERSIAE de conſeruatione & cuſtodia Euchariſtiæ Capita.

I. Corpus Chriſti non eſſe vbique. p. 76.

II. Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia ſtatim poſt conſecrationem, antequam ſumatur. p. 79

III. Corp' Chriſti remanere in Euchariſtia etiã extra vſũ. p. 85

IV. Solemnitatẽ corporis Chriſti & proceſſiones, quæ in ea ſũt, piè & religiosè inſtitutas eſſe. p. 89

Digitized by Google

V. *Ex ſimilitudine Baptiſmi non conuinci Euchariſtiam non eſſe Sacramentum extra vſum.* p.98

SEPTIMAE CONTROVERSIAE De digna præparatione ad receptionem Euchariſtiæ Capita.

I. *De prima & ſecunda præparatione ad Euchariſtiam neceſſaria.* p. 102

II. *De tertia & quarta præparatione Euchariſtiæ.* p.105

OCTAVAE CONTROVERSIAE DE Communione infantium & Communione ſub vna ſpecie Capita.

I. *Communionē infantiū meritò ſublatā eſſe ab Eccleſia.* p.107

II. *Eccleſiam meritò interdixiſſe laicis Communionem ſub vtraque ſpecie: & totum ac integrum Chriſtum eſſe ſub quauis ſpecie.* p.111

III. *Nullum in ſacris litteris extare præceptum de Communione ſub vtraque ſpecie.* p.118

IV. *Communionem ſub vna ſpecie fulciri varijs teſtimonijs ſacrarum litterarum.* p.147

V. *Totam antiquitatem agnoſcere Communionem ſub vna ſpecie eſſe licitam.* p.167

NONAE CONTROVERSIAE DE SAcrificio Miſſæ Capita.

I. *Quid ſacrificium, quot ſacrificiorum genera, & quis verus ſtatus huius Controuerſiæ.* p.179

II. *In Miſſa offerri Deo verum & proprium ſacrificium, probatur ex ipſis verbis inſtitutionis Euchariſtiæ.* p.201

III. *In Miſſa offerri verum & proprium ſacrificium, probatur ex ſacrificio Melchiſedech.* p.209

IV. *In Miſſa offerri verum & proprium ſacrificium, probatur ex Pſalmis, Prophetis, & fidei Analogia.* p.232

V. *In Miſſa ex inſtitutione Chriſti offerri propitiatorium ſacrificium tam pro viuis, quam pro defunctis.* p.255

VI. *Soluuntur argumenta aduerſariorum contra ſacrificium Miſſæ.* p.292

VII. *De ritibus & cæremonijs ſacrificij Miſſæ.* p.318

VIII *De Canone Miſſæ.* p.327

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE TOMI TERTII.

EX GENESI.

Cap. 14. MElchiſedech proferẽs panem & vinum, cõt. 9. c. 3. n. 8. & 44.

Ibidẽ. Sacrificans Deo altiſſimo, cõt. 9. c. 3. n. 18.

Exodo.

Cap. 12. Eſt. n. Phaſe, cont. 4 c. 2. n. 12

12. Neque crudũ quid comedatis, ib.

12. Tollet vnuſquiſque agnũ, cont. 8. c. 3. n 11.

19. Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, cont. 9. c. 6. n. 19

Numeris.

Cap. 10. Arca Domini præcedebat prouidens caſtrorum locum, cõt. 6. c. 4. n. 11.

Deuteronomio.

Cap. 16. Celebrabis diem feſtũ, oblationem ſpontaneam, cont. 9. c. 6. n. 32. & ſeqq.

19. In ore duorũ vel trium, cont. 4. c. 2. n. 1

Ioſue.

Cap. 6. Vulgo autem inermi ſubſequente arcam, cont. 6. c. 4. n. 13

1. Regum.

Cap. 15. Melior eſt obedientia quam victima, cont. 9. c. 1. n. 16

3. Regum

Cap. 2. Eiecit ergo Salomõ Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini, contr. 9. c. 3. n. 22

2. Paralip.

Cap. 11. Ieroboam conſtituit Sacerdotes pro excelſis, cont. 9. c. 3. n. 30

Cap 13 Fit Sacerdos eorum, qui non ſunt dij, cont. 9. c. 3. n. 23

Pſalmis.

Pſal. 21. Manducauerunt & adorauerunt, cont. 5. c. 1. n. 11

49. Nunquid manducabo carnes taurorum, cont. 9. c. 1. n. 31

83. Reſpice in faciem Chriſti tui, cont. 9. c. 8. n. 13

109. Tu es Sacerdos in æternũ, cont. 9. c. 4. n. 2. 15. & 20

110 Memoriam fecit mirabilium, cont. 9. c. 4. n. 38

135. Qui dat eſcam omni carni, cont. 4. c. 3. n. 3

Prouerb.

Cap. 9. Bibite vinum, quod miſcui vobis, cont. 9. c. 7. n. 4

Iſaia.

Cap. 1. Non offeratis vltra ſacrificiũ, cont. 9. c. 4. n. 54

Cap. 51. Dolores noſtros ipſe pertulit, cont. 6. c 1. n. 5

Oſea.

Cap. 4. Peccata populi mei comedent, cont. 9 c. 1. n. 43

Cap. 6. Miſericordiam volo & non ſacrificium, cont. 9. c. 1. n. 16

Malachia.

Cap 1. Non eſt mihi voluntas in vobis: in omni loco ſacrificatur, cont. 9. c. 4. n. 25. & ſeqq.

Ex Euangelio S. Matthæi.

Cap. 3. Hic eſt filius meus dilectus, cont. 4. c. 1. n. 17. & cap. 3. n. 13

4. Si filius Dei es, dic vt lapides, cont. 4. c. 1. n 19

10. Non eſtis vos qui loquimini, cont. 9. c. 3 n. 26

12. Non legiſtis, quia ſabbathis ſacerdo-

cerdotes,&c.cont. 9.c.3.n.26

18 Quæcunque ligaueritis ſuper terram, cont.8 c.3 n 25.

26 Hic eſt ſanguis meus,qui pro vobis, cont. 4. c. 3. n. 10. cont. 9. c.2.n.6.&c 5 n.4.& 24

26 Hoc eſt corpus meum, cont. 4. c.1.n 3.& ſeqq.c.3.n.15

26. Bibite ex hoc omnes.cõt.4.c.3.n. 15. cont.6.c.?.n.9. cont. 8.c.3.n. 2.& ſeq.cont.8.c.4 n.22

26. Non bibam amodo de hoc genimine vitis,cont.4 c.3.n.17

28 Docete omnes gentes,&c.cont. 8.c 3.n.14

28. Ecce ego vobiſcũ sũ omnib.dieb. cont. 8.c.2.n 12.cont.9. c.7.n.18

Marci.

Cap.14. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti,qui pro,cont.9 .c.5.n. 5 & ſeqq.vſque ad 32

16. Qui crediderit,& baptizatus fuerit,cõt. 8.c.1.n.3.

Lucæ.

Cap. 10.Qui vos audit,me audit, cont.9.c 7.n 18

22. Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis datur, cont.9.c.2.n.2.& ſeqq.& c.5 n.4

22. Hic eſt calix nouũ teſtamentum, qui pro vobis & pro multis effunditur,cont.9.c.5.n.31.& c.7.n.8

22. Accipite & diuidite inter vos, cont.8.c.3 n.24

22. Hoc facite in meã cõmemorationem, cont. 7.c.2.n.2.cont.8.c.1.n. 2.& c. 3.n. 26.& 33 item c.4.n. 18. & cont.9.c.2.n.6.16.& ſeqq.c.5.n. 3.& 1.c.8.n.18.

23. Pater dimitte illis,nõ enim ſciũt, cont.9.c.7.n.15.

23. In manus tuas commendo ſpiritum,cont.9.c 7.n.15

24. Oculi eorum tenebantur,ne eũ, cont.8.c.4.n.11.

24. Neceſſe eſt impleri omnia,quæ, cont.9.c.4.n.1

Ioannis.

Cap. 6. Qui manducat meam carnẽ, cont.4.c.4.n 24. c.8.n.28

6.Caro mea verè eſt cibus, cont.4. c.3.n.57.cont.6.c.5.n.2

6 Niſi manducaueritis. cont.8.c.3. n.2.5.15.16.19. & 20

6. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet,cont.8.c.3.n.2.& 20

17. Vt ſint vnum ſicut & nos, cont. 9. c.8.n.4

20. Quorum remiſeritis peccata, cont.9.c.6.n.3

Actorum.

Cap 2.Perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ & communicatione, cont.8. c.4.n.13

16.Vir Macedo,cont.4.c.3.n.1

18. Qui ſibi totunderat caput,cõt. 8. c.4.n.23.& ſeqq.

20. Vna autem Sabbathi cum conueniſſemus,cont.8.c.4 n.23

20.Poſuit Epiſcopos regere Eccleſiã Dei,cont.9.c 6.n.3

Romanorum.

Cap.2.Gentes,quæ legẽ non habent, naturaliter ea, cont.4.c.4.n.7

6.Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt,cont.9.c.6.n.8

6.Chriſtus reſurgens ex mortuis,iam non,cont.9.c.4.n.4

12.Obſecro vos,vt exhibeatis corpora,cont.9.c.1.n.21

13.Si autem ex gratia,iam non ex operibus,cont.4.c.1.n.6.

1.Corinth.

Cap.4. Sic nos exiſtimet homo vt mini-

Digitized by Google

miniſtros,cont.8.c.1.n.5
6.Oēs in vno ſpiritu potati ſumus. cont.8.c.3.n.39.& ſeqq.
10.Vnus panis, vnum corpus multi ſumus,omnes qui,cont. 8.c.4.n.2. cont.4.c.3.n.5
10. Calix benedictionis cui benedicim⁹.cont.8.c.4.n.5.8. & ſeq.
10.Nō poteſtis calicē Domini bibere, & dæmoniorū,cont.8.c.4.n 17
10.Videte Iſrael ſecundum carnem, nonne qui edūt cont.9.c.1.n.41
10.Panis quem frangimus,cont. 4.c. 3.n.1.cont. 6.c.2. n. 1. cont. 8. c. 4.n.14.cont.9.c.5.n 7. & ſeqq.
11.Iudicium ſibi manducat non dijudicans. cont.4.c.3.n.7.cont.5.c.1. n.3.&ca 2.n.5
11.Quotieſcunq; mādūcabitis,mortē Domini,cont.9.c.2.n.19
11.Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis.cont.9.c.5.n. 23. & ſeqq.
12. Quando gloriatur vnum mēbrū, cont.9.c.7.n.1

2.Corinth.

2.Ego quod donaui in perſona Chriſti. cont.9.c.6.n.3
5.Poſuit in nobis verbū reconciliationis, cont.9.c.6.n.3

Ad Galatas.

1. Dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris. cont.9.c.2 n.3
3.Hominis confirmatum teſtamentū nemo ſpernit, cont.9.c.5.n.5

1. Ad Timoth.

2. Obſecro igitur primum fieri obſecrationes cont.9.c.5.n.53

Ad Titum.

2.Dedit ſemetipſum pro nobis,cont. 9.c.2.n.3

Ad Hebræos.

4. Habētes Pontificē magnū, cont. 9 c.6.n.2
5.Preces ſupplicationeſque obtulit, cont 9. c.5.n.59
5.De quo (Melchiſedech)nobis grādis ſermo,cont.9.c.4.n.21.
5.Nec quiſquam ſumit ſibi honorem ſed qui,cont.9.c.1.n.21
7. Melchiſedech ſine patre, ſine matre.cont.9.c.3 n.2
7. Tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt, vt legis.cōt.9.c.1.n.22.& c.4. n.5
7. Chriſtus ſempiternum habet ſacerdotium, cont.9.c.4.n.8.& ſeq.
8.Omnis Pontifex ad offerendū munera conſtituitur.cont.9.c.1.n.25
8. Neceſſe eſt Pontificē habere,quod offerat,cont 9.c.3.n.8. & cap. 4. n.12
10. Vmbram habet lex futurorum bonorum,cont.6.c.4 n.14.
10. Vna oblatione conſummauit, cont.9.c.1.n.5.& c.6.n.6.& 10
10.Voluntariè peccantibus nobis iā non relinquitur.cont.9 c.1.n.5.& ſeqq.

1.Petri.

2. Regale Sacerdotium,cont.9.c.6. n.19

1.Ioannis.

2.Aduocatum habemus apud patrē, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nō pro noſtris tātū, cont. 9.c.4.n 9. & c.6.n.15
3.Omnis qui peccat,non vidit Chriſtum. cont. 7.c.1.n.3.

Apocalypſis.

8.Altare aureū, quod eſt ante thronum Dei, cont.9.c.8 n.6.& 19

ERRAT

Digitized by Google

ERRATA IN HEBRAICIS PRAESERTIM Tomi tertij ita corrige.

P*Agina* 16.*linea* 10. *lege* hæreticos. *pagina* 70.*linea penultima pro* ſed, *lege* ſiue.*pag.*93.*lin.*23.לחוכ. *ibidem lege* מנוחה.*ibidem linea antepenultima lege*, exſiccatæ. *pag.*95. *linea* 9 *lege* נאצו.*pag.*152. *linea penult. pro* vtraque, *lege*, vna.*pag.*155.*linea* 25.*lege* eludant.*pag.* 173.*lin.*12.*lege*, illicitam.*pag.*180. *linea* 31. *lege* מנחה. *eodem modo lege pag.* 195.*linea* 13.& 32 *item pag.*246. *linea* 27. & *pag.* 249.*lin.* 10.& *pag.*302.*lin.*12.*pag.*191.*lin.*22. *lege* תכומה. *item pag.* 197.*lin.*23.*pag.*222.*lin.*26. & *pag.* 323.*lin.*3. *pag.*196.*lin.*9. *lege* מנחה.*pag.*197.*in marg. lege* נופ & רום.*pag.*199.*lin.* 4. *lege* זבה שלמים.*ibidem lin.*30.*lege* חטאת.*eodem modo lege* & *pag.*220.*lin.*7.*pag.*200.*lin.*10. *lege* כפך. *ſic quoque lege p.* 238. *lin.*1.& 13.*pag.*212.*lege* בינוני.*ibidem lin.*27.*lege* תואך. *pag.*213.*lin.*12.& 16.*lege* רפא.*pag.*214.*lin.*14. *lege* שמך.*pa.* 215.*lin.* 25.*lege* והוא ישב.*pag.*216.*lin.*11.*lege*, transferenda. *pag.*217.*lin.*4.*lege* כהניא. *ibidem linea eadem lege*, quod tamen non ponit. *ibidem linea* 6. *lege* משם שים. *pag.*218. *lin. antepenult. lege* כהנים.*pag.*220.*lin.* 25. *lege* Pagninus. *ibidem lin.*27. *lege* Ira Iairites. *pag.* 221. *lin.* 18.& 21.*lege* הוציא.*ibidem lin.*19.*lege* יצא. *pag.*225. *lin.* 24. *lege* ברך.*ſic* & *pag.*226.*lin.*9.*item in marg. ibidem.pag.*230.*lin.*14.& 15. בראשית רבא.*pag.*230.*lin. penultima lege* כהנא. *pag.*232. *lege Caput* IV.*pro* VI.*pag.*241.*lin.*14. לעולם ועד. *pag.*249. *lin.*26.*lege* נחה.*ſic ibidem in margine poſteriore loco* ; *priore autem lege* מכה.*pag.*251.*in marg. lege* טהר. *pag.*269.*lin.*31. *pro* deuotionem *lege* donationem. *pag.*274.*lin.*18.& 19. נסח.*pag.*297. *lin.*3.*pro* noſtris *lege* noſtis. *pag.*293.*lin.* 29. *lege* ἀρχιτελώνης. *pag.*315. *in marg. lege* חלל. *p.*313.*lin.*22. *lege* מסה.*ſic* & *pag.*317.*lin.*23.*pag.*327. *in marg. lege Luc.*10. *pag.* 334. *lin.* 27. *pro* orationem *lege* actionem. *pag.*348. *lin. antepenult. pro* ex *lege* eo.

TOMVS TERTIVS.

PRAEFATIO.

IN ſecundo Tomo contra Caluinianos egimus, in hoc tertio contra Lutheranos præcipuè diſputandum erit. hæc tamen omnia, quæ contra Lutheranos adferimus, magis corroborant ea, quæ ſuprà contra Caluinianos docuimus : Et præterea diſcutiunt non paucas Caluinianorum captiones, quæ illis cum Lutheranis ſunt communes. Nam in omnibus fere controuerſijs, quas in tertio hoc Tomo tractamus, non minus errant Caluiniani, quàm Lutherani.

QVARTA

CONTROVERSIA

DE TRANSVBSTANTIATIONE panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

CAPVT I.

Panem tranſubſtantiari in corpus Chriſti, & vinum in eius ſanguinem, probatur ex ipſa ſacra Scriptura.

I. PROLIXIORES nonnihil fuimus in ſuperiori controuerſia de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia; quòd ex illa cæteræ, quæ conſequuntur, neceſſariò pendeant. Verùm in his, de quibus cum Lutheranis eſt nobis diſputatio, erimus breuiores.

Lutherani quidem fatentur corpus & ſangui-
II. nem Chriſti verè & realiter eſſe in Euchariſtia, quemadmodum docent Catholici: ſed panem & vinum remanere contendunt vnà cum corpore & ſanguine Chriſti. Quo in errore imitantur diſcipulos quoſdam Berengarij, vt teſtantur Guitmundus,

mundus,& Algerus,qui Berengarij ætate vixe-
runt.

Guitmundus in princip. lib. de Euchar. Algerus lib 1. de Euchar. cap. 6.

Porrò non eſt,quòd nobiſcum contendant ad-
uerſarij de voce *tranſſubſtantiationis*, dummodo
res voce ſignificata perſpicuè probetur ex Scrip-
turâ. Nam neque vox *Trinitatis*, neque vox *perſo-* III.
næ,neque vox *Conſubſtantialitatis* extat in Scriptu-
ra.Sed ſicut de myſterio Trinitatis atque Incar-
nationis quædam habentur expreſſis verbis in
Scriptura;vt *quòd ſit Pater, Filius, & Spiritus ſanctus:*
quòd filius Dei ſit factus homo : alia colliguntur ex
Scriptura neceſſaria conſequentia: vt *quòd Pater,*
Filius & Spiritus ſanctus ſint vna ſubſtantia , & tres
perſonæ: quòd duæ ſint naturæ in Chriſto , & vna tan-
tùm perſona : & hæc poſteriora non minùs ſunt
certa,quàm illa priora:Ita hic quòd verum Chri-
ſti corpus ſit in Euchariſtia , habetur expreſsè in
Scriptura;quòd verò ſubſtantia panis & vini mu-
tetur in Chriſti corpus & ſanguinem(id enim ſi-
gnificatur voce *tranſſubſtantiationis,*)colligitur ex
Scriptura, neceſſaria & euidenti conſequentia,
vnico poſito fundamento,quod concedunt om-
nes Lutherani; & quod iam ſatis ſuprà probaui-
mus contra Caluinianos : nimirum , verba illa
Chriſti,*Hoc eſt corpus meum*,eſſe propriè, & ad li-
teram intelligenda. Ex his enim Chriſti verbis
tria argumenta deſumimus.

Sup Controu. 3. c. 8. & 9.

Primum argumentum eſt huiuſmodi. Chri-
ſtus apertè dixit, hoc quod dedit diſcipulis eſſe IV.
corpus ſuum:ergo illud non erat panis. Eſt enim
argumentum hoc deſumptum à diſparatis; quod
firmiſſimum atque euidentiſſimum eſt: quemad-
modum cùm ita argumentamur; hoc eſt aurum,

ergo non eſt plumbum, hic eſt homo, ergo non eſt beſtia. Et ſanè magis differt panis à corpore Chriſti, quàm homo à beſtia, cùm homo & beſtia conueniant in ratione animalis, non autem corpus Chriſti & panis. Denique nemo eſt ſanæ mentis, qui non videt diſparatum de diſparato dici non poſſe verè & propriè, niſi quis velit contendere Chriſtum verè & propriè dici Iudam proditorem: & contrà aut diabolum verè & propriè dici Deum, & contrà.

V. Omnia autem exempla, quæ adferunt Lutherani, aut quæ ab vllo adferri poſſunt, vel ſunt impropriæ & metaphoricæ locutiones, vel certè veritatem habent ratione hypoſtaticæ vnionis, quæ eſt inter Dei filium & humanam naturam, vt cùm de Chriſto dicimus: Hic homo eſt Deus: ſed in hoc Sacramento neque eſt vnio hypoſtatica inter panem & corpus Chriſti; neque eſt impropria aut metaphorica locutio in his verbis Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, vt fatentur omnes Lutherani.

VI. Sed neque ex Ariſtotele tantùm, aut ex ſola ratione naturali accipimus hunc modum argumentandi, vt opponunt Lutherani: ſed etiam ex ipſa Scriptura: Imò præcipua fidei myſteria Trinitatis & Incarnationis non firmiùs probantur, quàm argumentis deſumptis ex diſparatis. Nam in primis manifeſtum eſt illud argumentum Apoſtoli ex diſparatis collectum: *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non eſt gratia.* (*Ad Rom.* 11. *v.* 6.) Cur igitur non licebit nobis ita argumentari? Si eſt corpus Chriſti, iam non eſt panis; alioqui corpus Chriſti iam non eſt corpus Chriſti.

Dein-

Deinde non habetur expreſsè in Scriptura, quòd filius Dei non ſit creatura, vt contendebant Arriani, aut quòd Spiritus ſanctus non ſit creatura, vt docebant Macedoniani, aut denique quòd perſona Chriſti non ſit creata, vt volebant Neſtoriani: verùm hæc omnia probantur argumentis deſumptis ex diſparatis, ad hunc modum: Filius Dei eſt verus Deus, ergo non eſt creatura, Spiritus ſanctus eſt verus Deus, ergo non eſt creatura: Perſona Chriſti eſt diuina, ergo non eſt humana. VII.

Denique adeò manifeſtum eſt hoc argumentum, vt ipſi etiam Caluiniani ſæpè obijciant Lutheranis, quòd ex verbis Christi, *Hoc eſt corpus meum*, propriè acceptis neceſſariò ſequatur tranſſubſtantiatio. Teſtis huius rei locupletiſſimus eſt ipſe Beza, vt alios pleroſque omittamus. Is enim in libro de cœna Domini, quem edidit contra Ioachimum VVeſtphalum Lutheranũ anno 1559. cùm reſpondet ad tertiam rationem tertij capitis lib. VVeſtphali, ita ſcribit: *Hoc quidẽ ſæpè diximus, quod nunc quoq; repetam, retineri re ipſa non poſſe τὸ ῥητὸν in his Chriſti verbis, Hoc eſt corpus meum, quin tranſſubſtantiatio Papiſtica ſtatuatur.* Quare quod olim Pelagianis inter ſe diſſentientibus obiecit ſanctus Auguſtinus, id Caluinianis & Lutheranis iure iam obijcere poſſumus. *In his* (inquit ſanctus Auguſtinus) *quæ ſingula vera dicunt prius inter ſe ipſi conſentiant, & conſequenter fiet, vt à nobis nulla ex parte diſſentiant.* Etenim cùm Caluiniani contra Lutheranos affirment ex his Chriſti verbis propriè acceptis neceſſariò ſequi tranſſubſtantiationem: Lutherani autem contra Caluinianos aſſerant hæc verba Chriſti VIII.

Extant hæc verba vol. 1. tractationum Theolog. Bezæ tract. 6. pag. 216 iuxta editionem Geneuen. an. 1582.

S. Aug. to. 7. de peccat. meritis & remiſſione lib. 1. cap. 34 in fine.

propriè eſſe accipienda : ſi inter ſe in his duobus conſentiant, quæ ſingula vera dicunt, neceſſe eſt, vt nobiſcum fateantur tranſſubſtantiationem neceſſariò ſequi ex his verbis Chriſti. Et Caluiniani quidem contra Lutheranos firmiter probant ex verbis Chriſti propriè acceptis neceſſaria conſequentia colligi tranſſubſtantiationem, vt nos dicimus: Lutherani verò contra Caluinianos non minùs euidenter & firmiter probant, verba Chriſti neceſſariò eſſe propriè & ad literam accipienda, vt nos quoque docemus. Atque in hunc modum dum aduerſarij noſtri inter ſe contendunt, inuiti & inſcij confirmant planè noſtram doctrinam de tranſſubſtantiatione; vt proinde cum Propheta dicere poſſimus: *Inimici noſtri ſunt iudices.* Hoc primo argumento vtitur etiam Concilium Tridentinum, cùm de tranſſubſtantiatione agit.

Deuter. 32. ver. 31.

Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 4.

IX. Secundum argumentum, ſi remaneret ſubſtantia panis, pronomen (hoc) neceſſariò demonſtraret panis ſubſtantiam quæ remanet : ita vt ſenſus eſſet, Hic panis eſt corpus meum: Idque vbique fatentur tam Caluiniani, quàm Lutherani: & meritò, nam pronomen demonſtratiuum (hoc) non poteſt non demonſtrare ſubſtantiam præſentem : Atqui ex hoc ſenſu plurima ſequerentur abſurda. Nam ſi panis eſt verè & propriè corpus Chriſti, panis etiam dicetur verè & propriè conceptus ex Spiritu ſancto, natus ex Virgine, crucifixus pro nobis, vnitus verbo hypoſtaticè: Immo panis verè & propriè dicetur Deus; cùm non tantùm ſit corpus Chriſti in Euchariſtia, ſed etiam totus Chriſtus verus Deus: quæ omnia ſunt abſurdiſſima. Hoc ipſo argumento vſus eſt Tertullia-

tullianus contra Marcionem: *Si propterea* (inquit) *panem corpus ſibi finxit Chriſtus, quia corporis carebat veritate, Ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur*, hæc ille. Vbi Tertullianus rectè ex præſentia panis in Euchariſtia, infert panem eſſe crucifixum pro nobis. *Tertul. lib. 4. aduerſus Marcion. cap. 40.*

X. Ad hæc ipſimet Lutherani, cùm explicant ſuã ſententiam, dicunt corpus Chriſti eſſe in pane, cum pane, & ſub pane: Sed id quod eſt in, cum, vel ſub alio: non eſt illud ipſum: verbi cauſa, homo eſt in domo, ſed nemo dicet hominem eſſe domũ, vel contrà: vinum eſt in vaſe, ſed nemo dicet vinũ eſſe ipſum vas. Ergo panis non poterit propriè dici corpus Chriſti; etiamſi corpus Chriſti eſſet in pane, & ex conſequenti verba illa Chriſti: Hoc eſt corpus meum, eſſent falſa, aut certè impropria.

XI. Porrò exempla illa, quæ afferunt Lutherani, nihil probant. Dicunt enim, quòd oſtenſo vaſe, in quo eſt bonum vinum, rectè quis dicet, hoc eſt bonum vinum: & oſtenſa crumena, in qua eſt aurum, poteſt quis dicere, accipe, hoc eſt aurum; verùm huiuſmodi demonſtratio tunc eſt vera, quãdo illud, quod demonſtratur, eſt viſibiliter & localiter in alio, atq; veluti incluſum in alio, quod illud ambit phyſicè & localiter: ſed quando res demonſtrata eſt in alia re inuiſibili duntaxat modo & ſpirituali, huiuſmodi demonſtratio non eſt vera, ſed planè falſa, quod talis res non contineatur propriè localiter & phyſicè à corpore, in quo illa eſt: verbi gratia, oſtenſo ligno, nemo rectè dixerit, hoc eſt Deus, quamuis Deus ſit in ligno: aut oſtenſo digito hominis, nemo rectè

Digitized by Google

dicet, hæc eſt anima; quamuis in digito ſit anima: aut denique quamuis Spiritus ſanctus ſit in homine iuſto, oſtenſo iuſto homine, nemo rectè dicet, iſte eſt Spiritus ſanctus, quia iſta non ſunt phyſicè & localiter, ſed ſpirituali & inuiſibili modo in rebus, in quibus exiſtunt. Ad eundem modum quamuis corpus Chriſti eſſet in pane, quia tamen eſſet ibi ſpirituali dumtaxat modo, non localiter, neque vt res phyſicè contenta à pane, falſa eſſet iſta demonſtratio, Hoc eſt corpus meum.

Tertium argumentum. Non tantùm dixit
XII. Chriſtus, Hoc eſt corpus meum, ſed etiam iuſſit, vt Apoſtoli manducarent ſuum corpus, & vt biberent ſuum ſanguinem: Idq́ue verè & propriè, vt fatentur omnes Lutherani: at verò ſi adeſſet ſubſtantia panis & vini, nemo manducaret propriè corpus Chriſti, ſed panem ſolùm: nemo biberet ſanguinem Chriſti, ſed vinum ſolum (niſi fortè ſubſtantia panis & vini eſſet vnita hypoſtaticè corpori & ſanguini Chriſti, quod nemo Aduerſariorum audet dicere.) Enimuerò quãdo res aliqua eſt ſpirituali & inuiſibili modo in re corporea, etiamſi res corporea comedatur & bibatur: res tamen ſpiritualiter in ea exiſtens neque comeditur, neque potatur: verbi gratia, etiamſi comedatur pomum, aut potetur aqua, in quibus eſt Deus, non ob id dicitur Deus manducari aut bibi. Similiter quamuis frangatur, aut vulneretur brachium, non ob id frangitur aut vulneratur anima: Sic cùm corpus Chriſti & ſanguis ſint ſpirituali modo in Euchariſtia, ſi adeſſet panis & vinum, panis diceretur manducari, & vinum bibi, non autem corpus & ſanguis Chriſti.

Et

Et hactenus ſatis contra Lutheranos. Sed quia non deſunt antiqui quidam Scholaſtici, qui putarunt ex iſtis verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum, etiam propriè acceptis non colligi neceſſariò trãſubſtantiationẽ; iſtorũ quoque error hic breuiter refutandus eſt. Iſti quidem non negant tranſubſtantiationẽ, (vt aduerſarij calumniantur) immò affirmant hæreſim eſſe, eã negare: ſed tantùm exiſtimant, quòd ex iſtis Chriſti verbis id apertè cõuinci non poſſit, niſi accederet declaratio, interpretatio, & definitio Eccleſiæ vniuerſalis: At iam poſt factã hanc definitionem, affirmant licitum non eſſe de hac re ampliùs dubitare. Id quod ijdem Scholaſtici aſſeuerant non tantùm de hoc myſterio, ſed etiam de multis alijs myſterijs, tam Trinitatis, quàm Incarnationis: de quibus tamen illi nullo modo dubitant: Nam non minùs certa eſt apud eos vniuerſalis Eccleſiæ determinatio, quàm ipſa Scriptura. Prçterea nullo modo exiſtimant iſti cum Lutheranus, hunc poſſe eſſe ſenſum verborum Chriſti, *hic panis eſt corpus meum*: Non enim ignorant, diſparatum non poſſe dici de diſparato: Sed dicunt Chriſtum potuiſſe pronomine *(hoc)* demonſtraſſe ſuum dumtaxat corpus & non panem, etiamſi panis remanſiſſet: ſicut iam dicimus ipſum demonſtraſſe ſuum corpus, & non accidentia panis; quamuis accidentia remaneant. XIII.

XIV. *Suares tom. 3. in 3 par. S. Thomæ diſp. 49. ſect. 2. Vaſquez tom. 3. in 3. parte S. Thomæ diſp. 180. cap. 4. & 5.*

Verùm hæc paucorum eſt opinio, quæ à cæteris omnibus Scholaſticis meritò reijcitur, & euidentibus rationibus refutatur, quas fusè proſequuntur Suares & Vaſquez, quos conſulere poſſunt, qui plura deſiderant. Nobis hic ſatis erit oſtendere, ex illis, quæ diximus cõtra Lutheranos, faci-

facilè conuinci etiam poſſe hunc ſcholaſticorum errorem. Nam in primis cùm corpus Chriſti non ſit viſibili modo in Euchariſtia tanquam in loco phyſico, ſicut eſt aurum in crumena, ſed modo inuiſibili & ſpirituali; neceſſe eſt huiuſmodi demonſtrationem eſſe falſam; quemadmodum ſiquis oſtēſo ligno, in quo eſt Deus, diceret, hoc eſt Deus: aut oſtēſo digito, in quo eſt anima, diceret, hæc eſt anima: aut oſtenſo homine pio, in quo eſt Spiritus Sanctus, diceret, iſte eſt Spiritus ſanctus.

XV. Deinde nunquam poſſet corpus Chriſti verè & propriè manducari, aut ſanguis eius potari, ſi adeſſet ſubſtantia panis & vini; vt iam multis exemplis oſtendimus contra Lutheranos.

Hoc cap. §.12.

XVI. Denique certum eſt, quòd ſi panis remaneret, propriè & verè dixiſſet Chriſtus, in hoc pane, vel cum hoc pane eſt corpus meum: Igitur iſta locutio, hoc eſt corpus meum, remanente pane non fuiſſet propria, ſed impropria, ambigua, & fallax. Quod enim propriè dicitur eſſe cum aliquo, vel in aliquo, non poteſt propriè dici eſſe illud: v. g. anima propriè dicitur eſſe in corpore, ſed anima non dicitur propriè eſſe corpus: vinum dicitur eſſe in vaſe, ſed vinum non dicitur eſſe vas: homo dicitur eſſe cũ Deo, ſed homo non dicitur Deus. Quare iuxta opinionem iſtorum ſcholaſticorum, Chriſtus non locutus fuiſſet propriè, clarè & perſpicuè, quando dixit: *hoc eſt corpus meum*, ſed impropriè & ambiguè: qui eſt error Caluinianorum iam ſuprà refutatus.

Suprà controuerſia 3. cap. 8. & 9.

XVII. Illud autem, quod obijciunt iſti ſcholaſtici de accidentibus quæ remanent in Euchariſtia, nihil eſt ad rem. Nam quando prædicatum ſeu attributum

Digitized by Google

tum ſignificat ſubſtantiam, particula *(hoc)* in ſubiecto demonſtrat ſemper ſubſtantiam, & non accidens: ſignificatio enim pronominis demonſtratiui *hoc* determinatur & reſtringitur à prædicato; quare cùm prædicatum ſignificat ſubſtãtiam, particula *hoc* in ſubiecto demonſtrat ſubſtantiam. At verò cùm prædicatum denotat accidens, *hoc* in ſubiecto demonſtrat accidens; verbi cauſa, cùm dico, hoc eſt lignum, hoc demonſtrat ſubſtantiam ligni: ſed cùm dico, hoc eſt album, hoc demonſtrat accidens. Et vt afferamus exempla ex ipſis ſcripturis, cùm dixit Deus Pater: *Hic eſt* *Matt.3.*
filius meus, non demonſtrabat accidentia filij, ſed *verſ.vltim.*
eius ſubſtantiam. Sic cùm ſcribit Sanctus Ioannes:
hic eſt verus Deus, non demonſtrat accidentia Dei, *Ioan.vlt.*
(quæ nulla ſunt) ſed eius ſubſtantiam. Ad eundem *verſu pe-*
modũ cùm dixit Chriſtus: *hoc eſt corpus meum*, de- *nultimo.*
monſtrabat ſubſtantiam corporis ſui, non accidentia panis & vini: quia vox corporis, quæ prædicatur, denotat ſubſtantiam, non accidens.

Ex his itaque manifeſtum eſt, quòd ex verbis XVIII.
illis Chriſti: *hoc eſt corpus meum*; propriè & ad literam ſumptis, neceſſaria conſequentia colligatur conuerſio ſubſtantiæ panis & vini in ſub- *Concil.Tri-*
ſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti: quam con- *dent.Sect.*
uerſionem vocamus tranſubſtantiationem, quia *13. cap. 4.*
videlicet mutatio eſt vnius ſubſtantiæ in aliam: qualis fuit & conuerſio illa aquæ in vinum, quam *Ioan.2.ver-*
fecit Chriſtus in Cana Galilææ. *ſu 9.*

Et hanc conuerſionem vnius ſubſtantiæ in ali- XIX.
am Deo eſſe poſſibilem agnouit etiam ipſe Diabolus. Enimverò cùm ille Chriſtum tentare cœpit, his verbis eſt vſus: *Si filius Dei es, dic vt lapides* *Matth.4.*
iſti panes fiant: agnouit ergo filium Dei potuiſſe *verſ.3.*
lapi-

lapides in panes ſolo verbo tranſmutare. Sunt igitur Diabolo deteriores, qui negant Deum hanc tranſubſtantiationem poſſe efficere. Contra quos egregiè diſputat S. Ambroſius multis allatis Scripturæ ſacræ exemplis & teſtimonijs.

S. Ambroſ. de ijs, qui myſterijs initiantur cap. 9.

XX. Porrò S. Gregorius Nyſſenus (Beati Baſilij frater germanus) adhuc vlteriùs progreditur, & perſpicuè probat huiuſmodi tranſmutationem vnius ſubſtantiæ in aliam fieri non tantùm ſupernaturali, extraordinaria, & diuina potentia, ſed & naturali atque ordinaria; Nam & Chriſtus, cùm adhuc in terris eſſet, panem, quo quotidie veſcebatur, conuertebat in ſuam carnem, & vinũ, quod potabat, conuertebat in ſuum ſanguinem: Idque vi naturali & ordinaria facultatis altricis animæ. Quemadmodum & iam omnes homines, cùm pane & vino veſcuntur, ſola naturali & ordinaria vi nutrientis animæ panem, quo nutriuntur, tranſmutant in ſuam carnẽ, & vinum, quod bibunt, in ſuum ſanguinem. Nihil ergo mirum, ſi dicamus tranſmutationem panis & vini, Dei ſupernaturali & infinita potentia, fieri in carnem & ſanguinem Chriſti: cùm naturali vi ac potentia panis & vinum olim tranſmutarentur quotidie in corpus & ſanguinem Chriſti.

S. Gregor. Nyſſen. in oratione magna catechiſt. c. 37.

CAPVT II.

Tranſubſtantiatio probatur teſtimonijs Patrum antiquorum.

I. Trãſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſãguinẽ Chriſti certiſſima fide creditã fuiſſe, à tota

tota antiquitate, multis Sanctorũ Patrũ teſtimonijs probant Bellarminus & Coccius: Nos verò vt breuitati conſulamus, tres Patres Græcos adducemus, & tres alios Latinos, qui hoc apertiſſimè docent: quia *in ore duorum aut trium teſtium ſtare omne verbum* ſæpius affirmat Scriptura ſacra: Et illos etiam ſolos afferemus, qui vixerunt ante mille & ducentos annos; vt conſtet, quàm à veritate aberrent aduerſarij, cùm non verentur aſſerere doctrinam hanc de tranſubſtantiatione incepiſſe ante trecentos dumtaxat annos.

Bellarminus lib 3. de Euchariſtia cap. 20.
Coccius tom. 2. theſaur. lib. 6. art 1.
Deuter. 19. verſu 15.
Mat. 18. verſ. 16.
2. Cor vlt. verſu 1.

Porrò à veritate alieniſſimum eſt illud, quod ſcribit Caluinus his verbis; *Bernardi quidem ætate, etſi durior inualuerat loquendi ratio, tranſubſtantiatio tamen nondum agnita erat*. Ita Caluinus. Certè Petrus Abbas Cluniacenſis Sancto Bernardo æqualis, illique admodum familiaris (vt conſtat ex varijs epiſtolis, quas ad illum vel eius cauſa dedit S. Bernardus) integrum librum ex profeſſo ſcripſit de ſacrificio Miſſæ & tranſubſtantiatione contra duos illos hæreticos, Henricum & Petrum Bruſium, qui tranſubſtantiationem negabant: quos etiam egregiè depingit Sanctus Bernardus ſerm. 66. in Canticum Canticorum, & Epiſt. 240. ad Comitem Sancti AEgidij: vt mirum proinde ſit Caluinum tam audacter aſſerere Bernardi ætate tranſubſtantiationem nondum agnitam fuiſſe. Sed ad Patres antiquos Græcos veniamus.

Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 17. ſect. 15.
Vide epiſt. S. Bernardi 147. 148. 149. 227. 265. 267. & 277.

Primus inter Græcos eſt Sãctus Chryſoſtomus, qui in ſermone admonitorio de Euchariſtia in encœnijs (qui extat in fine tomi 3. operum Sancti Chryſoſtomi) ita ſcribit: *Num vides panem? nũ vinum?*

num? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? abſit; ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtãtia remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hic puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia. Ita Sanctus Chryſoſtomus: quibus verbis apertè docet, quòd poſt conſecrationem (de conſecratis enim myſterijs loquitur) non ſit amplius panis, non vinum, ſed corpus & ſanguis Chriſti. Item quòd iſte cibus nõ eat in ſeceſſum, vt alij cibi; At ſi panis remaneret, iret proculdubio in ſeceſſum. Denique affirmat, quòd ſicut cera igni adhibita illi aſſimilatur, ita vt nihil ſubſtantiæ ceræ remaneat, nihil ſuperfluat, ſed tota in ignem conuertatur: Ita & in Euchariſtia, quòd ſubſtantia panis & vini conſumatur per ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti. Quo nihil clarius dici poteſt. Et quamuis illi, qui inter aduerſarios planè ſunt pertinaces, conentur verba iſta S. Chryſoſtomi varijs modis corrumpere; (quos benè refutat Bellarminus) illi tamen qui ſynceriùs agũt, agnoſcunt S. Chryſoſtomũ his verbis ſatis manifeſtè docere tranſubſtantiationẽ panis & vini in corpus & ſanguinẽ Chriſti: inter quos ſunt quatuor illi Centuriatores Magdeburgenſes Lutherani.

Bellarminus lib. 2. de Euchariſtia cap. 22.

Magdeburgẽſes centuria 5. cap. 4. part. 2. quæ inſcribitur Inclinatio doctrinæ, in Tit. de cœna Domini colum. 517.

IV.

Secundus ex Græcis Patribus eſt S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus, Chryſoſtomo antiquior, qui in 4. catecheſi myſtagogica ita ſcribit: *Aquã aliquando mutauit (Chriſtus) in vinũ, quod eſt ſanguini propinquũ in Cana Galilææ ſola voluntate: & nõ erit dignus, cui credamus, quòd vinũ in ſãguinẽ trãſmutaſſet? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus ſtupendum miraculum operatus eſt; & non multò magis corpus & ſanguinem ſuum filijs ſponſi dediſſe illum confitebimur? quare enim cum certitudine corpus & ſanguinem*

Ioan. 2. ver. 17.

nem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis, vt ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps corporis & ſanguinis. ſic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cùm eius corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus: Atq; ita, vt B. Petrus dicit, diuinæ naturæ conſortes efficiemur. Denique ita concludit: *Hoc ſciens & pro certiſſimo habens ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστὶν, hoc eſt, qui apparet panis, panis nō eſt, etſi guſtus ita ſentiat, ſed corpus Chriſti: & quod apparet vinū, nequaquam eſt vinum, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, ſed ſanguis eſt Chriſti.* Hinc tria habemus, primū quòd tam verè mutetur vinum in ſanguinem Chriſti, quàm aqua mutata fuit in vinum in Cana Galilææ. Secundum eſt, quòd, ἐν τύπῳ ἄρτου, id eſt, in ſpecie vel effigie panis datur nobis corpus Chriſti; καὶ ἐν τύπῳ οἴνου, id eſt, ſub ſpecie vini datur nobis ſanguis. Hoc ipſum autem eſt, quod docent omnes Catholici, cùm explicant myſterium tranſubſtantiationis. Tertium eſt, quòd non debemus ſequi iudicium ſenſuum in hoc myſterio: Nam quamuis videatur panis & vinum, tamen non eſt, ſed corpus & ſanguis Chriſti.

V. Adeò apertè loquitur S. Cyrillus de tranſubſtantiatione, vt aduerſarij dum vrgentur eius auctoritate, reſpondeant illum fuiſſe Arrianum, & nō Catholicum. Verùm hanc meram eſſe calumniam euidenter probat grauiſſimum illud teſtimonium generalis Concilij Conſtantinopolitani primi: (quod extat etiam apud Theodoretum) Nam in libello Synodico totius Concilij ad S. Damaſum Papam, & occidentales Epiſcopos, teſtantur Patres Concilij Cyrillum hunc, quem

Theodoretus lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 9.

ſan-

Digitized by Google

ſanctiſſimum appellant, *plurima prælia aduerſus Arrianos varijs in locis confeciſſe*, & ob hanc cauſam ſcribunt ſe illum reſtituiſſe ſedi Hieroſolymitanæ, à qua iniuſtè per Arrianos deiectus fuerat. Non fuit igitur iſte Arrianus, ſed Arrianorum egregius oppugnator.

Tertius Pater Græcus eſt S Gregorius, Nyſſenus Epiſcopus, S. Baſilij magni frater germanus: Is in orat. magna catechetica c. 37. (quæ verba etiã adducit contra Paulitianos hæretiquos Euthymius) multis verbis oſtẽdit mirũ non eſſe, quòd docet Catholica Eccleſia panem & vinũ mutari in corpus & ſanguinem Chriſti ſupernaturali & diuina potentia: cùm naturali vi animæ nutritiuæ quotidiè, dum Chriſtus eſſet in terris, mutaretur panis & vinum, quibus ipſe veſcebatur, in ſuam carnem & ſanguinem: quemadmodum & in noſtram carnem & ſanguinẽ mutantur vi naturali nutritiuæ potentiæ panis & vinum, quibus alimur. Verba eius ſunt iſta, quæ obiter attigimus in fine præcedentis capitis: *Omne (inquit) corpus ex nutrimento ſubſiſtit & confirmatur, quod quidem nutrimentum ex cibo conſtat & potu. Cibus autem eſt panis, & potus eſt aqua vino mixta: porrò Dei verbum ita naturæ humanæ coniunctum eſt, & corpus noſtrum aſſumpſit, vt eius natura non aliam nouam conſtitutionem adhiberet, ſed ſolitis ipſum rebus aleret & ſuſtẽtaret, nempe cibo & potu. Cibus verò erat panis, quemadmodum & noſter.* Et paulò pòſt: *Nam & corpus illud Chriſti pane ſuſtentabatur. Corpus autem propterea, quòd Deus Verbum in illo habitabat, diuinam obtinuit dignitatem. Quamobrem rectè nunc etiam Dei verbo ſanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud Chriſti panis erat potentia,*

Euthymius 2. part. ſuæ panopliæ orthodoxæ fidei tit. 21. cap. penultimo.

tia, ſanctificatum eſt autem habitatione verbi, quod in carne habitabat. Itaque qua ex cauſa panis in eo corpore mutatus in diuinam virtutem tranſit, eadem de cauſa nunc etiam idem fit. Vt enim illic verbi Dei gratia ſanctum effecit illud corpus, cuius firmamentum ex pane conſtabat, & ipſum etiam quodammodo panis erat; ſic etiam hic panis, vt ait Apoſtolus, per verbum Dei & orationem ſanctificatur: Non quia comeditur eò progrediens, vt verbi corpus euadat, ſed ſtatim per verbum in corpus mutatur vt dictum eſt à verbo, quoniam hoc eſt corpus meum. Et tandem ita concludit: *Hæc autem tribuit virtute benedictionis in illud* (nempe corpus Domini) *rerum quæ videntur* (videlicet panis & vini,) *naturam mutans.* Hæc Sanctus Gregorius Nyſſenus. Non poterat ſanè clariori exemplo iſtud demonſtrare, quàm exemplo ipſius Chriſti, qui dum nutriebatur pane & vino, panem in carnem ſuam quotidie conuertebat, & vinum in ſuum ſanguinem; idq́ue vi ſola naturali nutritiuæ potentiæ animæ.

1. Tim. 4. v. 5.

VII. Quare poſteriores Patres Græci, cùm volunt tranſubſtantiationẽ perſpicuè declarare, nõ rarò vtuntur hoc ipſo exemplo S. Gregorij Nyſſeni, quod à nutritione Chriſti deſumitur: eo enim vtũtur S. Damaſcenus, Theophylactus, S. Samonas Gazæ ciuitatis Epiſcopus, & alij plerique.

S Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14.

VIII. Quartus Pater (qui primus eſt inter Latinos,) eſt Sanctus Cyprianus in ſermone de cæna Domini, qui eſt vel S. Cypriani, vel certè Patris doctiſſimi eiuſdem ætatis: hic enim ita ſcribit: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omni potentia verbi factus eſt caro.* Nõ poterat breuiùs & exactiùs deſcribere tranſubſtantiationẽ: hac enim panis nõ mutatur

Theophylactus in cap. 6. S Ioannis ad v 52 S. Samonas in diſp. cũ Saraceno extat tom. 6. bibliot. Sãctorũ Patrum.

tatur iuxta exteriorem effigiem, ſed interior natura ſeu ſubſtantia panis mutatur, dum omnipotentia verbi panis fit caro Chriſti. Addit deinde hæc verba: *Et ſicut in perſona Chriſti humanitas apparebat, & latebat diuinitas: Ita ſacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia.* Senſus eſt, quòd in perſona Chriſti, cùm ille eſſet in terris, latebat ſola diuinitas, ſed humanitas apparebat: At in hoc ſacramento latet etiam humanitas Chriſti, & ſola exterior effigies panis (quod eſt viſibile ſacramentum) apparet & videtur.

IX. Quintus Pater eſt S. Ambroſius, qui in libro de his qui myſterijs initiantur cap. 9. & rurſus lib. 4. de Sacramentis cap. 4. multa præclara teſtimonia habet de hac re. Nam priori loco affirmat *in hoc Sacramento non illud eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit.* Item *quòd benedictione ipſa natura panis & vini mutetur.* Deinde hoc ipſum probat multis Scripturæ exemplis. Vbi animaduertendum eſt, duo eſſe miracula in hoc ſacramento: Alterum quòd natura panis & vini mutetur in corpus & ſanguinem Chriſti: Alterum quòd exteriores ſpecies panis & vini maneant, ſicut antea; ſed præter ordinem naturæ ſine vllo ſubiecto & ſine vlla ſubſtantia cui inhæreant. S. Ambroſius vtrumque probat. Nam quædam adducit miracula, quibus natura vnius rei mutata eſt in aliam, vt quòd virga Moyſis verſa ſit in ſerpentem, & ſerpens rurſus in virgam. Item quòd ad preces Moyſis aqua conuerſa ſit in ſanguinem, & ſanguis rurſus in aquam. Alia verò miracula adducit, quibus manẽte eadem natura rei, Deus ſupra ordinem naturæ operatus eſt; vt quòd ferrum natauerit ſuper

Digitized by Google

per aquam. Prioribus miraculis probat mutationem panis in corpus Chriſti: Poſterioribus verò miraculis probat, quòd ſpecies exteriores panis & vini poſſunt ſine ſubſtantia panis & vini remanere. Atque hoc eſt, quod breuiter concludens ita ſcribit lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini IESV, vt inciperent eſſe, quæ non erant; quantò magis operatorius eſt, vt ſint, quæ erant, & in aliud commutentur?* Vbi illa verba (*vt ſint quæ erant*) dicit propter ſpecies panis & vini, quæ remanent: At illa quæ ſequuntur (*& in aliud commutentur*) addit propter ipſas ſubſtantias panis & vini, quæ commutantur in corpus & ſanguinem Chriſti. Multa alia præclara ibi habet S. Ambroſius, quæ prolixum eſſet recenſere, præſertim cùm illa cuiuis legenti perſpicua ſint.

Sextus Pater eſt diſcipulus ipſius Sancti Ambroſij, Sanctus Gaudentius Brixienſis Epiſcopus: hic .n. inuitus factus eſt Epiſcopus à S. Ambroſio poſt mortem Sancti Philaſtrij, vt ipſemet teſtatur in ſermone habito de ſua ordinatione. Porrò Sanctus Gaudentius tractatu 2. in Exodum (qui etiam extat tom. 2. bibliothecæ Sanctorum Patrum) primò quidem profitetur, ea quæ dicit de hoc myſterio, non debere explicari præſentibus catechumenis: (Id quod Sanctus Auguſtinus & alij Patres ſæpe inculcant) Adeò enim altum eſt hoc myſterium, vt non niſi baptizatis, vel certè iamiam baptizandis ſolitum fuerit declarari in antiqua Eccleſia. X.

S. Auguſt. tom. 9. tract. 11 in Euang. S. Ioannis.

Deinde probat S. Gaudentius panem mutari in carnem Chriſti, quia cùm Chriſtus ſit naturarum Creator & Dominus, mutat ter- XI.

ram in panem (ex terra enim naſcitur panis.) Item quia Chriſtus aquam in vinum mutauit in Cana Galilææ. Quo exemplo (vt dictum eſt) vtitur etiam S. Cyrillus. Verba ſancti Gaudentij ſunt iſta: *Ipſe igitur naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus (quia & poteſt, & promiſit) efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, & de vino facit ſanguinem ſuum.*

XII. Et paulò pòſt explicans illa verba Exodi 12. verſu 11 *Eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini. Ne terrenum putes, quod cæleſte effectum eſt per eum, qui tranſit in illud, & fecit illud ſuum corpus & ſanguinem.* Et paucis interiectis explicans illud Exodi 12. verſu 9. *Neque crudum quid comedatis. Neque in olla* (inquit) *cordis carnei, humoribus per naturam ſemper obnoxij, ipſum decoques ſacramentum, commune illud ac terrenum eſſe exiſtimans: Sed vt per ignem diuini Spiritus id effectum, quod annuntiatum eſt, credas: quia quod accipis corpus, eſt illius panis cæleſtis, & ſanguis eſt illius ſacræ vitis: Nam cùm panem conſecratum & vinum diſcipulis ſuis porrigebat, ſic ait: hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus. Credamus quæſo, cui & credidimus: neſcit mendacium veritas.* Et tandem in fine eiuſdem tractatus dicit, quòd Chriſtus *Sacramenta corporis & ſanguinis ſui in ſpecie panis & vini offerenda conſtituit.* Id quod antea dixerat Sanctus Cyrillus Hieroſo-

Suprà hoc cap. 4. lymitanus, vt ſuprà ex eo retulimus.

XIII. Verùm prætereundus hic non eſt ſeptimus teſtis Tertullianus, omnium quos hactenus adduximus, antiquiſſimus Enimuerò illius verba ſępè obijcere nobis ſolent Caluiniani: atque in illis vnicè gloriantur, quaſi in his inuenerint ſuã nouã interpretationem verborum cænæ, nempe, hoc

eſt

Digitized by Google

eſt corpus meum : id eſt, figura corporis mei. & nihilominus ſi verba Tertulliani rectè intelligantur, ea manifeſtè probant non tantùm veram & realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia contra Caluinianos : ſed etiam trãſubſtantiationem panis & vini in carnem & ſanguinem Chriſti contra Lutheranos. Quare verba illa Tertulliani paulò diligentiùs hic examinanda erunt: ſunt autem iſta, quæ apud illum extant lib. 4. aduerſus Marcionem, *Acceptum panem & distributum diſcipulis* (Chriſtus) *corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum, dicendo: id eſt, figura corporis mei; figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res quòd eſt: phantaſma, figuram capere non poſſet. Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate: Ergo panem debuit tradere pro nobis: faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur:* hæc Tertullianus. *c. 40. iuxta edit. Pameliy.*

XIV. Quibus in verbis illud primò obſeruandum eſt, quòd Tertullianus hic conatur probare Chriſtum habuiſſe verum corpus, & non phantaſticum (vt aſſerebat hæreticus Marcion :) idque probat ex verbis inſtitutionis Sacramenti Euchàriſtię, quæ habentur in Euangeiio Sãcti Lucę: Nam hoc ſolùm Euangelium recipiebat Marcion, vt refert ipſe Tertullianus eodem lib. 4. cap. 2. & 5. Porrò, hanc fuiſſe intentionem Tertulliani teſtatur ipſemet Tertullianus: cùm enim perueniſſet poſtea ad caput 11. prioris Epiſtolæ ad Corinthios, & tranſiliret ea, quæ ibi habentur de inſtitutione Sacramenti Euchàriſtiæ, rationem hanc aſſignat, cur illa prætererit: *Panis* (inquit) *& calicis ſacramento iam in Euangelio probauimus*

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE

Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcionẽ cap. 8.

uimus corporis & ſanguinis Dominici veritatem aduerſus phantaſma Marcionis. Tertullianus igitur vt probet Chriſtum habuiſſe verum corpus, & non phantaſticum, hoc ponit fundamentum, omnibus Chriſtianis eo tempore notiſſimum: Nimirùm Chriſtum in cœna nouiſſima panem feciſſe corpus ſuum, dicendo, *hoc eſt corpus meum*: & nihilominus externam figuram panis remanſiſſe; ſed quæ iam non eſſet amplius figura panis, ſed figura corporis ipſius Chriſti, præſentis tamen, non abſentis. Hoc igitur poſito fundamento, ita argumentatur contra Marcionem: Hæc figura, quæ antea erat panis, iam eſt figura corporis Chriſti: Atqui non poſſet iſta eſſe figura corporis Chriſti, niſi corpus Chriſti eſſet verum corpus, & non phantaſticum: eſt igitur corpus Chriſti verum corpus, & non phantaſticum. Maiorem propoſitionem non probat, quòd ea eſſet per ſe nota omnibus. Minorem verò ita probat, *vacua res, quod eſt phantaſma, non poteſt capere* (hoc eſt ſuſtentare) *figuram*(nempe realem, cuiuſmodi eſt iſta quæ remanet in Sacramento.) Quòd ſi dixerit Marcion ſubſtantiam panis remanere, & Chriſtum panem ſibi finxiſſe corpus ad hanc figuram ſuſtentandam, quia carebat vero corpore, quo poſſet eam ſuſtentare; *Ergo panem tradidit pro nobis, faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur.* Alludit enim Tertullianus ad illa verba 1. Corinthiorum 11. verſu 24. hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.

XV. Hunc eſſe veriſſimum ſenſum verborum Tertulliani inde conſtat, quòd illa propoſitio,

ex

ex qua pendet tota vis huius ratiocinationis: *vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poteſt*: duobus modis intelligi poteſt: primus eſt, quòd phantaſma nullam omnino poſſit habere figuram, qua repræſentetur. Hunc ſenſum ſequuntur aduerſarij. Verùm ſenſus iſte eſt planè falſus: conſtat enim chimæras, & alia phantaſmata pingi poſſe,& figurari, atque varijs figuris repræſentari: quare iuxta hunc ſenſum, infirmum ac friuolum eſſet argumentum Tertulliani. Alter modus intelligendi hæc verba eſt iſte, quòd ſola ſubſtantia vera, & non phantaſtica, aut ficta, poſſit ſuſtentare & conſeruare veram & realem figuram ſeu effigiem ſubſtantiæ (nimirum panis) quam videmus in Sacramento hoc remanere: & iſte ſenſus eſt ille, quem nos iam adduximus, & quem Tertullianus vrget contra Marcionem. Nam & iuxta hunc ſenſum alibi contra eundem Marcionem probat Tertullianus Chriſtum habuiſſe veram ſubſtantiam Dei, & veram ſubſtantiam hominis, quia vocatur figura Dei, & figura hominis: & quia figura ſine ſubſtantia eſſe non poteſt, neque phantaſmati conuenire. Verba eius ſunt iſta: *Quaſi non & figura, & ſimilitudo & effigies ſubſtantiæ quoque accedant.* Et paulò poſt: *Vtrobique enim* (loquitur de figura Dei,& hominis) *veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo, & figura phantaſmati vindicabitur.*

Tertul. lib. 5 aduerſus Marcionem cap. 20.

XVI. Eſt igitur hoc axioma à Tertulliano ſæpè vſurpatum, & apud illum certiſſimum; *figuram externam & realem ſubſtantiæ conſiſtere non poſſe ſine vera ſubſtantia*: ex quo infert

in Euchariſtia eſſe veram & realem ſubſtantiam corporis Chriſti: cùm figura & effigies illa realis, quæ poſt conſecrationem remanet in Euchariſtia, ſit iã corporis Chriſti figura, & non amplius figura panis, quæ non remanet; ſed nec remanere poteſt, niſi quis velit aſſerere, panem pro nobis eſſe traditum & crucifixum.

XVII. Ex his itaq; Tertulliani verbis quatuor habemus. 1. quòd Chriſtus dicendo, *hoc eſt corpus meum*, fecerit panem corpus ſuum. quo manifeſtè conuincuntur Caluiniani. 2. quòd poſt verba Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, effigies ſeu figura, quæ erat antea panis, iam non eſt amplius figura panis, ſed eſt figura ipſius corporis Chriſti. 3. quòd non poſſet effigies iſta eſſe figura corporis Chriſti, niſi verum Chriſti corpus eſſet ſub hac figura reipſa præſens: *figura autem non fuiſſet* (inquit Tertullianus) *niſi veritatis eſſet corpus*. 4. quòd poſtquam Chriſtus dixerat, *hoc eſt corpus meum*, non remanſerit ſubſtantia panis: quia ſi ea remanſiſſet, Chriſtus aſſeruiſſet panem fuiſſe crucifixum pro nobis.

XVIII. Sed neque quicquam facit contra nos, quòd Tertullianus dicat Sacramentum hoc eſſe *figuram corporis Chriſti*: Nam loquitur expreſsè de figura corporis præſentis, non abſentis, vt agnoſcunt etiam ipſi Caluiniani: quemadmodum ſuprà oſtendimus. Vbi etiam monſtrauimus, quòd ex tali figura euidenter probetur vera & realis præſentia Corporis Chriſti in hoc Sacramento.

Suprà Controuerſ. 3. c. 16. §. 10.

XIX. Denique hic obſeruandum eſt, Lutheranos non poſſe negare, quin ſenſus iſte, quẽ attulimus,

Lutherus to. 7. Latin VVitteberg.

ſit

ſit verus & germanus ſenſus verborum Tertulliani, niſi velint ſuum magiſtrum Lutherum dãnare. Nam ipſe ingenuè fatetur, ſibi exploratiſſimum eſſe, hanc quam explicuimus eſſe Tertulliani mentem & ſententiam.

edito anno 1557 fol 406. in fine, & fol 407. in princip. in defenſione verborũ cœnæ, hoc eſt corpus meum.

CAPVT III.

Diſſoluuntur argumenta, quæ contra Tranſſubſtantiationem deſumunt aduerſarij ex ipſa ſacra Scriptura.

PRIMVM atque præcipuum argumentum, I.
quod aduerſarij deſumunt ex Scriptura, eſt, quòd hoc Sacramentum etiam poſt conſecrationem ſæpè vocetur panis, 1. Cor. 11.

Reſp. 1. Etiãſi ita eſſet; nõ tamẽ hinc colligi poteſt neceſſaria cõſequẽtia, quòd ſubſtãtia panis remaneat. Nã vt aliquid appelletur panis, ſatis eſt, quòd remaneat externa forma panis, quòd remaneant & cætera accidentia, quæ efficiunt, vt illud, quod remanet, videatur panis. Id quod veriſſimum eſſe agnoſcit etiam ipſe Beza qui & addit, quòd hac ratione Angelus vocetur, *Vir Macedo, quia viri Macedonis ſpecie appareret, Act. 16. verſ. 9.* Et ſanè plurima ſunt loca Scripturæ, in quibus Angeli vocantur viri aut iuuenes, quòd in forma viri aut iuuenis apparuerint. Ob eandem etiam cauſam dicti ſunt equi ignei, & currus igneus, quibus ſublatus fuit Elias in cœlum: ſic quoque & linguæ igneæ, quæ apparuerunt ſupra Apoſtolos.

Beza 1. vol. tract. Theol tractat. 7 in dialogo contra Heshuſium p. 262. in fine edit. Geneu. an. 582.

Mar. 16. v. 5. qu. 24. v. 4. Act. 1. v. 10. Danielis 10.

4. Reg. 2 v. 11.

Act. 2. v 3.

Secundò reſpondeo, ſi rectè perpendantur loca II.

 Scri-

Digitized by Google

Scripturæ,& mos loquendi, quo illa vtitur iuxta vſitatam Hebræorum phraſim, facilè conſtabit hoc Sacramentum poſt conſecrationem nunquam vocari panem, vt panis ſignificat panem à piſtore coctum: verùm in omnibus locis, in quibus hoc Sacramentum vocatur panis, vox panis ſumitur generaliter pro quouis cibo. Nam vox Hebræa לחם *Léchem*, qua panis ſignificatur, duobus modis vſurpatur in Scriptura, primò propriè iuxta etymologiam vocis Hebrææ: & hac ratione ſignificat omnem cibum, ſeu omne quod comedi poteſt. Radix enim, à qua illa vox deriuatur, nẽpe לחם *Lacham*, ſignificat comedere: Quare לחם *Léchem*, propriè ſignificat omne, quod comedi poteſt. Et quia inter omnes cibos panis eſt præcipuus, & vſitatiſſimus, hinc eſt, quòd vox Hebræa ſecundaria ſua ſignificatione, & minùs propria per antonomaſiam ſignificet panem coctum ſeu piſtum.

III. Porrò quòd vox panis in Scripturis abſolutè
1. Reg. 14. v. 24. 27. 28. & 43. poſita omnem cibum ſignificet, ſatis conſtat ex illo edicto Regis Saul, qui cùm interdixiſſet, ne quis panem comederet vſque ad veſperam, reus deprehenſus eſt Ionathas, qui non panem piſtum, ſed parum mellis dumtaxat deguſtauerat. Quare vox panis in Scriptura iuxta Hebraicam phraſim, niſi aliquo adiecto limitetur, ſignificat omnem cibum, ſeu eſcam. Hinc illud, quod nos habemus in vulgata editione: *Qui dat eſcam omni carni*: In Hebræo aduerbium habetur: Dans לחם *Léchem*, (id eſt, panem) omni carni. *Pſal. 135. vel iuxta Hebræos 136. v. 25.*

IV. In nouo etiam Teſtamento frequentiſſima eſt
Matt. 15. v. 2. Marc. 3. v. 20. iſta vſurpatio panis: hinc *manducare panem* ſignificat quemuis cibum comedere; Item prandere

aut

Digitized by Google

aut cœnare. *Luc.14.v.1. ad Theſſ.3. v.11. & 12.*

Et ſatis conſtat, in ſermone illo egregio, quem de hoc Sacramento habuit Chriſtus, Ioannis capite ſexto, panem frequenter ſumi generaliter pro quouis cibo. Nam non tantùm Manna vocatur ibi panis (quia nimirum fuit cibus quidam;) ſed & Chriſtus ſe ipſum vocat panem verſu trigeſimo quinto & quadrageſimo octauo, hoc eſt, cibum De quo etiam pane paulò pòſt dicit verſu quinquageſimo ſecundo: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* Caro enim Chriſti eſt panis, quia eſt verus cibus, iuxta illud, quod eodem loco ſubiungit Chriſtus verſu quinquageſimo ſexto: *Caro mea verè eſt cibus.* Conſtat igitur panem in ſexto capite Ioannis ſignificare cibum. Similiter cùm dicit Apoſtolus, *Panis quem frangimus, &c.* vox *panis* vſurpatur pro quouis cibo, vt conſtat non tantùm ex voce *fractionis* adiecta (de qua alibi) ſed etiam ex verbis, quæ ſtatim ſequuntur: *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Enimuerò neque ſumus nos vnus panis piſtus; neque participamus omnes ex eodem pane piſto: ſed ſumus vnum corpus Chriſti, atque ex eodem Chriſti corpore omnes participamus: quod corpus Chriſti eſt verè panis, ſi panis pro cibo ſumatur: *caro mea* (inquit Dominus) *verè eſt cibus.* V. *Ioan.6.v.31.& 32.* *1.Cor.10.v.16.* *Ib.v.17.* *Ioan.6.v.56.*

VI. Quod verò attinet ad caput vndecimum prioris Epiſtolæ ad Corinthios (quod maximè vrgent aduerſarij) dicit quidem Apoſtolus illos, qui mãducant corpus Chriſti, manducare panem; idque ter dumtaxat, nimirum verſu 26. 27. & 28. Sed Apoſtolus vbique declarat ſe loqui de pane, non vt ſignificat panem à piſtore coctum, ſed vt ſignificat cibum quemcumque, quo-

modo

modo ipſa caro Chriſti eſt panis, hoc eſt, cibus, Chriſto Domino atteſtante, vt diximus. Nam quemadmodum vox panis, quando opponitur vino quod eſt certum genus potus, ſignificat certum genus cibi, nimirum, panem piſtum, vt videre eſt Geneſeos 14. verſu 18. Ad eundem planè modum quando panis opponitur calici, ſicut calix vox eſt generalis ſignificans omne genus potus, ita panis generalis eſt vox, denotans quemuis cibum: Oppoſitorum enim eadem eſt ratio. Exemplum etiam huius rei extat 2. Regum 12. v. 3. In hoc autem capite 11. Apoſtolus vbique pani opponit calicem, vinum nunquam: Imò vini nullam vſquam facit mentionem; cuius ſine dubio vel ſemel mentionem feciſſet, ſi locutus fuiſſet de pane, vt ſignificat certum genus cibi. Cùm igitur Apoſtolus pani nunquam opponat vinum, ſed ſemper calicem, ſatis apertè oſtendit ſe loqui de pane generaliter accepto, qua ratione calici opponitur.

Ioan 6. v. 56.

VII. Præterea ea, quæ Apoſtolus huic pani attribuit, conuenire non poſſunt pani piſto. Nã dicit hunc panem *eſſe corpus Chriſti pro nobis fractum ſeu traditum*. Item, *hoc pane annunciari mortem Chriſti.* Ad hæc, *Illum, qui hunc panem indignè manducat, reum eſſe corporis Domini: Iudicium ſibi manducare: nõ dijudicare corpus Domini:* quæ pani piſto conuenire non poſſunt. At hæc omnia optimè conueniant pani iuxta natiuam & amplam ſignificationem vocis panis, qua ſignificat quemuis cibum: omnia enim iſta conueniunt corpori Chriſti, quod eſt verè cibus: *Caro mea* (inquit Domin⁹) *verè eſt cibus.* Verè enim manducatur in Sacramento ipſa Chriſti caro, ac proinde verus cibus eſt, & verus panis, ſi panis ſumatur pro quouis cibo. Neceſſe eſt

1. Cor. 12. v. 24.
Ib. v. 26.
Ib. v. 27
Ib. v. 29.
Ioan. 6. v. 5[illegible].

eſt igitur, vt panis nomine apud Apoſtolum intelligatur cibus, nimirum ipſum Chriſti corpus, quatenus in Sacramento comeditur iuxta natiuam, principalem & propriam ſignificationem vocis Hebraicæ לחם *Léchem.*

Secundum argumentum aduerſariorum eſt paulò ſubtilius: Nã illud ex Doctoribus ſcholaſticis mutuati ſunt, ſolutione conſultò relicta: quo nihilominus argumento ſæpè vtuntur tam Lutherani, quàm Caluiniani, quanquam ad diuerſos fines, vt iam dicemus. Eſt autem argumentum huiuſmodi: Quando Chriſtus dixit, *hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc* aliquid tunc præſens & exiſtens demonſtrabat, atqui nihil aliud demonſtrare poterat, niſi panem: nihil enim erat aliud re ipſa præſens, quia etiam ſecundùm nos corpus Chriſti non incepit ibi eſſe, niſi finita tota ſententia. Senſus igitur verborum Chriſti erat iſte, *hic panis eſt corpus meum.* Huc vſque conueniunt Lutherani cum Caluinianis; ſed in reliqua collectione differunt. Nam Lutherani hinc colligũt panẽ manere vnà cũ corpore Chriſti; At Caluiniani hinc colligũt verba illa Chriſti, *hoc eſt corpus meũ*, nõ eſſe propriè, ſed figuratè intelligẽda, cũ panis nõ poſſit verè & propriè dici corpus Chriſti, ſed figuratè dũtaxat. Quod non tantũ eſt contra Catholicos, ſed etiam cõtra Lutheranos. Vt diſſoluatur hoc argumẽtum, explicandum nobis erit, quidnam demonſtret pronomen *hoc* in illis Chriſti verbis, *hoc eſt corpus meum.* Et quamuis variè de hac re ſcribant ſcholaſtici, probabilior tamen eſt eorum ſententia, qui aſſerunt pronomen *hoc* demonſtrare ipſum corpus Chriſti, quod in prædicato ponitur. Quã ſententiam fuſiùs proſequuntur & probant VIII.

Clau-

Claudius de Sainctes repet. 7. c. 7. de Euch. Maldonat. in c. 26. S. Matt. ad v. 26. Gabriel Vaſquez to. 3. in 3. parte S. Thomæ, per totum diſp. 201.

Claudius de Sainctes, Maldonatus, & Gabriel Vaſquez.

Porrò hæc difficultas ab alia pendet, qua quæritur, an particula *hoc* ſumatur ſubſtantiuè, an adiectiuè: Nam ſi ſumatur ſubſtantiuè, vt ſenſus ſit, *hoc, id eſt, hæc res, vel hæc ſubſtantia eſt corpus meum:* pronomen *hoc* neceſſariò demonſtrabit rem tunc ſubſiſtentem. Quare illi, qui affirmant *hoc* ſubſtantiuè ſumi, dicunt conſequenter, *hoc* demonſtrare rem, vel ſubſtantiam, vel aliquid ſimile,
IX. quod eſt cõmune tam pani, quàm corpori Chriſti. Sed ſi ſumatur pronomen *hoc* adiectiuè, non poteſt aliud ſignificare, aut demonſtrare, niſi ſuũ ſubſtantiuum, nempe *corpus meum*; cum quo conuenit in genere, numero & caſu, vt adiectiuum cum ſuo ſubſtantiuo. Quòd autem pronomen *hoc* ſumatur adiectiuè, non ſubſtantiuè, & conſequenter, quòd aliud non demonſtret, niſi corpus Chriſti, quod ponitur in prædicato, duæ rationes conuincere videntur.

Prior ratio eſt, quia pronomen demonſtrati-
X. uum non aliter ſumitur, quando Chriſtus loquitur de corpore ſuo, quàm ſumatur paulò pòſt, quando loquitur de ſanguine ſuo; ſed cùm dicit de ſanguine ſuo, *hic eſt ſanguis meus:* pronomen demonſtratiuum adiectiuè ſumitur, non ſubſtantiuè: Si enim ſubſtantiuè ſumeretur, dicendum fuiſſet, *hoc eſt ſanguis meus*, nõ autem, *hic eſt ſanguis meus*, quia pronomen non poteſt ſumi ſubſtantiuè, niſi ponatur in neutro genere; Atque omnes antiqui Patres Latini, cùm citant verba ſancti Matthæi & ſancti Marci, perpetuò legunt, *hic eſt ſanguis meus*, nunquam autem, *hoc eſt ſanguis meus*. Similiter & omnes interpretes Scripturæ in Euangelijs Matthæi & Marci vertunt

Matt. 26. v. 28. Marc. 14. v. 28.

Matt. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24.

Digitized by Google

tunt ex Græco, *hic eſt ſanguis meus*; etiam ipſe Caluinus.

Scio Bezam auſum eſſe ita ex Græco vertere: *hoc eſt ſanguis meus*, vt ſuam hæreſim confirmaret, quòd hac ratione pronomen *hoc* demonſtraret vinum, nō ſanguinem Chriſti, vt Beza exiſtimat. Agnoſcit quidem Beza ſe eſſe authorem huius verſionis, ſed conatur ſe excuſare authoritate ſancti Cypriani. Verùm in correctioribus & antiquioribus libris ſancti Cypriani non habetur *hoc*, ſed *hic eſt ſanguis meus*. Lectio autem illa Bezæ eruta eſt ex deprauato aliquo exemplari: vt euidenter oſtendit ex antiquioribus exemplaribus Iacobus Pamelius in ſuis annotationibus ad ſanctum Cyprianum. Immò in ſermone de cœna Domini (quem ſancti Cypriani eſſe non ſemel agnoſcit Beza) in omnibus codicibus habetur, *hic eſt ſanguis meus*. Similiter Lucæ vigeſimo ſecundo, verſu vigeſimo: & primo ad Corinthios vndecimo, verſu vigeſimo quinto, omnes Patres Latini legunt, *hic eſt calix*, non autem, *hoc eſt calix*. Cùm igitur in verbis calicis pronomen ſumatur adiectiuè apud omnes Euangeliſtas, & ſanctum Paulum iuxta vulgatam editionem, & communem tranſlationem Patrum Latinorum, non eſt veriſimile, quòd eadem vox ſumatur ſubſtantiuè, quando Chriſtus loquitur de ſuo corpore. Et hæc quidem prior ratio ſufficit ad conuincendos Catholicos, qui vulgatam editionem recipiunt: atque etiam ad conuincendos illos hæreticos, qui authoritatem antiquorum Patrum non reijciunt. Nam alioquin non ignoramus in Græco textu ambiguam eſſe locutionem in verbis, *hic eſt ſanguis meus*, &, *hic eſt calix*, quòd in Græco τὸ αἷμα (id eſt ſanguis) & τὸ

XI.

Beza in vlt. ſuis annot. ann. 1598. ad verſ. 28. c. 26. S. Matt.

Pamelius ad epiſt. 63. S. Cypriani, nu. 30.

Beza vol. 1. tract. Theolog. tract. 6 de cœn. Domini contra VVeſtphalum Lutheranũ, cùm reſpōdet ad cap. 18. lib. VVeſtphali pag. 229. Item tract. 9. aduerſus Ioannem Brentium Lutheranũ, cùm reſpōdet ad 3. part. lib. Brutiani pag. 606. iuxta edit. Geneuēſem an. 1582.

ποτήριον (id eſt calix) ſint neutrius generis, non maſculini.

Poſterior ratio (quæ etiam efficax eſt contra hæreticos) eſt hæc. Oſtendi non poteſt, quòd in vllo Scripturæ loco pronomen *hoc* ſubſtantiuè vſurpetur in tali demonſtratione: non eſt igitur aſſerendum, quòd in his verbis cœnæ ſumatur ſubſtantiuè: Acceptio enim iſta ſubſtantiua etſi à Philoſophis aliquando vſurpetur, tamen in ſacris literis nuſquam extat. Quod ita oſtendimus: Non poteſt certò colligi, quòd pronomen *hoc* in ſubiecto ſumatur ſubſtantiuè, niſi quando genere differt ab attributo, ita vt pronomen ſit neutrius generis, & attributum maſculini vel fœminini: vt cùm dico, *hoc eſt lapis, hoc eſt mulier*. Nam quando pronomen *hoc* in ſubiecto conuenit in genere cum attributo, ſignificatio & demonſtratio ſubiecti arctatur & reſtringitur per attributum, ita vt *hoc* aliud non demonſtret aut ſignificet quàm illud, quod ſignificat attributum. Atque hinc eſt, quòd quando attributum ſignificat ſubſtantiam, pronomen *hoc* in ſubiecto demonſtret ſubſtantiam, & quando attributum ſignificat accidens, pronomen *hoc* in ſubiecto demonſtret accidens: quemadmodum etiam ſuprà diximus. Porrò in ſacris literis nullus inuenitur locus, in quo pronomen demonſtratiuum in ſubiecto collocatum differat genere ab attributo, ſed vbique conuenit cum attributo in genere, numero, & caſu. Nã quando attributum eſt maſculini generis, pronomen eſt maſculini generis, & quando attributum eſt fœminini generis, pronomen quoque eſt eiuſdem generis. Denique pronomen *hoc* nunquam ponitur in neutro genere, niſi quando attributũ eſt neutrius generis. Id quod his exemplis compro-

Sup. cap 1. huius Controuerſiæ §. 17.

probatur, *hic eſt filius meus dilectus*, non autem, hoc eſt filius meus: *hæc eſt vita æterna*, non autem, hoc eſt vita æterna: *hic eſt hæres*, non autem, hoc eſt hæres: *hæc eſt gloria noſtra*, non autem, hoc eſt gloria, & ita in reliquis omnibus huiuſmodi locutionibus. Cùm igitur pronomẽ *hoc* nuſquam in Scripturis ſumatur ſubſtantiuè, ſed ſemper adiectiuè; non eſt aſſerendum, quòd hic ſumatur ſubſtantiuè, ſed quòd iſto in loco adiectiuè etiam ſumatur: & conſequenter, quòd in verbis Chriſti *hoc* demonſtret ſuum attributum, nimirum corpus Chriſti.

Matt.3.v.vlt. Ioan.17.v.3. Matt.21.v.38. 2. Corinth.1.v.12.

XIII. Argumentum autem, quo aduerſarij vtuntur, eſt valdè infirmum, nempè quòd corpus Chriſti nondum erat præſens in Euchariſtia, quando Chriſtus protulit vocem *hoc*: Nam in primis norunt omnes in dialecticis vel parum verſati, propoſitionem non habere veritatem aut falſitatem, donec tota abſoluatur: ſatis ergo fuit ad veritatem huius propoſitionis, *hoc eſt corpus meum*, quòd abſoluta tota propoſitione illud fuerit præſens, quod demonſtrabatur, nempe corpus Chriſti.

XIV. Deinde friuolum eſt exiſtimare pronomen demonſtratiuum *hoc*, cùm iungitur verbo præſentis temporis, ſemper demonſtrare rem iam exiſtẽtem, & præſentem; id quod aduerſarij ponunt tanquam certum. Etenim pronomen *hoc* cum verbo præſentis temporis, aliquando demonſtrat rem præteritam, aliquando pręſentem & iam exiſtentem, aliquando mox futuram, aliquando diu pòſt ſubſecuturam. Et ratio horum omnium eſt, quia pronomen *hoc* in ſubiecto demonſtrat prædicatum, & conſequenter eius ſignificatio & demonſtratio fit amplior aut ſtrictior ratione prædicati, quod demonſtrat; quare, quando prædica-

Digitized by Google

tum ſignificat rem præteritam, etiãſi verbum ſit præſentis temporis, *hoc* in ſubiecto demonſtrat rē præteritam: & quando prædicatum ſignificat rem præſentem, *hoc* in ſubiecto demonſtrat rem præſentem: & quando prædicatum ſignificat rem futuram, *hoc* in ſubiecto demonſtrat rem futuram: etſi verbum ſit *temporis præſentis*. Plurima extant in ſacris literis exempla horum omnium. Nonnulla adducemus, in quibus *hoc* demonſtrat futura (nam de præteritis & præſentibus non eſt controuerſia) & quidem in ipſa prima inſtitutione Sacramentorum & ſacrificiorum veteris teſtamenti: quo ex his conſtare poſſit, valdè conſentaneum fuiſſe Chriſtum vti eodem loquendi modo in inſtitutione huius Sacramenti & ſacrificij. Etenim cùm inſtituta fuit circumciſio, ita locutus eſt Dominus ad Abraham: *hoc eſt pactum meum:*
Gen.17.v.10. vbi *hoc* demonſtrabat circumciſionem, quæ nondum erat præſens, ſed aliquanto pòſt futura. Sic de ceremonijs obſeruandis in manducatione agni paſchalis ita locutus eſt Dominus ad Moyſem:
Exod.12.v.43. *hæc eſt Religio phaſe*, vbi pronomen hæc demon-
Leuit.6.v.9.10.20.25. Item Leuit.7.v.1.& 11. ſtrat rem diu pòſt ſubſecuturam. Similis phraſis, cùm de ſacrificijs futuris agitur, extat in varijs locis Leuitici, alijſque locis non paucis.

XV. Ad hæc obſeruandum eſt, iſtud eſſe diſcrimen inter propoſitionem ſpeculatiuam & practicam, quòd ſpeculatiua poſſit ſignificare rem præteritam, vel præſentem, vel futuram, ſed practica nō ſignificat rem præteritam aut præſentem, ſed mox futuram: abſoluta nimirum & finita tota illa propoſitione. Alioqui enim practica, iam nō erit practica ſed ſpeculatiua dumtaxat. Porrò ſpeculatiuam eam appellamus, quæ tantùm ſignificat, ſed nihil efficit: At practica eſt illa, quæ efficit

cit illud, quod ſignificat: quæ etiam à vi efficiendi, quam habet, vocatur propoſitio efficax: cuiuſmodi fuerunt illa verba Chriſti: *Volo mundare, remittuntur tibi peccata tua*: & illa ſancti Petri: *Surge & ambula*: effecerunt enim illud quod ſignificabant. Quare in huiuſmodi locutionibus neceſſe eſt, vt non ante finem orationis, quando ſignificatio completur, ſequatur effectus vnà cum ſignificatione: verbi gratia, quãdo dixit Chriſtus, *Lazare veni foras*, vox, *Lazare*, ſignificabat Lazarũ mox futurũ finita tota propoſitione. Sic cũ dixit Chriſtus: *Adoleſcens tibi dico ſurge*. & iterũ; *puella tibi dico ſurge*: deſignabat Adoleſcentem mox futurum, & puellam mox futuram. Iam verò verba Chriſti: *hoc eſt corpus meum*: ſunt practica: efficiunt enim quod ſignificant: nimirum, realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia: Atque hinc eſt, quòd non habent effectum aut ſignificationem, niſi finita tota ſententia. Huiuſmodi tamen propoſitiones practicæ proferuntur per verba temporis præſentis, non futuri; vt certi reddamur de effectu verborum, vtque certi ſimus effectum abſoluta tota ſententia continuò ſecuturum. Quemadmodum & ob hanc eandem cauſàm Scriptura ſacra ſæpè vtitur præſenti tempore pro futuro: vt ſuprà multis exemplis declarauimus. Itaque quando Chriſtus dixit: *manducate ex hoc omnes: hoc eſt enim corpus meum*: (vt habet Canon Miſſæ) Item: *Bibite ex hoc omnes*: *hoc* vbique demonſtrat corpus Chriſti futurum, vel ſanguinem eius futurum, finitis ſtatim verbis conſecrationis: ſed non demonſtrat ea quæ iam erant, quia ita enunciatio iſta fuiſſet merè ſpeculatiua, & non practica. Verùm enimuero, cùm illa ſit practica, neceſſarium planè

Mat. 8. v. 3.
Mat. 9. v. 2.
Act. 5. v. 6.
Ioan. 11. v. 43.
Luc. 7. v. 14.
Luc. 8. v. 54.
Matt. 26, v. 26.
Suprà controuer. 3. cap. 1. 5. 4. & 5.

Digitized by Google

fuit, vt corpus Chriſti nondum eſſet præſens, quando Chriſtus protulit vocem *hoc*, ſed vt tum primò adeſſet, cùm abſoluta fuit tota propoſitio. In his itaque Chriſti verbis nulla eſt difficultas, cùm ſint practica & non ſpeculatiua, quæ proinde errorem aduerſariorum detegunt. Sed hoc fefellit aduerſarios, quòd non diſtinguunt inter enunciationes practicas & ſpeculatiuas, exiſtimátes eandem planè eſſe rationem ſpeculatiuarum, & practicarum, quod omninò abſonum eſt.

XVI. Denique quamuis *hoc* demonſtret corpus in verbis Chriſti *hoc eſt corpus meum*: non tamen inde conficitur, quòd in his verbis Chriſti ſit tautologia, vt aduerſarij ſolent criminari. Nam quemadmodum cùm dico, homo eſt animal rationis particeps, tautologia non eſt, etiamſi ſubiectum & attributum idem ſignificent: quia non eodem modo, ſed diuerſo illud idem ſignificant. Ad eũdem modum in verbis Chriſti alio modo ſignificabat particula *hoc* in ſubiecto, corpus Chriſti, & aliter vox, *corpus meum*, in attributo: Nam *corpus meum*, in attributo, ſignificabat corpus Chriſti abſolutè & ſine vlla reſtrictione: ſed particula *hoc* in ſubiecto ſignificabat & demonſtrabat corpus Chriſti, quatenus illud fuit præſens ſub ſpecie panis, tota enunciatione abſoluta: & quatenus Chriſtus illud tunc manu offerebat: vt loquitur Concilium Tridentinum. Nam alioqui in omni propoſitione affirmatiua vera idem ſignificat ſubiectum, quod attributum: (Eſt enim falſa illa propoſitio, in qua aliud ſignificat ſubiectum, & aliud attributum, vt cùm dico, homo eſt lapis) ſed alio modo ſignificat ſubiectum, & alio modo attributum: quod ſatis eſt, vt tautologia omnis euitetur.

Conc. Tridentin. ſeſſ. 13. c. 1.

Ter-

Tertium argumentum. Chriſtus poſt datum calicem ſanguinis dixit : *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Ergo in calice erat genimen vitis, ſeu vinum vnà cum ſanguine Chriſti. Ita Lutherani : at Caluiniani eodem argumento contendunt id, quod fuit in calice, fuiſſe merum vinum, & non ſanguinem Chriſti. Reſpondeo, non eſt certum, an verba illa Chriſti, *Non bibam amodò,* &c. dicta fuerint poſt datum calicem ſanguinis, an potiùs ante totam inſtitutionem huius Sacramenti, quando Chriſtus dedit alium illum calicem legalem, qui poſt eſum agni Paſchalis dari ſolebat, & cuius meminiſſe videtur ſanctus Lucas, qui ſcripſit poſt ſanctum Matthæum & Marcum, quique de vtraque cœna, legali, & ſacramentali fuſiùs agit. Nam S. Lucas videtur dicere Chriſtum poſt calicem legalis cœnæ, ante datum calicem ſanguinis, hæc verba protuliſſe: Quod etiam probabilius eſſe multis argumentis probat Bellarminus. Hoc ſi concedatur, manifeſtũ eſt ex illis verbis Chriſti nihil colligi poſſe contra nos: cùm illa prolata fuerint non poſt datum calicem ſanguinis, vt ponunt aduerſarij: ſed ſtatim poſt datum poculum legale, antequam Chriſtus dediſſet corpus aut ſanguinem ſuum. Quare mirum ſanè eſt, quòd Caluiniani, qui quamuis fateantur iſta verba eſſe dicta ſtatim poſt calicem legalem, & ante datum calicem ſanguinis, nihilominùs iſta verba nobis obijciant. *Non dubito* (inquit Caluinus) *Chriſtum ex more vetuſto libaſſe in ſacro conuiuio* (Ita ille appellat eſum agni Paſchalis,) *quod ritè peragi aliter non poterat: Idque diſertè refert Lucas, antequam ad noui myſterij narrationem deſcendat*. Idem planè docet Beza: qui id quoque probat ex conſuetudine, quam adhuc ob-

XVII. *Matt.26. v.29. Marc.14. v.25.*

Luc.22.v. 17.& 18.

Bellarminus lib.1.de Euchariſtiæ cap.11. ad vlt. argumẽtum.

Cal ad c. 26 Mat. ante v.26.

Beza in cap.22.S. Lucæ ad v. 20.

Digitized by Google

ſeruant Iudæi, qui ſtatim poſt cœnam paſchalem porrigunt poculum legale. & nihilominus idem Caluinus paulò pòſt ex his verbis, *Non bibam amodo*, &c. conatur probare Chriſtum non ſuum ſanguinem dediſſe, ſed purum vinum: quaſi Chriſtus hæc verba dixiſſet poſt datum calicem ſanguinis, quod ipſe paulò antea negauerat. Verùm nos longè ſolidiùs contra illos colligimus Chriſtum ſolum ſanguinem ſuum dediſſe, non autem vinum: nam cùm Chriſtus dixerit iſta verba: *Non bibam amodo*, &c. ſtatim poſt datum poculum legale, & antequam traderet ſecundum calicem ſacramentalem: vt ipſi Caluiniani fatentur, ſi in ſecundo calice fuiſſet vinum, Chriſtus bibiſſet ex generatione vitis contra illud, quod paulò antea dixerat, *Non bibam amodo* de generatione vitis. Omnes enim fatentur Chriſtum bibiſſe etiam ex ſecundo calice ſacramentali: & nemo eſt, qui dubitet, quin vinum ſit genimen, ſeu fructus vitis: quare vel nullum vinum fuit in ſecundo calice, ſed ſanguis dumtaxat Chriſti: vel certè Chriſtus non ſtetit promiſsis; quod ne cogitari quidem poteſt ſine maxima blaſphemia.

Caluinus in cap. 26. Matt. ad v. 26. non procul à fine.

Deinde etiamſi concedamus aduerſarijs, Chriſtum poſt datum calicem ſanguinis ſui dixiſſe iſta verba, *Non bibam amodo*, &c. vt Sanctus Mattheus & Marcus videntur inſinuare: tamen illa nobiſcum potius faciunt, quàm cum aduerſarijs. Non enim appellat Chriſtus id quod fuit in calice vinum, quod ſine dubio feciſſet, ſi dediſſet vinum, quemadmodum in alijs locis Scripturę vinum paſſim vocatur vinum: ſed Chri-

XVIII. *Matt. 26. v. 29. Marc. 14. v. 25.*

Chriſtus vocauit illud, quod dederat in calice, genimen ſeu generationem vel fructum vitis, quod eſt nomen longè generalius quàm nomen vini, vtpote quod non tantùm ſignificat vinum, ſed & alia multa, quæ quamuis ex vite naſcantur, tamen vina non ſunt. Id quod euidenter conſtat ex ipſa Scriptura: Nam in libris Numerorum & Iudicum multa numerantur genimina vitis præter vinum; quæ etiam omnia Nazaræis fuerunt prohibita. Præterea gemmæ vitium, flores, folia, palmites, botri, vuæ, acini, vinacei, ſunt etiam genimina vitis: Immo Beza fatetur vocem Græcam γέννημα etiam ſtirpibus conuenire. Denique vinum non poteſt dici genimen vitis niſi figuratè, ſicut homo dicitur terra, quia de terra factus eſt. Nam fructus ſeu genimina vitis propriè loquendo ſunt ipſæ vuæ: vinum autem fit arte humana ex vuis expreſſis, ſicut & panis fit humano artificio: & nihilominus nullus eſt Euangeliſtarum, qui vtatur proprio nomine vini, ſed omnes tres Matthæus, Marcus, & Lucas vtuntur ſemper hac periphraſi (genimen vitis) quod alibi nuſquam faciunt; cùm longè faciliùs illis fuiſſet vinum ipſum nominare. Quod non ob aliud facere poterant, niſi vt declararent illud, quod fuerat in calice conſecrato, non fuiſſe vinum, ſed dumtaxat γέννημα τῆς ἀμπέλου, id eſt, genimen vitis. Qualitates enim vini & accidentia, quæ remanent poſt conſecrationem, etſi non ſint vinum, quia carent vini ſubſtantia: ſunt tamen verè genimina vitis, quia è vite oriuntur & gignuntur: rectè igitur & propriè vocatur id, quod eſt in calice

Num 6. v. 3. & 4.
Iudic. 13. v. 14.
Beza in c. 26. Matt. ad v. 29.
Matt. 26. v. 29.
Marci 14. v. 25.
Lucæ 22. v. 18.

conſecrato, genimen vitis, à tribus illis Euangeliſtis: at vinum nuſquam appellatur in Scripturis.

XIX. Quartum argumentum eſt Caluini. *Chriſtus etiam dixit, hic eſt calix: Ergo ſecundùm eos* (Catholicos intelligit) *non modò vinum, ſed materiam, ex qua conflatus eſt calix, neceſſe erit tranſubſtantiari in ſanguinem.* hæc Caluinus. Reſpondeo, quemadmodum per illa verba Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, panis fuit tranſubſtantiatus in corpus Chriſti; ita per illa verba, *hic eſt calix*, tranſubſtantiatus fuit calix in ſanguinem Chriſti, hoc eſt, vinum quod calice continebatur. Neque enim ſignificat vox *calicis* apud Sanctum Lucam, & Sanctum Paulum, vas, aut poculum, in quo bibebat Chriſtus, ſed ſignificat illud quod poculo illo continebatur, vt ſuprà ſatis euidenter probauimus, hoc autem, quod poculo continebatur, ante verba Chriſti fuit vinum, poſt illa prolata fuit verus Chriſti ſanguis: atque ad hunc modum verum eſt calicem fuiſſe tranſubſtantiatum in cœna, hoc eſt, vinum quod calice continebatur.

Caluin. in ſua harmonia in c. 26. Matt. ad v. 26.

Lucæ 22. v. 20. 1. Corin. 11. v. 25.

Suprà controuerſia 3. cap 9. §. 9. & 10.

XX. Quintum argumentum (quod ſæpiſſimè repetunt tam Lutherani quàm Caluiniani) eſt huiuſmodi. Cõſtat ex Scripturis Euchariſtiam eſſe verum ſacramentum: Atqui neceſsè eſt, vt in omni ſacramento remaneat ſignum viſibile, quo ſublato ſacramentum conſiſtere non poteſt: Si ergo deſinant panis & vinũ per tranſubſtantiationem, neceſſe erit ſacramentum ipſum interire, cùm alia non ſit hic materia ſacramenti. Sed facilis eſt reſponſio, ſolam enim ſubſtantiam panis & vini aſſerimus tranſubſtantiari, quæ cùm ſit planè inuiſibilis, nec ab vllo ſenſu percipi poſſit, nõ poteſt habere rationẽ aut naturã ſigni: cùm

omne

omne ſignum ſacramentale ſit ſenſibile. Tota autem & integra eſſentia & natura ſigni viſibilis in ſacramenti Euchariſtia, conſiſtet in accidentibus panis & vini, quæ remanēt, & ſunt ſenſibilia non minùs, quàm ante tranſubſtantiationem fuerunt. Quemadmodum & ſpecies illa columbæ, quæ apparuit ſupra Chriſtum, non minùs erat verum, & aptum ſignum Spiritus Sancti, quàm ſi adfuiſſet vera columbæ ſubſtantia, quæ tamen non adfuit. Et ſimiliter ſpecies curruum, equorum, & aliorum animalium, quæ ſæpè apparebant Prophetis in veteri Teſtamento, & Sancto Ioanni in Apocalypſi, non minùs habebant veram & propriā rationē ſignorum, quàm ſi ſub illis ſpeciebus fuiſſet vera ſubſtantia illorum animalium, quam conſtat non fuiſſe. Nihil igitur pertinet ſubſtantia inuiſibilis panis & vini ad naturam ſigni ſeu ſymboli Euchariſtici.

Matt. 3. v. 16. Luca 3. v. 22. Ioan. 1. v. 32.

Ezechiel. 1. & 10. Apocalyp. 9. v. 16. & 17.

CAPVT IV.

Diluuntur argumenta aduerſariorum deſumpta ex Patribus & rationibus naturalibus.

I. VARIA argumenta ex Patribus deſumunt aduerſarij, ſed quæ ſunt ferè omnia leuiſſima. Nā ſi quis legat ipſa verba Patrū, ac precedentia atque ſequentia, facilè animaduertet illa eſſe friuola. Omnia etiam illorum argumenta ſigillatim refutat & prolixè Bellarminus. Nos præcipua tantùm, & quæ maiorem videntur habere difficultatem, examinabimus.

Bellarmin. per totum 2. librū de Euchariſtia.

II. Porrò argumenta omnia aduerſariorum ad

duo genera reducuntur. Primum genus argumentorum inde conficiũt, quòd Patres ſæpè vocant Euchariſtiam panem & vinum. Sed id faciunt propter tres rationes. Prima eſt, vt omnes intelligant, quænam ſit vera huius Sacramenti materia: non enim poteſt confici hoc ſacramentum niſi ex pane & vino: ea verò, quæ in alia mutantur, ſolent retinere nomina rerum præcedentium, ex quibus illa fiunt. Sic homo vocatur *puluis*, quia ex puluere factus eſt: & virga Aaronis, etiam poſtquam verſa fuit in Dracone, vocatur nihilominus *virga*, quia draco ille factus fuerat ex virga. Itaque meritò vocãt Patres corpus & ſanguinem Chriſti panem & vinum, vt ſignificent corpus & ſanguinem Chriſti fieri ex pane & vino, non autem ex alia materia.

Gen. 3. v. 9. *Exodi 7. v. 12.*

III. Secunda ratio eſt, vt oſtendant hic eſſe ſacrificium ſecundùm ordinẽ Melchiſedech, qui panẽ & vinum obtulit, debebat igitur in hoc ſacrificio eadẽ ſpecies externa ſeruari. Atque hinc eſt, quòd omnes externæ qualitates panis & vini remaneant; atque ob hanc cauſã Euchariſtia vocatur panis & vinum, ſicut Angeli in ſacris literis vocantur viri & iuuenes, quia in externa forma virorum aut iuuenum apparuerunt, vt diximus.

Gen. 14. v. 15. *Suprà cap. 3. huius cõtrouerſiæ, §. 1.*

IV. Tertia ratio eſt, quia Patres loquuntur de pane eo modo, quo loquitur Scriptura ſacra, in qua panis nomine ſignificatur omnis cibus: vt ſuprà etiam oſtendimus. Sic loqui Tertullianum manifeſtũ eſt, cùm dicit, quòd *corpus Chriſti in pane cẽſetur:* nam paulò antea dicit, quòd *Chriſtus panis noſter eſt*, (id eſt, cibus noſter) & eo in loco explicat Tertullianus illa verba orationis Dominicę, *panẽ noſtrũ quotidianũ*, &c. quibus in verbis conſtat nomine panis omnem cibum cõprehendi. Eſt igitur

Suprà c. 3. præcedenti §. 2. & ſequentibus. *Tertul. lib. de oratione cap. 6.* *Ioan. 6. v. 56.*

Digitized by Google

gitur corpus Chriſti verus panis, quia eſt verus cibus: *Caro mea verè eſt cibus*, inquit Dominus.

Secundum genus argumentorũ deſumunt aduerſarij ex quibuſdã antiquis ſdcriptoribus, qui dicunt *ſubſtantiam vel naturam panis remanere in Euchariſtia etiam poſt conſecrationem:* & inter omnia aduerſariorũ argumenta iſta ſunt, quæ videntur habere maiorem probabilitatẽ. Quare ea paulò exactiùs erunt examinanda. Verùm vt hæc rectè intelligantur, obſeruandũ eſt voces *ſubſtantia & natura* duobus modis vſurpari ab antiquis Patribus. primo modo philoſophicè, qua ratione *ſubſtãtia ſeu natura* diſtinguitur contra accidens; & ſignificat ipſam rei naturalis eſſentiam, quæ conſtat ex materia prima & forma. Et hac ratione nullius rei ſubſtantia aut natura eſt viſibilis, ſed omnis eſt planè inuiſibilis: cùm illa à nullo ſenſu, ſed à ſolo intellectu percipi poſſit: Atque hæc eſt ſubſtantia & natura illa panis & vini, quam dicimus tranſubſtantiari in corpus & ſanguinem Chriſti. De hac quoq; loquitur S. Chryſoſtomus, cùm dicit: *Nihil ſubſtantiæ panis & vini remanere in Euchariſtia:* & S. Cyprianus, cùm dicit, *panẽ nõ effigie, ſed natura mutari:* & S. Ambroſius, cùm dicit, *benedictione etiam ipſam naturam panis & vini mutari:* quorum verba ſuprà retulimus. V.

Suprà cap. 1. huius cõtrou. §. 3. 8. & 9.

Secundo modo vox *ſubſtantiæ* ſeu *naturæ* vſurpatur pro qualitatibus & alijs proprijs, naturalibus, & viſibilibus accidentibus rei alicuius: Et hęc ſecunda vſurpatio eſt magis popularis & vulgo vſitatior; nam huiuſmodi ſubſtantia vel natura oculis cernitur: ſic vulgò dicitur cibus habere parũ aut multũ ſubſtãtiæ, id eſt, virtutis ſeu efficacię ad alendũ. Sic ſolẽt medici dicere, quòd in pharmaco remaneat ſubſtantia illarũ herbarũ, ex quibus VI.

Hilarius can.10 in Matt. in illud Matt. 10 v.29. Nonne duo paſſeres, &c.

Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Picenæ prouincia.

bus illud conficitur. Sic loquitur S. Hilarius, cùm ſcribit, quòd *in reſurrectione mortuorum caro noſtra in ſubſtantiam ſpiritualis animæ refundetur*: hoc eſt, habebit proprietates & qualitates multas ſpiritualis animę. Sic deniq; S. Gelaſius Papa I. ſcribit *ſubſtātiā hominis eſſe deprauatam per peccatum originale*: hoc eſt, vires & affectiones naturales hominis deprauatas eſſe: vſurpatur & in hac ſignificatione vox naturæ, cùm dicimus naturam ignis eſſe aſcendere & calefacere: naturam panis nutrire. Atque in hac ſignificatione ſubſtantia aut natura rei eſt viſibilis, conſtat enim ex accidentibus & proprietatibus rei quæ ſenſibus percipiuntur.

VII. Eſt nihilominus hoc diſcrimen inter vocem ſubſtantiæ & naturæ, quòd vox ſubſtantiæ magis propriè ſumatur priori modo, nempe vt opponitur accidentibus, & vt denotat eſſentiam rei inuiſibilem: poſteriori verò modo minùs propriè, minuſque vſitatè: at vox naturæ indifferenter vſurpatur vtroque modo: Immo vſitatiùs etiam poſteriori pro ſubſtantiæ proprietatibus, & accidentibus; pręſertim in ſacris literis: verbi gratia, cùm dicit Apoſtolus, *Gentes quæ legem non habent naturaliter* (vel vt Gręcè eſt φύσει, id eſt, natura) *ea quæ legis ſunt faciunt*. Item, *Quod ex natura eſt, præputium*. & rurſus: *Nec ipſa natura docet nos*. & alibi: *Nos natura Iudæi*. denique, *Eramus natura filij iræ*: Quibus in locis natura nequaquam ſignificat ipſam ſubſtantiam interiorem ſeu eſſentiam hominis; ſed externas qualitates, affect⁹, aut proprietates hominum. Atque hinc eſt, quòd vox *naturæ* latiùs pateat quàm vox *ſubſtantiæ*; dicuntur enim & accidentia habere ſuam naturam, ſed non ſubſtantiam; niſi impropriè accipiatur vox ſubſtantiæ.

Ad Rom. 2. v.14. Eodem cap. v.27. 1 ad Cor. 11. v.14. Ad Gal. 2. v.15. Ad Epheſ 2. v.3.

Ex

Ex his facilè diluuntur aduerſariorum argumenta: obijciunt enim ex Theodoreto duo loca. prior habetur in primo eius dialogo, vbi ita ſcribit: *Chriſtus ſymbola & ſigna quæ videntur appellatione corporis & ſanguinis honorauit; non naturam quidem mutans, ſed naturæ gratiam adijciens.* Sed non animaduertunt aduerſarij Theodoretum non loqui de pane & vino, verùm de ſignis & ſymbolis huius Sacramenti. Chriſtus (inquit) ſymbola & ſigna quæ videntur, &c. & veriſſimũ eſt naturã ſignoru non mutari: quia omnia accidentia panis & vini, quæ ſenſu aliquo percipi poſſunt, remanent poſt conſecrationem, & ſola inuiſibilis ſubſtantia panis & vini mutatur: porrò inuiſibilis ſubſtantia panis & vini nihil pertinet ad naturam ſignorum, ſed ſola accidentia, quæ ſenſu percipiuntur, efficiunt perfectam & integram naturam ſignorum: vt perſpicuè oſtendimus in fine præcedentis capitis.

VIII *Theodoretus dialogo primo, qui inſcribitur: Immutabilis.*

Cap. 3. præcedenti, §. 20.

IX. Hanc eſſe veram Theodoreti mentem non obſcurè declarant ea, quæ ipſe paulò antè dixerat, cùm reddit cauſam permutationis nominum, nempe cur illud, quod erat panis, vocetur corpus Chriſti, & id quod erat vinũ, vocetur eius sãguis. *Volebat enim Dominus* (inquit Theodoretus) *eos qui ſunt myſteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur, ſed propter nominum mutationem* (hoc eſt, quia vocantur corpus & ſanguis Chriſti, vt paulò antea dixerat) *mutationem, quæ fit ex gratia, credere.* Affirmat igitur Theodoretus inuiſibilem eſſe mutationem ſubſtantiæ panis & vini, quæ oculis non videtur, ſed fidę creditur: quæq; etiam declaratur mutatione hac nominum: & quam dicit ex gratia fieri, hoc eſt, virtute diuina.

Theodoret. eodem dialogo primo.

Poſte-

X. Poſterior locus, quem ex Theodoreto adferunt aduerſarij, habetur in ſecundo eius dialogo, vbi ita ſcribit: *Neque enim ſigna myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura: Manent enim in priori ſubſtantia & figura & forma, & videri & tangi poſſunt ſicut prius: Intelliguntur autem ea eſſe, quæ facta ſunt: & creduntur & adorantur, vt quæ illa ſint, quæ creduntur.* Hactenus Theodoretus. Sed obſeruandum hic eſt inprimis, quòd verba iſta Theodoreti (qui Græcè ſcripſit, nō Latinè) aliter verti poſſunt ex Græco. Nam quòd recēs iſte interpres Gētianus Heruetus Aurelius ambiguè vertit ex Gręco: *Manēt enim in priori ſubſtantia & figura & forma*: ita in Gręco habetur: μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ εἴδους: quod clariùs & abſque vlla verborum ambiguitate ita verti poteſt: *Manent enim* (myſtica nimirum ſigna) *in prioris ſubſtantiæ* & figura & forma. Hac enim verſione & difficultas omnis tollitur, & verborū obſcuritas. Nemo enim dubitare poteſt, quin poſt conſecrationē Euchariſtiæ remaneat eadē figura & forma viſibilis prioris ſubſtātiæ, nēpe panis & vini. Quare verba iſta Theodoreti ſi hoc modo transferantur, nihil planè, ne in ſpecie quidem, continebunt contra doctrinam Catholicam de tranſubſtantiatione.

Theodoret. dial. 2. qui inſcribitur Inconfuſus ſub fin. ante citationem Patrum.

XI. Deinde etiamſi verſionē hanc Herueti admittamus, nihil tamen cōtinebit cōtra Tranſubſtantiationē, niſi quòd in voce *ſubſtantiæ* latebit ambiguitas quædam, quæ ex cōſequentibus verbis facilè diluceſcit. Diximus enim vocem *ſubſtantiæ* eſſe ambiguam, & duobus modis à Patribus vſurpari, & iuxta hanc tranſlationem Herueti dicēdū erit vocē *ſubſtantiæ* nō priori modo ſumi pro interiori & inuiſibili panis & vini ſubſtantia, ſed poſte-

Digitized by Google

poſteriori modo pro externa & viſibili ſignorum ſubſtātia: quēadmodū eandē vocē ſubſtātiæ vſurparūt S. Hilarius & S. Gelaſius, vt paulò antè oſtēdimus: & ſicut in eadē ſentētia vſurpat Theodoretus vocem *natura* pro viſibili ſignorum natura. *Suprà hoc cap. §. 5. & 6. §. 6. cit.*

XII. Quandoquidē non loquitur Theodoretus de pane & vino, eorumq́; ſubſtātia, ſed de ſignis viſibilibus, ſignorumq́; natura. *Neque enim ſigna myſtica* (inquit) *poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura.* Quod ſanè veriſſimū eſt (vt declarauimus in fine præcedētis capitis) & clarè id probat ſequētibus verbis, cū ait: *Manēt enim in priori ſubſtātia, & figura & forma, & videri, & tangi poſſunt, ſicut priùs:* de ſignorū igitur ſubſtantia loquitur, nō de ſubſtātia panis & vini: & quidē de ſubſtātia viſibili, non de inuiſibili: atque hinc eſt, quòd argumēta omnia deſumat ex accidentibus viſibilibus, nimirum à figura, à forma, item ab eo, quòd ſigna ſenſu viſus & tactus percipi poſſunt.

XIII. Porrò illud quod Theodoretus continuò adiūgit, lōgè clariùs probat hūc quē attulimus ſenſum veriſſimum eſſe: Ita enim ſcribit: *Intelliguntur autē ea eſſe, quæ facta ſunt: & creduntur, & adorantur, vt quæ illa ſint, quæ creduntur.* Duo igitur rerum genera affirmat eſſe in ſacris iſtis ſignis poſt illorum ſanctificationem: quædam quæ videtur, tāgūtur & alijs ſenſibus exterioribus percipiūtur: alia quæ ſolo intellectu & mente cognoſcuntur, atq; credūtur. Illa priora affirmat eſſe ea ipſa, quæ ante ſanctificationē ſignorum fuerant: Illa verò poſteriora per ipſam ſignorū ſanctificationē fieri corp⁹ & ſanguinē Chriſti: *& adorari, vt quæ illa ſint, quæ credūtur*: corp⁹ nimirū & ſanguis Chriſti. Quo nihil clari⁹ dici poteſt pro trāſubſtātiationis doctrina: nā nemo ſine magna impietatis nota dicet *Theod. loco cit.*

Chri-

Chriſtianos adorare panem & vinum: atqui ſi Theodoretus exiſtimaſſet panem & vinum in ſignis poſt ſanctificationem remanere, affirmaſſet apertè panem & vinum à Chriſtianis adorari, cùm ait: καὶ προσκυνεῖται ὡς ἐκεῖνα ὄντα, ἅπερ πιστεύεται, hoc eſt, *& adorantur* (ſymbola nimirũ myſtica,) *vt quæ illa ſint, quæ creduntur:* verè ſine dubio, non fictè & fallaciter; neque enim ficta ſunt, aut falſa quæ credimus, ſed veriſſima.

XIV. Denique Lutherani illi, qui præ cæteris diligentiùs examinarunt ſcripta Theodoreti, non obſcurè agnoſcunt Theodoretum à nobis, non ab ipſis ſtare. Ita Magdeburgenſes illi Lutherani, Illyricus videlicet cũ alijs tribus ſuis ſocijs, qui cẽturias Magdeburgenſes ex varijs antiquorũ ſcriptis partim veris, partim ſuppoſititijs, aut certè deprauatis compoſuerunt. Nam poſtquam dixiſſent Sanctũ Chyſoſtomũ docere tranſubſtantiationẽ, vt ſuprà retulimus; addũt ſtatim hæc verba: *Idem videtur ſapere, quod Theodoretus ſcribit, ſymbola Domini corporis & ſanguinis, alia quidẽ ſunt ante inuocationẽ ſacerdotis, ſed poſt inuocationẽ* μεταβάλλεσθαι καὶ ἕτερα γίνεσθαι, id eſt, *tranſmutari & alia fieri. In dialogo ſecundo Inconfuſo.* & rurſus, dum agunt de næuis Patrum (ita enim appellãt ea omnia, quæ Patres ſcribunt contra hæreſes Lutheri) cùm perueniunt ad næuos Theodoreti, ita de eo ſcribunt: *De cœna periculosè dicit ſymbola corporis & ſanguinis Domini poſt inuocationem ſacerdotis mutari, & alia fieri, dialogo ſecundo Inconfuſo.* Nam etſi verba iſta, quę ex Theodoreto referunt Centuriatores, in perſona alterius ſint dicta; ipſe tamen Theodoretus ea approbat, & confirmat. Theodoretus igitur vel aduerſariorum iudicio eſt noſtræ ſententiæ adſtipulator, atque propugnator.

Suprà capite 2. huius controu. §. 3. in fine.

Magdebur. centur. 5. cap. 4. de inclinatione doctrinæ, in tit. de cœna Domini, col. 517.

Eadem centur. 5. cap. 10. tit. de næuis Theodoreti.

Ob-

Obijciunt præterea verba cuiuſdam Gelaſij, qui dicit, quòd in Euchariſtia *poſt conſecrationem non deſinit eſſe ſubſtantia vel natura panis & vini.* Verùm Caluinus cùm hæc Gelaſij verba adducit, bis fallitur. 1. quidem quòd affirmet hunc Gelaſium fuiſſe Papam: nam hunc non fuiſſe Papam Gelaſium, eſt certiſſimum: Id quod multis argumentis oſtenderunt varij ſcriptores Catholici, & nouiſſimè Baronius, quę breuitatis cauſa omittimus, quòd res hæc iam omnibus doctis ſatis ſit explorata. Enimuerò illos qui exiſtimarunt opus illud fuiſſe Gelaſij Papæ, feſellit deprauatio vnius vocis, quę in fine illius libelli extat, vt mox dicem⁹. Quis autem fuerit Gelaſius iſte, non certò cōſtat. multi enim fuerunt Gelaſij. veriſimilius tamen eſt hunc fuiſſe Gelaſiū illum Cæſarienſem Palæſtinæ Epiſcopū, natione Græcum: nō quidē ſeniorem illum Gelaſium, qui vixit circa annū Domini 390. & cuius meminit S. Hieronym⁹, ſed aliū iuniorē, qui cōſcripſit hiſtoriā Concilij primi Nicæni (vt bene obſeruauit Baronius) & cuius bis meminit Photius in ſua Bibliotheca. Nam Gelaſius iſte in hoc libello, quē citāt aduerſarij, Euſebiū Cęſarienſē collocat inter magiſtros Catholicæ Eccleſiæ, quē cōſtat fuiſſe magnū fautorē Arrianorū, & ob id dānata fuiſſe eius ſcripta à Gelaſio Papa: & ſimiliter idem Gelaſius in hiſtoria illa ſua Nicænæ ſynodi laudat eundē Euſebiū. Porrò Photius in ſua Bibliotheca primò quidē meminit huius Gelaſij Codice 88. vbi refert illū ſcripſiſſe 3. libros de rebus in Nicæna prima ſynodo geſtis: qui tres libri nuper editi sūt in Tomo primo Cōciliorū generaliū editionis Romanæ. Addit etiā Photius (idq; ex ſcriptis eiuſdē Gelaſij) hunc Gelaſiū iuniorē fuiſſe etiā Cæſariēſē Palęſtinę Epiſcopum,

XV. *Caluinus in præfatione ante libros ſuarū inſtitutionum.* *Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. ad 9. argument.* *Bellarm. l. 2. de Euchar. cap. 27.* *Baronius tomo 6. an. Domini 496. in principio.* *Sanctus Hieron. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.* *Baron. loco citato.* *Gelaſius I. in Concilio Rō. ſeptuaginta Epiſcoporum: & apud Gratianum diſtinct. 15. can. 3. cuius initium eſt, Sancta Romana Eccleſia.*

Gelaſio, notat hunc non eſſe Gelaſium Papã, ſed Gelaſium Epiſcopum Cæſarienſem. Monet præterea, in hac ſua editione adhuc reſtare erratum illud, quo *Apoſtolicam fidem* tranſmutarũt quidam in *Apoſtolicam ſedem*.

Præterea Gelaſius iſte (quicũq; tãdẽ is fuerit) nihil habet cõtra Catholicã doctrinã: obſcuriùs quidem loquitur, & minùs propriè; quia vſurpat ſubſtãtiã poſteriori modo pro qualitatibus, accidẽtibus & proprietatibus viſibilibus ſubſtãtiæ: & apud illũ ſubſtãtia & natura ſunt ſynonyma, cùm reuera latiùs pateat natura quã ſubſtantia, ſi propriè ſumantur hæ duæ voces, vt modò diximus. Quòd autẽ vſurpet vocẽ ſubſtãtiæ impropriè pro proprietatibus ſubſtãtię, manifeſtũ eſt ex verbis, quæ ſtatim ſubiungit; in quibus clariùs declarat, quomodo dixerit *ſubſtantiam vel naturam panis & vini nõ deſinere*. Dicit enim, quòd *panis & vinum in diuinam tranſeunt ſancto Spiritu perficiẽte ſubſtantiã; permanente tamen in ſua proprietate naturæ.* Quibus verbis perſpicuè oſtẽdit panis & vini ſubſtãtiam propriè dictã & inuiſibilem tranſire in Chriſti ſubſtantiã, quã diuinam vocat, Spiritu ſancto id perficiẽte: ſubſtãtiã verò panis & vini idcirco nõ deſinere, quòd ex parte non deſinat, quia nimirum proprietates omnes naturales panis & vini permanent. XVII. *Hoc ipſo cap. 5. 7.*

Nec mirum ſi author iſte impropriè loquatur de ſubſtantia panis & vini; nam obſcurus eſt ſcriptor, & multas voces ſæpè impropriè vſurpat, etiã cùm diſputat de Chriſti incarnatione: vt cùm dicit paulò pòſt verba quę citant aduerſarij: *Quòd ipſa Deitas totum ſuum faciat quicquid caro perpeſſa eſt*: pro Deitate enim debuiſſet dicere *Deus* vel *Dei filius*: nam Deitas ipſa nihil eſt perpeſſa in Chri- XVIII.

ſti paſſione; vt ipſemet paulò pòſt agnoſcit.

XIX. Atque hinc eſt, quòd ante ſeptingentos & amplius annos rectè monuerit Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua illa Bibliotheca, authorem hunc & vocibus ipſis abuti, & libri ordinem reprehẽſione nõ carere. Ita enim de eo ſcribit Photius: *Lectus eſt liber ſingularis* (ſeu vnicus) *Gelaſii Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi aduerſus Anomæos.* & paulò pòſt: *Putidè nimis, ac pueriliter quaſi nuper Dialecticorũ libros inſpexiſſet, Logicæ artis regulis, ipſiſquè adeò vocibus abutitur: etſi excuſationem intempeſtiui huius ſermonis ſcripto ſuo annectat. Verùm & quod excuſatione pòſt nouerat indigere, nec iam inde à principio ſuſcipiendum illi fuerat: Quanquam nec ipſe libri ordo reprehenſione careat.* Ita Photius.

Photius Codice 102.

XX. Vltimus quem citant aduerſarij ex antiquis ſcriptoribus eſt Ioannes quidam Conſtantinopolitanus, obſcurus etiã author. Nõnulli ex aduerſarijs contendunt ignaris perſuadere authorem hũc fuiſſe ipſum S. Ioannẽ Chryſòſtomũ, Patriarcham Conſtantinopolitanum: inter quos ſunt Thomas Cranmerus Anglus olim Cantuarienſis Pſeudoarchiepiſcopus, & Petrus Martyr (non re, ſed nomine.) Quod planè ridiculũ eſt: nã ſi illa Epiſtola eſt S. Chryſoſtomi, neceſſe erit illum diu poſt mortem eam ſcripſiſſe: Enimuerò author illius Epiſtolæ totus eſt in refutatione Eutychianorũ: porrò Eutychiani non inceperunt niſi 40. minimum annis poſt obitũ S. Chryſoſtomi, dũ S. Flauianus eſſet Patriarcha Cõſtãtinopolitan⁹, qui ſeptimus fuit Patriarcha poſt S. Chryſoſtomũ. Immo & Neſtoriani, qui præceſſerunt Eutychianos, poſt obitũ S. Chryſoſtomi orti ſunt: nã Neſtorius ipſe fuit quartus Cõſtantinopolitanus Patriarcha

Ioannes Cõſtantinopolitanus in Epiſtola ad Cæſarium Monachũ. Cranmerus lib. 2. Euchar. cap. 5. Petrus Martyr lib. de Euch. contra Gardinerum.

poſt

Digitized by Google

poſt S.Chryſoſt. Sed neque extat iſta epiſtola inter opera S.Chryſoſtomi. Primus autem, qui illã edidit noſtra ætate,fuit Typographus quidam Baſilienſis Zuinglianus: in qua tamẽ editione nõ inſcribitur S. Ioanni Chryſoſtomo, ſed Ioanni Cõſtantinopolitano. Multi autẽ fuerũt illius nominis. Probabilius eſt iſtam epiſtolam eſſe Ioannis Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui electus fuit in Patriarchã anno Domini 517. & cuius mẽtio habetur in quinta ſynodo œcumenica, actione prima; nam magnum illi negotiũ exhibuerũt Eutychiani: vt videre eſt in actione prima citata.

Verùm quicunq; tandem fuerit iſte Ioannes, nihil planè ſcribit contra Catholicam doctrinã: nã tantũ dicit *naturã panis permanere*, hoc eſt, naturales proprietates panis, iuxta modũ loquẽdi, quo paſſim vtitur ſacra ſcriptura, vt dictũ eſt. Sed & ſtatim addit: *Non tamen duo corpora eſſe in Eucharistia ſacramento, ſed vnum filij Dei*: quod prorſus eſt contra aduerſarios: nã ſi ſubſtantia panis propriè dicta remaneret, duo ſine dubio remanerent corpora in hoc ſacramẽto, vnũ Chriſti, & aliud panis, quare author iſte apertè diſtinguit inter corpus panis & naturam panis: & dicit naturam ſeu naturales proprietates panis remanere; corpus autem panis, hoc eſt, ipſã interiorem ſubſtãtiã panis, quę conſtat ex materia prima & forma, nõ remanere, ſed vnicũ dumtaxat corpus filij Dei in hoc Sacramento manere. XXI. §.7. *huius cap.*

Denique in omnibus his locis, quos ex antiquis ſcriptoribus citãt aduerſarij, hoc obſeruatione dignum eſt, quòd omnes iſti antiqui ſcriptores deſumant argumentũ ex ſimilitudine, quæ eſt inter Chriſtum in propria ſua forma, & hoc ſacramentum: vt impugnent hæreſes Neſtoriano- XXII.

Digitized by Google

rum & Eutychianorum: porrò iuxta doctrinam Caluinianam, aut Lutheranam, hoc Patrum argumentum nullius eſſet roboris: immo illi hoc ſuo argumento confirmaſſent hæreſes Neſtorij & Eutychetis; atq; adeo ipſius Arij. At verò ſecūdū noſtrā doctrinā, efficax eſt & firmiſſimū hoc Patrum argumentum. Quod ita oſtendimus: Vis argumēti Patrum in eo conſiſtit, quòd quemadmodum ipſum ſacramentum conſtat ex duabus rebus, vna cœleſti, corpore videlicet Chriſti, & alia terrena, quæ videtur & tangitur (vt loquitur etiam antiquiſſimus Martyr S. Irenæus) ita ipſe Chriſtus conſtet ex duabus rebus, vna cęleſti, quę eſt diuina natura, & alia terrena, nēpe natura humana. Iam verò iuxta Caluinianorum doctrinā, qui contendunt corpus Chriſti non eſſe realiter in Sacramento, ſed tantùm figuratè & ſymbolicè, per fidem noſtram conſequetur diuinam naturá non eſſe realiter in Chriſto, ſed tantùm figuratè per noſtram fidem, aut potius imaginationem: quod nihil aliud eſt quàm Neſtorianiſmum atq; adeò Arianiſmum introducere. Quare mirū eſt, quòd Caluiniani iſta Patrum loca toties contra nos obijciant, cùm ea maximè aduerſentur doctrinæ ipſorum: Patres enim docent corpus & ſanguiné Chriſti tam verè & realiter eſſe in hoc ſacramento, quàm verè & realiter eſt diuina natura in Chriſto.

S. Irenæus lib. 4. c. 34.

XXIII. Videntur quidem iſta loca Patrum prima facie fauere doctrinæ Lutheranorum, qui contendunt ſacramentum hoc cōſtare ex corpore Chriſti & pane. Sed reuera non poteſt iſta eſſe Patrum illorum ſententia: omnes enim illi Patres docent contra Neſtorianos vnam dumtaxat eſſe hypoſtaſin in Chriſto, non duas, vt dice-

Digitized by Google

dicebant Neſtoriani: Atqui ſi remaneret integra panis ſubſtantia vnà cum corpore Chriſti, iam eſſent duæ hypoſtaſes in hoc ſacramento, vna Chriſti, alia panis; eſſentque duo corpora, non vnum corpus (vt loquitur Ioannes ille Conſtantinopolitanus) & ex cõſequenti ſimilitudo hæc Sacramenti cum Chriſto non infirmaſſet, ſed cõfirmaſſet hæreſin Neſtorianorum; fuiſſentq; omnes illi Patres Neſtoriani.

Ioannes Conſtant. in epiſt. ad Cæſarium monachũ.

XXIV. At verò iuxta noſtram doctrinam optimè cõſiſtit ſimilitudo inter hoc ſacramentum & ipſam Chriſti perſonam: nam ſicut in Chriſto eſt vna tãtùm hypoſtaſis, ita in hoc Sacramento vnica & ſola eſt hypoſtaſis, nimirum Chriſti: nã hypoſtaſis ſeu ſubſiſtentia panis vnà cum ſubſtantia panis tranſmutatur in corpus Chriſti; atque ita remanet ſola hypoſtaſis Chriſti filij Dei. Sunt etiam duæ naturæ in hoc ſacramento, vna diuina & inuiſibilis, nimirũ Chriſti corp°, quod eſt hic diuino planè, inuiſibili, & ſpirituali modo, ſed veriſſimè & realiter, ſiue nos credamus, ſiue non: quẽadmodũ eſt & natura diuina in perſona Chriſti inuiſibiliter quidẽ, & ſpiritualiter, ſed realiter & veriſſimè, ſiue nos credamus, ſiue minimè. Alia eſt natura viſibilis & terrena in ſacramẽto, quæ propriiſſimè vocatur à Theodoreto *natura ſignorũ viſibiliũ*, quia tota, integra, & perfecta natura ſignorũ cõſiſtit in accidẽtibus, quæ oculis videntur & alijs ſenſibus percipiuntur, vt ſuprà oſtendimus. Vocatur & ab alijs Patribus *natura panis* etiã propriè, iuxta modum loquendi ſcripturarũ, quæ proprietates naturales ſæpe vocant naturam, vt ſuprà etiã probauimus. Vocatur deniq; hęc pars viſibilis ſacramẽti, aliquãdo *ſubſtantia panis*, ſed minùs propriè, nẽpe vt ſubſtantia ſignificat viſibilem ſubſtãtiã, nõ

Theodoret. Dialogo 1. & 2. locis citatis.

Suprà hac controu. c. 3. §. 20.

 inuiſi-

Digitized by Google

inuiſibilem: & ita loquitur Gelaſius; qui tamen ſtatim addit vocem naturæ, vt clariùs explicet id, quod minùs propriè dixerat: verba enim eius ſunt iſta: *eſſe non deſinit ſubſtantia vel naturã panis & vini.* Quare vel ex hoc ſolo argumẽto, quod Patres deſumunt ex ſimilitudine, quæ eſt inter Chriſtum in ſua propria forma, & hoc Sacramentum, perſpicuè conſtat Patres hos, quos contra nos afferunt aduerſarij, in noſtra, & non in illorum ſententia fuiſſe.

XXV. Porrò quod de Græcis in Concilio Florentino congregatis comminiſcuntur aduerſarij, eos nimirum negaſſe Tranſubſtantiationẽ, apertum eſt cõmentum: nulla enim fuit vnquam cõcertatio inter Grçcos & Latinos de Tranſubſtãtiatione panis & vini in corpus & ſanguinẽ Chriſti; hoc namq; agnouerunt omnes Græci; ſed diſputatio tantùm erat, quibuſnã verbis fieret iſta Tranſubſtantiatio ſeu cõſecratio huius Sacramẽti: Latini .n. dicebãt fieri verbis Chriſti, Græci verò nõ illis ſolis, ſed præcipuè oratione & prece quadam Sacerdotis, quæ in Græcorũ Liturgijs ſequitur verba Chriſti: vt manifeſtè conſtat tum ex actis ipſis Cõcilij Florẽtini, tum ex oratione Marci Archiepiſcopi Epheſini Latinis maximè infenſi, quã ſcripſit *de verbis, quibus fit conſecratio*; atque etiam ex Nicolao Cabaſila, qui in eodem fuit errore cum cæteris Græcis: quorum errorem exactè refutat Bellarminus. At verò quin reuera fieret Trãſubſtantiatio per integra verba Canonis Miſſæ, nunquã dubitarunt Græci: Sed neque adhuc aliud profitentur quàm nos, vt conſtat ex recẽti illa cẽſura orientalis Eccleſiæ, quã Ieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus non ita pridẽ ſcripſit contra Lutheranos.

Vide Conc. Florentinũ ſeſſ. vltim. in fin.

Cabaſila in expoſitione Liturgiæ c. 29. & 30.

Bellarminus lib. 4. de Euch. c. 11. & 14.

Vide cenſuram orient. Eccleſ. cap. 10. editam anno 1576.

Tan-

Tandem cùm neque ex ſacris literis, neq; ex antiquis Patribus poſſunt aduerſarij argumentum vllum efficax depromere contra Catholicam doctrinam de Tranſubſtantiatione, confugiunt ad rationes naturales, quod eſt vltimum refugium omnium Iudæorum & Hæreticorum, cùm ſacris Scripturis conuincuntur. Verùm in primis animaduertere deberent noſtri aduerſarij, nõ pauciores aut minores orituras eſſe difficultates in Myſterijs Trinitatis, Incarnationis & Reſurrectionis mortuorum, ſi rationibus naturalibus iſta examinentur. XXVI.

Deinde omnes aduerſariorum rationes naturales facilè dilui poſſunt vnico poſito fundamento ſeu principio, de quo ipſi aduerſarij abſque ſumma impietate dubitare non poſſunt. Eſt autem huiuſmodi; *Subſtantiam panis & vini non eſſe potentiorem ſubſtantia Chriſti filij Dei*: nihil igitur mirum, ſi ſubſtantia corporis Chriſti ea omnia operetur, quæ operatur ſubſtantia panis, ſi ea adeſſet. Ad hæc omnia argumenta aduerſariorum ſumuntur ex operationibus vel effectis panis & vini, quæ eodem modo fiunt, ac ſi remaneret ſubſtantia ipſa panis & vini. Sed cùm accidentia omnia panis & vini remaneant poſt conſecrationem, mirum non eſt, ſi operentur eodem modo, quo antea operabantur. Et quamuis non remaneat ſubſtantia panis & vini, quæ antè fuerat, iſta tamen accidentia non carent omni ſubſtantia: quia in locum ſubſtantiæ panis & vini ſuccedit alia ſubſtantia longè pręſtantior & potẽtior, nempe ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti; quæ facilè poteſt omnia ea præſtare, quę antea præſtabat ſubſtantia panis & vini: niſi velint XXVII.

aduerſarij contendere ſubſtantiam panis & vini potentioré eſſe ſubſtantia ipſius Chriſti veri Dei.

XXVIII. Porrò quemadmodum in ipſa Chriſti perſona deeſt hypoſtaſis humana, ſed in locum eius ſucceſſit alia hypoſtaſis multò excellentior & potẽtior, nempe diuina illa hypoſtaſis ipſius filij Dei, quæ omnia officia & munia humanæ hypoſtaſeos abundè ſupplet, & multò etiam maiora præſtat humanæ Chriſti naturæ: verbi gratia, quòd actiones omnes humanæ naturæ ſint infiniti meriti ac æſtimationis apud Deum, id quod humana hypoſtaſis efficere non poterat. Ad eundem planè modum in Sacramento Euchariſtiæ accidentia panis & vini carent quidem ſua propria ſubſtantia, nihilominùs illi ſuccedit alia ſubſtantia excellentior, nempe corporis & ſanguinis Chriſti, quæ abundè ſupplet omnia, quæ præſtare poteſt ſubſtantia panis & vini. Et prçterea multò etiam plura præſtat, quia efficit, vt Sacramentum hoc nutriat non tantùm corpus, ſed & animam ipſam, & vtrumque etiam nutriat non tantùm ad breue tẽpus, ſed ad vitam quoque æternam: iuxta illa Chriſti Domini promiſſa: *Qui mãducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Joan. 6. v. 55. Cùm igitur rationes omnes naturales aduerſariorum nihil aliud probent, quàm eoſdem effectus, qui naturaliter fiunt à quouis pane & vino, fieri etiam poſt conſecrationem à ſpeciebus huius Sacramenti: iſtud ſanè minimè mirandum eſt: quamuis enim accidentia iſta careant propria ſua ſubſtantia, ditantur tamen & decorantur ſubſtantia excellentiori & potentiori. minimè igitur mirum videri debet, ſi eadem operẽtur, & etiam multò maiora.

XXIX. Præterea, quemadmodum diuinæ illi filij Dei hypo-

hypoſtaſi, quæ eſt in Chriſto, non inhærent accidentia humanitatis Chriſti, vt inhærent accidentia alterius hominis eius hypoſtaſi : quia iſta inhærentia includit imperfectionem: Ita in hoc Sacramento accidentia panis & vini nequaquam inhærent ſubſtantiæ corporis & ſanguinis Chriſti: eſſet enim iſta imperfectio quædam corporis & ſanguinis Chriſti.

Verùm ſicut in perſona Chriſti omnia ſupplet diuina hypoſtaſis quæ in alijs hominibus præſtat hypoſtaſis humana, exceptis tamen illis, quæ imperfectionem aliquam includunt: (quòd diuina hypoſtaſis nulli imperfectioni ſubiacere poſſit) Ita in hoc Sacramento ſubſtantia Chriſti ſupplet omnia illa, quæ alioqui præſtare poſſet ſubſtantia panis aut vini: exceptis tamen illis, quæ continent in ſe imperfectionem. Nã cùm corpus Chriſti in ſe ipſo ſit immortale & impaſſibile, non eſt capax vllius læſionis aut imperfectionis, quæ immortalitati aduerſetur. Atque hinc eſt, quòd quamuis ſpecies viſibiles Sacramenti comburantur, vel alia quauis iniuria afficiantur ; Chriſtus tamen ipſe nihil lædatur, aut patiatur ; quoniam Chriſti corpus eſt in hoc Sacramento impaſſibili, indiuiſibili & ſpirituali modo, vt ſuprà fuſiùs declarauimus. Exceptis igitur his, quæ continent imperfectionem, cætera omnia munia ſubſtantiæ panis & vini abundè ſupplet ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, quæ in locum ſubſtantiæ panis & vini ſuccedit, quæque eſt multò potentior atque valentior ſubſtantia panis & vini. XXX. *Suprà contro. 3. c. 19.*

QVIN-

QVINTA CONTROVERSIA

DE ADORATIONE CORPORIS & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

CAPVT I.

Corpus Chriſti in Euchariſtia Sacramento adorandum eſſe.

1\. ADORATIO hæc ex ijs, quæ ſuprà diximus, facilè colligitur, quare paucis hanc controuerſiam expediemus. Tribus argumentis conuincimus iſtam adorationem eſſe neceſſariam. Primum eſt huiuſmodi: Vbicunq; eſt corpus Chriſti verè & realiter præſens, ibi illud eſt adorandum, etiam cultu latriæ, & ſoli Deo debito: Atqui corpus Chriſti eſt verè & realiter præſens in hoc Sacramento; Igitur in eo eſt adorandum. Maiorem propoſitionem admittũt Caluiniani, vt paulò pòſt oſtendemus; minorẽ Lutherani: quare hoc ipsũ hic euenit, quod ſuprà oſtẽdimus illis euenire, cũ cõtra Trãſſubſtantiationẽ diſputãt, & quod olim Pelagianis eueniſſe teſtatur S. Auguſtinus, nimirum, quòd *ſi inter ſe conuenirent aduerſarij, in his, quæ ſinguli vera dicunt, nobis quoq; conſentirent*. Negãt quidem Caluiniani minorẽ propoſitionẽ, ſed hanc iam ſatis

Suprà controu. 4. c. 1. § 8.
S. Aug. To. 7. de peccat. merit. & remiſſione lib. 1. c. 34. in fin.

ſatis probauimus per totam tertiam controuerſiam. Lutherani non pauci maiorem negant, ſed reuera negari non poteſt maior propoſitio, niſi quis velit vel cum Arrianis negare Chriſtum filium Dei eſſe adorandum, & ex conſequenti negare illum eſſe verum Deum: vel cum Neſtorianis negare corpus Chriſti eſſe hypoſtaticè coniunctum filio Dei. Nam quòd nonnulli ex Lutheranis dicunt, *Corpus Chriſti duntaxat eſſe ſub ſpecie panis, non totum Chriſtum*, præterquam quòd illud abſurdiſſimum ſit, vt infrà oſtendemus, etiãſi id verum eſſet, tamen corpus ipſum Chriſti vbicunque ſit, adorandum eſt diuino cultu, propter vnionem hypoſtaticam, quam habet cum verbo: vt olim definitum fuit contra Neſtorianos in primo Concilio Epheſino, canone octauo, & in ſancta Synodo, canone nono. Porrò contra Arrianos fusè etiam probat ſanctus Athanaſius carnem Chriſti adorandam eſſe.

Infrà controu. 8. c. 2. §. 8.

Sed neque valet illa aliorum Lutheranorum reſponſio, *Chriſtum tantùm præcepiſſe Apoſtolis, vt manducarent corpus ſuum, non vt illud adorarent*. Nã in primis opus non erat hoc præcipere, iam enim antea id præceptum fuerat illis verbis: *Dominum Deum tuum adorabis*, Deuteronomij ſexto, verſu decimotertio, & capite decimo, verſu vigeſimo: quod quidem præceptum nulli certo loco, aut tempori aſtringitur: quare eo ipſo, quòd Chriſtus dicebat, id eſſe ſuum corpus, conſequenter affirmabat illud eſſe adorandum: quemadmodum eo ipſo, quòd Chriſtus dixerat ſe eſſe filium Dei, intellexit cæcus ille Chriſtum eſſe adorandum, Ioannis nono, verſu trigeſimo octauo. quare Lutherani iſti multò cæciores ſunt cæco illo. Et alioqui nuſquam legimus Chriſtum, cùm in terris eſſet,

S. Athanaſius in epiſt. ad Adelphium Epiſcopum contra Arrianos: habetur tomo 1. operum S. Athanaſij tract. 6. iuxta editionem Cõmelinianã. 11.

præ-

præcepiſſe, vt homines ipſum adorarent; ſatis enim fuit declaraſſe ſe eſſe verum Deum. At verò de comedendo ſuo corpore opus erat expreſſo præcepto, nam iſtud nunquam antea præceptum fuerat.

III. Deinde, ſi rectè intelligantur verba Chriſti, præcepit ille Apoſtolis non tantùm comedere, ſed etiam adorare corpus ſuum: Nam quando iuſſit eos illud *accipere & manducare*, iuſſit, vt non tantùm manu & ore, ſed etiam corde, fide, & ſpiritu acciperent & manducarent: idque non vt cibum communem, ſed vt verum ſuum corpus: porrò ſpiritualis iſta acceptio & manducatio eſſe non poteſt ſine adoratione, quæ niſi adſit, manducatio iſta erit Arriana aut Neſtoriana, non Chriſtiana & Catholica. Atque hinc eſt, quòd S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & cōmētaria ſancto Ambroſio aſſcripta, in illa verba 1 ad Cor. 11. ver. 29. *Non dijudicans corpus Domini.* & Sanctus Auguſtinus tomo 2. epiſtola 115. ad Ianuarium cap. 3. dicunt illum non diſcernere corpus Domini à reliquis cibis, qui illud non adorat.

IV. Ad hæc adeò eſt hoc de adoratione corporis Chriſti in Euchariſtia euidens, vt ipſimet Zuingliani & Caluiniani, quando diſputant contra Lutheranos, hoc maximè vrgeant, quòd ex reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia neceſſariò ſequatur adoratio illa, quam nos docemus. Tigurini etenim Zuingliani in apologia, quam ediderunt anno 1545. contra Lutheri poſtremam Confeſſionem de cæna Domini, cùm multa exempla adorationis Chriſti attuliſſent ex ſcripturis, ita tandem concludunt: *Si Domini panem, naturale Chriſti corpus reuera eſſe doceremus, certè tum*

Pa-

Papiſtis fideliter quoque eſſemus adoraturi.

Et Beza quoque ad hunc modum ſcribit, dum oppugnat Lutheranos: *Nos ſanè nō videmus, ſi ponatur realis conſubſtantiatio, quinam non peccent, qui Chriſtum in illo pane non adorant, & inuocant.* Et eodem loco paulò ſuperiùs reſpondet ad argumentum illud Lutheranorum, quòd Chriſtus non iuſſerit adorare corpus ſuum: ſcribit enim *exprimi non oportuiſſe, quod per ſe ſatis intelligatur, nempè, nunquam accedendum eſſe ad Chriſtum, præſertim re-ipſa præſentem, ſine adoratione, vt qui ſit Deus.* Ita Beza.

Denique etſi rigidi quidam Lutherani, & præſertim Matthias Flaccius Illyricus cum ſuis Illyricanis obſtinatiſſimè negent corpus Chriſti in Euchariſtia adorandum eſſe, propter verba quædam Lutheri, qui alicubi id negat (quamuis alibi hoc ipſum concedat, vt illicò dicemus) nihilominus complures alij Lutherani conuicti hoc argumento, quod iam attulimus, apertè fatentur, corpus Chriſti in Euchariſtia adorandum eſſe. Teſtatur enim Martinus Bucerus, Caluini aliquādo magiſter) Lutheranos hac in re conueniſſe cum Catholicis in colloquio Ratisbonenſi anno 1541. cui colloquio & ipſe Bucerus interfuit, & Caluinus quoque teſte Beza in vita Caluini ad ann. 1541. Teſtatur hoc ipſum conſenſus Theologorum Saxoniæ in confeſſione illa Saxonica miſſa ad Concilium Tridentinum anno 1551. in cap. de cœna Domini. Idem profitetur Ioannes Brentius, idem Ioachimus VVeſtphalus, idem apertiſſimè Martinus Chemnitius in ſecunda parte ſui examinis capite quinto de Euchariſtia in initio; qui & addit, *neminem niſi Arrianum*

V.
Beza volumine 3. tractationum Theologicarū tractatione 2. quæ eſt apologia ad acta conuentus 15. Lutheranorū, in fine prioris artis cùm reſpōdet ad 12. quæſtionem à Lutheranis interdictam, pag. 66. editionis anni 1582.

VI.
Confeſſio Antuerpienſis ab Illyricanis edita an. 1566. c. 14. & Illyricus in apologia eiuſdem cōfeſſionis ad cap. 14.
Bucerus in actis colloquij Ratisbonenſis ab eo editis an. 1542. VVeſalia litera S 2. pag. 2.

num

Brentius in apolog. cōfeſſionis VVittembergenſis pericope 2. VVeſtphalus in libro contra Ioan. Alaſco.

num & Neſtorianum id negare poſſe. Hinc etiam eſt, quòd in nonnullis Lutheranorum Eccleſijs adhuc obſeruetur eleuatio Sacramenti, ſicut apud Catholicos: qua de re ita conqueritur Beza in dialogo illo, quē contra Heſhuſium ſcripſit nō procul à fine: *Si nec panem adoratis, nec Chriſtum in pane* (vtrumque enim negabat Heſhuſius) *cur pleriſque locis permittitis panem attolli? quorſum etiam illæ geniculationes?* Ita Beza ad Heſhuſium.

Beza vol. 1. tract. Theol. tract. 7. p. 311. edit. ann. 1582.

VII. Poſtremò ipſemet Lutherus quamuis in hac re (vt & in alijs penè omnibus) varius ſit & incōſtans: tamen in Theſibus illis, quas paulò antè mortem edidit contra articulos Louanienſes, theſi 16. ita ſcribit: *In Euchariſtiæ Sacramento venerabili, & adorabili eſt, & exhibetur, & ſumitur verè & reipſa corpus & ſanguis Chriſti tam à dignis quàm ab indignis.* Eſt igitur Sacramentum Euchariſtiæ, ſecundùm Lutheri ſententiam, & veneratione & adoratione dignum. Qua etiam de re cum Lutheranis grauiter expoſtulat Beza.

Habentur hæ theſes in fine tomi 2. Latini operum Lutheri, editionis VVittebergenſis, an. 1551.

Beza volumine 3. pag. 66. ſuprà citata §. 5

VIII. Verùm enimuerò longè prudentiùs mihi facere videntur Lutherani illi, qui Chriſtum in ipſorum ſacramento nequaquam adorant, adorationemque hanc planè diſſuadent: nam cùm Miniſtri Lutherani non ſint veri ſacerdotes ab Epiſcopis legitimè ordinati, ſed merè laici; qui illorum ſacramentum adorat, reuera adorat nudum panē & vinum pro corpore & ſanguine Chriſti. Et hæc videtur potiſſima cauſa, cur multi ex Lutheranis adorationem hanc vel improbent, vel non recipiant.

IX. Porrò prætereunda hic non eſt magna pertinacia, & calumniandi libido, quam Caluinus apertè demonſtrat, cùm de hac adoratione agit. Nam cùm ille diſputat contra Lutheranos, illud

ſæpè

Digitized by Google

ſæpe vrget, corpus Chriſti adorandum eſſe in Euchariſtia, ſi reipſa adeſt: verba eius ſunt iſta, quæ extant in libro illo, quem contra Heſhuſium Lutheranum non diu ante ſuam mortem conſcripſit: *Sic* (inquit) *ſemper ratiocinati ſumus, ſi Chriſtus eſt in pane, eſſe ſub pane adorandum.* Ita Caluinus ibi. Et alibi, cùm diſputat contra Ioachimum VVeſtphalū Lutheranum reſpōdet optimè ad illud argumentum, quod contra hanc adorationem obijciunt Lutherani, nempe quòd Chriſtus de adoratione nihil præceperit. Ita enim ſcribit Caluinus: *Obtendunt nuſquam extare præceptum de adorando Chriſti corpore. Certè de Chriſto homine propriè dicitur, Exaltauit illum Deus, & dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV flectatur omne genu* (ad Philippenſes ſecundo, verſu nono & decimo.) *Itaque meritò & ſcitè hinc colligit Auguſtinus adorandam eſſe Chriſti carnem in mediatoris perſona.* Ita Caluinus contra Lutheranos. Et nihilominus idē Caluinus, cùm agit contra Catholicos, hoc ipſum planè Lutheranorum argumentum præcipuè vrget, nempe Chriſtum non præcepiſſe hanc adorationem: vt ſequenti cap. vberiùs explicabitur.

Caluinus in lib. de vera participatione carnis & ſanguinis Chriſti aduerſus Heſhuſium: extat in fine opuſculorum Caluini. verba hic citata habentur pag. 844. editionis Geneuēſis an. 1611. Caluinus in vltima admonitione ad VVeſtphalum ad 47. argumentum pag. 831. editionis citata.

Secundum argumentum: Omnes Patres antiqui adorarunt, & inuocarunt Chriſtum vt in hoc ſacramento verè præſentem: & ad id hortati ſunt alios: quos non audent ipſi aduerſarij inſimulare idololatriæ. Prolixum eſſet, nec adeò neceſſarium omnia Patrum teſtimonia hic recenſere: præſertim cùm ex ipſis ſacris literis, & ex aduerſariorum etiam confeſſione manifeſtum ſit, Chriſti corpus, vbicunque tandem ſit, adorandum eſſe. Si quis tamen X.

deſiderat videre teſtimonia Sanctorum Patrum, ea ex Iodoco Coccio petet. Is enim hoc fusè demonſtrat ex ipſorum Patrum verbis tomo 2. theſauri Catholici, lib.6.art.7. & rurſus illud ipſum comprobatum fuiſſe à Deo varijs miraculis oſtendit eodem libro. 6.art.8. Denique Eleuationem, & oſtenſionem ſacræ Euchariſtiæ in more poſitum fuiſſe apud veteres SS. Patres, probat eodem lib.6.art.16.

XI. Et ſanè S. Auguſt. (quem optimum ex tota antiquitate & fideliſſimum teſtē appellat Caluinus) adeò clarè & perſpicuè de hac adoratione loquitur Tomo 2. Epiſtola 120. ad Honoratum cap.27. & Tomo 8. in illa verba Pſalmi 21. verſu 30. *Manducauerunt, & adorauerunt.* Et in Pſalmum 98. ad illa verba verſus 5. *Adorate ſcabellum pedum eius*: vt ipſemet Beza inficiari non poſſit Sanctũ Auguſtinũ docere adorationē hāc Chriſti in ipſo Sacramento vſitatam fuiſſe in veteri Eccleſia. *Conſtat* (inquit Beza) *ex Auguſtino conſueuiſſe illis temporibus fideles Chriſtum in myſterijs adorare.*

Caluinus l.4. inſtitutionum c.14. ſectione vltima, ſub finem. Beza in dialogo illo aduerſus Heſhuſium volum.1. tractatione 7. pag.311. iuxta edit. an.1582.

XII. Tertium argumentum. Aduerſarij dum improbāt hanc adorationem, conſequenter negant IESVM Dominum noſtrum eſſe verum Meſſiam verumque Chriſtum à Deo per Prophetas promiſſum: Nam Prophetæ ſæpius prædixerunt, per verum Meſſiam, eiuſque legis promulgationem futurum, vt omnia idola euerterentur, & Idololatria omnis ceſſaret, Oſeæ ſecũdo, verſu 17. Sophon. 3. verſu 9. Zach. 13. verſu ſecundo. Quod Meſſiæ officium agnouerunt & ipſi Iudæi antiqui, qui Chriſtũ præceſſerũt, vt ex ipſorum ſcriptis probat Galatinus. At verò ſecundùm aduerſarios, qui nos Idololatriæ inſimulant, quòd

Galatinus lib. 4. cap. vltimo.

Digitized by Google

quòd Euchariſtiam adoremus, Chriſtus non abſtuliſſet idololatriã, ſed illam magis auxiſſet: cùm ne Ethnici quidem ipſi vnquam adorauerint panem & vinum (vt ex Cicerone ſolent nobis obijcere aduerſarij.) & Caluinus tandem omnem idololatriã abſtuliſſet mille & quingentis annis poſt Chriſtũ & Euangelij prædicationem. Quod nihil aliud eſt, quàm Caluinum habere pro vero Chriſto, & Dominum IESVM pro falſo. *Cicero l. 3. de natura deorum.*

XIII. Præſertim verò, cùm non breui tempore, ſed à tot ſeculis vſurpatus ſit iſte cultus; nec à ſolis illis, qui agnouerunt Pontificem Romanũ pro capite Eccleſiæ militantis; ſed etiam ab omnibus planè, qui Chriſtianorum nomen vnquam ſibi arrogarunt, ſiue ſchiſmatici illi fuerint, ſiue hæretici, ſiue alij Pontificis Romani inimiciſſimi; vt Græci, vt Armeni, vt Neſtoriani, vt Entychiani, alijque permulti in Græcia, Aſia, aut Africa hæretici: omnes enim iſti nobiſcum ſuppliciter & demiſsè adorant Chriſti corpus in hoc ſacramento. Quare perridiculum eſt illud, quod quidam ex aduerſarijs comminiſcuntur, Papam Rom. hũc cultum introduxiſſe, cùm multi ex iſtis Schiſmaticis, & hæreticis hoſtes fuerint capitales Romani Pontificis: plures, an eſſet Romanus Pontifex, omninò ignorarent.

XIV. Illud quoque magis eſt ridiculum, Honorium Papam tertium, qui vixit mille ducentis & amplius annis poſt Chriſtum, fuiſſe primum auctorem adorationis huius Sacramenti; propterea quòd extet quidam canon illius de hac re. Quod leuiſſimum eſt argumentum: nam pari ratione dicere deberent, eundem Honorium primum auctorem fuiſſe, quòd in hoc ſacramento plus vini quàm aquę ponatur: Enimuerò idem Hono- *In decret. l. 3. tit. 41. De celebratione Miſſarum, c. 10. Sanè. Eodem tit. de celebratione Miſſ. c. 13. Perniciosus.*

Digitized by Google

deſiderat videre teſtimonia Sanctorum Patru ea ex Iodoco Coccio petet. Is enim hoc fuſè d monſtrat ex ipſorum Patrum verbis tomo theſauri Catholici, lib.6.art.7. & rurſus illud i ſum comprobatum fuiſſe à Deo varijs miracu oſtendit eodem libro. 6.art.8. Deníque Eleuati nem, & oſtenſionem ſacræ Euchariſtiæ in mo poſitum fuiſſe apud veteres SS. Patres, probat e dem lib.6.art.16.

XI. Et ſanè S. Auguſt. (quem optimum ex tota a tiquitate & fideliſſimum teſtē appellat Caluinu adeò clarè & perſpicuè de hac adoratione loqu tur Tomo 2. Epiſtola 120. ad Honoratum cap.2 & Tomo 8. in illa verba Pſalmi 21. verſu 30. *Ma ducauerunt, & adorauerunt.* Et in Pſalmum 9 ad illa verba verſus 5. *Adorate ſcabellum pedu eius*: vt ipſemet Beza inficiari non poſſit Sa ctũ Auguſtinũ docere adorationē hāc Chriſti i ipſo Sacramento vſitatam fuiſſe in veteri E cleſia. *Conſtat* (inquit Beza) *ex Auguſtino conſu uiſſe illis temporibus fideles Chriſtum in myſterijs a dorare.*

Caluinus l.4. inſtitutionum c.14. ſectione vltima, ſub finem. Beza in dialogo illo aduerſus Heſhuſium volum.1. tractatione 7. pag.311. iuxta edit. an.1582.

XII. Tertium argumentum. Aduerſarij dum im probāt hanc adorationem, conſequenter nega IESVM Dominum noſtrum eſſe verum Meſſ am verumque Chriſtum à Deo per Prophet promiſſum: Nam Prophetæ ſæpius prædixerun per verum Meſſiam, eiuſque legis promulgatio nem futurum, vt omnia idola euerterentu & Idololatria omnis ceſſaret, Oſeæ ſecũdo, verſ 17. Sophon. 3. verſu 9. Zach. 13. verſu ſecundo Quod Meſſiæ officium agnouerunt & ipſi Iu dæi antiqui, qui Chriſtũ præceſſerũt, vt ex ipſo rum ſcriptis probat Galatinus. At verò ſecun dùm aduerſarios, qui nos Idololatriæ inſimulant

Galatinus lib. 4. cap. vltimo.

quòc

Digitized by Google

quòd Euchariſtiam adoremus, Chriſtus non abſtuliſſet idololatriã, ſed illam magis auxiſſet: cùm ne Ethnici quidem ipſi vnquam adorauerint panem & vinum (vt ex Cicerone ſolent nobis obijcere aduerſarij.) & Caluinus tandem omnem idololatriã abſtuliſſet mille & quingentis annis poſt Chriſtũ & Euangelij prædicationem. Quod nihil aliud eſt, quàm Caluinum habere pro vero Chriſto, & Dominum IESVM pro falſo. *Cicero l. 3. de natura deorum.*

XIII. Præſertim verò, cùm non breui tempore, ſed à tot ſeculis vſurpatus ſit iſte cultus; nec à ſolis illis, qui agnouerunt Pontificem Romanũ pro capite Eccleſiæ militantis; ſed etiam ab omnibus planè, qui Chriſtianorum nomen vnquam ſibi arrogarunt, ſiue ſchiſmatici illi fuerint, ſiue hæretici, ſiue alij Pontificis Romani inimiciſſimi; vt Græci, vt Armeni, vt Neſtoriani, vt Entychiani, alijque permulti in Græcia, Aſia, aut Africa hæretici: omnes enim iſti nobiſcum ſuppliciter & demiſsè adorant Chriſti corpus in hoc ſacramento. Quare perridiculum eſt illud, quod quidam ex aduerſarijs comminiſcuntur, Papam Rom. hũc cultum introduxiſſe, cùm multi ex iſtis Schiſmaticis, & hæreticis hoſtes fuerint capitales Romani Pontificis: plures, an eſſet Romanus Pontifex, omninò ignorarent.

XIV. Illud quoque magis eſt ridiculum, Honorium Papam tertium, qui vixit mille ducentis & amplius annis poſt Chriſtum, fuiſſe primum auctorem adorationis huius Sacramenti; propterea quòd extet quidam canon illius de hac re. Quod leuiſſimum eſt argumentum: nam pari ratione dicere deberent, eundem Honorium primum auctorem fuiſſe, quòd in hoc ſacramento plus vini quàm aquę ponatur. Enimuerò idem Hono- *In decret. l. 3. tit. 41. De celebratione Miſſarum, c. 10. Sanè. Eodem tit. de celebratione Miſſ. c. 13. Perniciosus.*

rius eodem loco paulò pòſt hoc quoque præcipit. Verùm multa ſolét præcipere ſummi Pontifices, quæ ſunt alioqui diuini iuris, vel etiam naturalis, quando animaduertunt iſta à quibuſdam negligi. Quare & hoc præcipit Honorius, non vt nouum mandatum, aut vt ſuum, ſed vt diuinum: *Ne diuina* (inquit) *indignatio grauiùs exardeſcat.*

XV. Cæterùm cùm ex innumerabilibus antiquorum Patrum teſtimonijs, & omnibus quoque veteribus Chriſtianorum Liturgijs, vt Sancti Iacobi Apoſtoli, Sancti Chryſoſtomi, S. Baſilij, Sancti Seueri Patriarchę Alexandrini: Item ex Liturgijs Syrorũ, AEthiopũ, Abyſſinorũ, Babyloniorum, Chriſtianorũ, Sancti Thomæ, & cæterorũ antiquorum Chriſtianorum; manifeſtè conſtet Chriſtum Dominum vt veriſſimè præſentem in Euchariſtiæ ſacramento adoratum & inuocatum fuiſſe; valdè ineptum eſt Honorio 3. aſcribere initium huius adorationis, cùm iſtud potiùs aſcribere debuiſſent aduerſarij doctrinæ, & traditioni ipſorum Apoſtolorum Chriſti, iuxta illam S. Auguſtini regulam: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur.*

S. Auguſtinus tomo 7. de bap. contra Donatiſt. lib. 4. cap. 24.

XVI. Poſtremò & hoc obſeruatione dignum eſt, aduerſarios, cùm confingunt Eccleſiam Chriſti publicè adoraſſe panem & vinũ pro corpore, & ſanguine Chriſti, non tantùm nobis, ſed ipſi etiam Chriſto iniurias & contumelias imponere. Nam in primis efficiunt Chriſtum valdè improuidum & imprudentem in ſuis verbis. Etenim cùm potuiſſet facillimè & perſpicuè dicere: *hic panis eſt*

figu-

figura corporis mei: ſicut modò loquuntur Caluiniani: ipſe obſcura quadam forma dicendi tot millia hominum in ſe credentium deceperit.

XVII. Deinde, Chriſtum reddunt planè immemorem ſalutis humanę, ſuæq; ſponſæ Eccleſiæ, quam permiſit tanto tempore in tam craſſo errore hærere, abſque vlla ope, aut auxilio vllo.

XVIII. Denique Chriſtum mendacē efficere conātur aut certè falſum in ſuis promiſsis: promiſerat enim, quòd *portæ inferi non præualerent vnquam aduerſus ſuam Eccleſiā*: Atqui præualuiſſent illæ quàm maximè, ſi perſuaſiſſent Chriſti Eccleſiæ, nudum panem & vinum pro corpore & ſanguine Chriſti cultu latriæ, qui ſoli vero Deo debetur, veneranda, & colenda eſſe. Quod quidem ſine magno ſcelere fieri non potuiſſe, nemo eſt qui ignoret. *Matth. 16. v. 18.*

CAPVT II.

Refelluntur argumenta, quibus aduerſarij impugnant adorationem Euchariſtiæ.

DVo præcipua aduerſariorum argumenta iā diluimus præcedenti cap. Alterū eſt, quòd 1. totus Chriſtus nō ſit in ſacramēto, ſed corpus eius duntaxat. Et quamuis iſtud argumentum ſit valdè friuolum, vt eodem loco oſtendimus, illudq; mutuatus ſit Caluinus à Lutheranis, ipſe tamen in eo vnicè exultat. De qua re plura, cùm agemus de Communione ſub vtraque ſpecie, quò propriè ſpectat iſta quæſtio, ſitne totus Chriſtus ſub ſpecie panis in Euchariſtia, an eius corpus duntaxat.

Cap. præcedenti §. 1. & 2. *Calu. lib. 4. inſt. cap. 17. ſect. 35.* *Vide infrà Cōt. 5. c. 2. §. 8. & 9.*

II. Alterum argumentum eſt, quòd Chriſtus nō præceperit Sacramentum hoc adorari, ſed manducari. Cui etiam ſuprà ſatisfecimus, & tam Bezam, quàm Caluinum hoc argumentum apertè ſoluiſſe oſtendimus; & nihilominus cùm Caluinus contra nos diſputat de adoratione Sacramēti, non pudet illum hoc ipſum Lutheranorum argumentū repetere & inculcare. *Chriſtus* (inquit Caluinus) *dixit: Accipite, mādacate, bibite, quo mādato accipi Sacramentum, non adorari iubet.* Quaſi verò opus eſſet præcepto, vt verus Deus adoraretur; aut quaſi Chriſtus non eſſet verus Deus. Sed de hac re ſatis ſuprà.

Cap. præcedenti §. 1. & 2.

Calu. ſect. 35. citata.

Cap. præcedenti §. 2 & ſequentib.

III. Tertium Caluini argumentum eſt: *Qui non adorant, habent Apoſtolorum exemplum, quos non legimus proſtratos adoraſſe, ſed vt erant diſcumbentes, accepiſſe & manducaſſe.* Argumentum hoc & Arrianiſmum ſapit, & magnam Caluini imperitiam declarat. Sapit quidem Arrianiſmum, nam ſi alicuius eſſet roboris, probaret Chriſtum ne in propria quidem ſua, & viſibili forma fuiſſe adorandum, cùm eſſet in terris: quandoquidem Chriſtus cùm Sacramentum hoc inſtituit, & dedit, nondum erat in cœlo, ſecundùm humanitatem, ſed in menſa diſcumbebat cum Apoſtolis: & tamen non legimus Apoſtolos proſtratos illum adoraſſe; igitur ſi Caluino credimus, habemus Apoſtolorum exemplum de non adorando Chriſto, etiam in ſua propria, & viſibili forma; quod nihil eſt aliud, quàm aſſeuerare Chriſtū non eſſe verum Deum, vt dicebant Arriani. Proficiſcitur etiam hæc argumentatio Caluini ex imperitia, quia vera & præcipua adoratio non conſiſtit in proſternendo, ſed vel in genu flectendo, aut in vllo alio huiuſmodi externo corporis geſtu. nā & mi-

Calu. eadē ſect. 35.

militès illi, qui illudebant Chriſto, *flectebant ei genua, & eum adorabant*, ſed externa duntaxat & impropria adoratione, non interiori & propria: proinde irriſio illa fuit potiùs, quàm vera adoratio. At vera & propria adoratio Dei conſiſtit in interiori cultu animi, ſeu, vt Chriſtus Dominus noſter loquitur, *in ſpiritu & veritate*. Porrò vera adoratio, qua Apoſtoli Chriſtum adorabant, cōſiſtebat in fide; qua agnoſcebant Chriſtum eſſe verum Meſſiam, verumque Deum: & in charitate, qua eum vt verum ſuum Deum amplectebantur: ac denique in religione, qua ſe illi vt vero Deo ſubmittebant: & hanc interiorem Chriſti adorationem ſemper habuerunt Apoſtoli, vel actu, vel certè habitu. Externi autem actus adorationis non ſunt neceſſarij ſemper, ſed debito, ac congruo duntaxat loco, atque tempore.

Marc. 15. v. 19.

Ioan 4. v. 23. & 24.

IV. Quartum Caluini argumentum eſt: *Fideles non in adoratione, ſed in fractione panis communicaſſe à Luca narrantur, Actuum ſecundo, verſu quadrageſimo ſecundo.* Ita Caluinus, qui ſuo more egregiè deprauat verba ſancti Lucæ, omittit enim id, quod ſtatim addit ſanctus Lucas, videlicet *eos etiam perſeueraſſe in orationibus*: Orationes autem ad Deum ſine adoratione rectè fieri non poſſunt: præſertim cùm orationes has *non fuiſſe priuatas, ſed publicas, quales in vera Eccleſia ſolent eſſe eo tempore, quo ſumitur Euchariſtia*, alibi agnoſcat ipſe Caluinus.

Calu ead. ſect. 25.

Calu in c. 2. Actuum ad v. 42.

V. Quintum argumentum Caluini eſt: *Cùm Paulus Corinthiorū Eccleſiam inſtituit, nihil de hac adoratione præcepit*, 1. Cor. 11. Reſpondeo eo ipſo, quòd Apoſtolus ſcribit Chriſtū aſſeruiſſe, *hoc eſſe ſuū corpus*,

Calu. ead. ſect. 25. in fin.

1. Cor. 11. v. 24.

quod dabat, apertè declarat, illud eſſe adorandum: Nemo enim Chriſtianorum ignorabat corpus Chriſti adorandum eſſe vbicunq; tandem illud eſſet. Illud ipſum rurſus commonſtrat Apoſtolus non obſcurè, cùm ait: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Nemo enim magis indignè manducat & bibit, quàm ille, qui non adorat corpus & ſanguinem Chriſti, quæ ſumit. Denique hoc ipſum oſtendit Apoſtolus, cùm addit: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Apoſtolus* (inquit S. Auguſtinus) *indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita.*

1. Cor. 11. v. 29.

1. Cor. 11. v. 29.

S. *Auguſt. tom. 2. epiſt. 115. ad Ianuarium c. 3.*

VI. Sextum argumentum Caluini eſt: *Huic* (inquit) *malo proculdubio voluit* obuiare Nicæna *Synodus, cùm vetuit nos humiliter attentos eſſe ad propoſita ſymbola.* Ita Caluinus, qui mutila & decurtata Concilij primi Nicæni verba proponit; ſi enim integra adduxiſſet, facilè apparuiſſet rei veritas: hæc namque ſunt integra Concilij verba: *In hac diuina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & calicem, ſed attollentes mentem, fide intelligamus iacere in hac ſacra menſa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum.* Ex quibus conſtat Chriſtum eſſe adorandum non tantùm in cælo ſedentem ad dextram Patris, ſed etiam iacentem in ſacra menſa, ſeu altari, vbi incruentè immolatur à ſacerdotibus. Quòd autem dicit Cōcilium *mentem fide attollendam eſſe*, non loquitur de loco corporali, ſed de obiecto ſpirituali, quod ſola fide cerni poteſt: omnis enim, qui Chriſtum fide

Calu. eodē c. 17. ſect. 36.

Extāt iſta verba Nicæni Concilij inter acta ſeu dyatipoſes Concilij; Tom. 1. Cōcil. generalium editio. Roman.

fide adorat in ſacramento, attollit mentem, dum non conſiderat externas ſpecies panis & vini, quæ oculis corporeis cernimus, ſed corpus & ſanguinem Chriſti, quę nonniſi fide percipi poſſunt.

VII. Et idem ſignificant illa verba, quæ ante conſecrationẽ ſacramenti ſemper dicebantur in veteri Eccleſia, nempe: *Surſum corda, habemus ad Dominum*: quæ etiam eodem loco nobis obijcit Caluinus. Nam & Apoſtoli in cœna nouiſſima habebant ſurſum corda quamuis corpus Chriſti nondum eſſet in cælo, ſed tantùm in terra. Neq; enim ſumitur hic *ſurſum* mathematicè (alioqui Aſtrologi dum ſtellas contemplantur, haberent corda ſurſũ) ſed Theologicè, qua ratione omnes, qui cogitant de his, quæ ad ſalutem æternam ſpectãt, dicuntur habere corda ſurſum; etiamſi cogitẽt de paſſione Chriſti, aut de proprijs peccatis, aut de morte, aut de pœnis inferni, quæ ſecundùm locum ſunt deorſum. plura de his verbis Concilij Nicæni habet etiam Bellarminus. *Bellar. li. 2. de Euchar. cap. 10.*

VIII. Septimum argumentum obijciunt Aduerſarij, nos non tantùm affirmare Chriſtum in ſacramento eſſe adorandum: ſed etiam ipſum Sacramẽtum eſſe adorandum: ita enim loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 5 Reſpõdeo, ſi diceremus ſubſtantiam panis remanere vnà cum ſua hypoſtaſi, vt dicunt Lutherani, non poſſemus propriè affirmare ipſum ſacramentum eſſe adorandum, ſed tantùm Chriſtum in ſacramento: quẽadmodùm nõ dicimus vas, in quo eſt corpus Chriſti, aut calicẽ, in quo eſt ſanguis Chriſti, eſſe adorandũ; ſed corpus Chriſti in vaſe, & ſanguinẽ Chriſti in calice. Verũ cùm nõ remaneat ſubſtãtia panis, nec vlla hypoſtaſis aut ſuppoſitũ in ſacramẽto, niſi ſola hypoſtaſis filij Dei, nihil eſt in ſa-

Digitized by Google

cramento, quod adorari poteſt, niſi ipſe æternus Dei filius; ac proinde cũ dicimus ſacramẽtũ adorandũ eſſe cultu diuino, nihil aliud dicimus, quã ipſũ filiũ Dei verumq; Deũ eſſe adorandũ. Atq; hinc eſt, quòd Concilium Tridentinum aliquãdo dicat ſacramentum adorandum eſſe; vt cap. 5. citato; aliquando Chriſtum vnigenitum Dei filium in ſacramento: vt can. 6. eiuſdem ſeſſ. 13. hæ enim duæ propoſitiones ſunt ſynonymæ.

IX. Quemadmodum enim Patres Antiqui in Epheſino I. Cõcilio generali, & rurſus in V. Oecumenica Synodo Cõſtantinopolitana definiuerũt cõtra Neſtorianos Chriſtũ vnica adoratione, nẽpe diuina, eſſe adorandũ, non duabus: quòd vnica eſſet in Chriſto hypoſtaſis, quãuis duę ſint in eo naturæ, diuina, & humana: Actiones enim & paſſiones propriè ſũt dũtaxat ſuppoſitorũ ſeu hypoſtaſeõ, quæ cùm vnica ſit in Chriſto, vna eſt adoratione adorandus. Ad eundẽ planè modum cũ in hoc Sacramẽto vnica ſit hypoſtaſis, nẽpe ipſius Chriſti, vnica etiam adoratione (nempe diuina) adorãdũ eſt hoc ſacramentũ: atq; eò etiã magis, quòd in hoc ſacramẽto nõ ſit ſubſtantia panis, & ex cõſequẽti, non ſolũ nõ ſit alia hypoſtaſis, ſed neq; alia ſubſtantia in hoc ſacramẽto, quàm ipſius Chriſti.

Epheſinum anathe. 8. 5. Synodus can. 9.

X. Octauũ argumẽtũ: In hac adoratione periculũ eſt idololatriæ, nã inueniuntur nonnulli ſacerdotes impij, qui verba conſecrationis non proferũt, & tunc populus adorat panẽ pro Chriſti corpore. Reſpõdeo, Sacerdos qui illud faceret, grauiſſimè peccaret, vt benè monet Innocẽt. 3. Papa. Illi tamẽ qui panẽ non conſecratũ pro Chriſto adorãt, nec idololatriã committũt, nec peccatũ vllũ; imò rẽ Deo gratam faciunt. Nã inprimis nullã cõmittũt idololatriam, quia non eſt idololatria, niſi quãdo quis

Innocent. in decretalib. tit. de celeb. Miſſarum cap. 7. de homine.

quis intendit adorare vt verũ Deũ, id quod nõ eſt verus Deus, at qui adorant talẽ panẽ, non intendunt adorare panẽ, ſed tantùm Chriſtũ verum Deum: adoratio enim cùm ſit actio mentis, & voluntatis (vt ſuprà diximus) eius natura & ratio petenda eſt ab intentione adorantis, & mente atque voluntate illius, atque ab obiecto, quod adorans mente apprehendit, dum adorat; quòd autem obiectum iſtud verè ſit huiuſmodi ex parte rei, accidens eſt reſpectu adorationis: verbi gratia, qui in ſtatua aliqua diabolum adoraret, veram committeret idololatriã, quamuis diabolus reuera non eſſet in illa ſtatua. Et contrà ſi ille, cui diabolus appareret in forma Chriſti, diabolum pro Chriſto adoraret, exiſtimans illũ quem adorat non aliũ eſſe quàm Chriſtum, deciperetur quidem à diabolo, ſed idololatriam non cõmitteret, cùm ille non intenderet adorare diabolum, ſed Chriſtum. Ad eundem planè modum, illi qui adorant panem non conſecratum pro Chriſti corpore, decipiuntur quidem, & errant: quia putant corpus Chriſti ibi eſſe, vbi non eſt, ſed nullam cõmittunt idololatriã, cùm mente & voluntate nõ intendant aliud quàm Chriſti corpus adorare. *Suprà hoc c. 5. 4.*

XI. Sed neque committunt vllum peccatum illi, qui ita adorant; Nam totus error, qui eſt in iſta adoratione, oritur ex malitia alterius, nempe ſacerdotis; qui proinde error adorantibus non imputatur ad peccatũ: excuſantur enim ab omni culpa per probabilem ignorantiam.

XII. Denique illi qui ita adorant, non ſolùm non peccant, ſed etiam faciunt opus valdè gratum & acceptum Deo: Nam ille, quem ipſi adorant, non eſt alius quàm Chriſtus Dei filius (cùm ex adorantium mente, voluntate, atque intentione pen-

Digitized by Google

pendeat natura & ratio adorationis.) Adoratio autem filij Dei æterno ipſius Patri eſt ſemper grata & acceptiſſima.

SEXTA

CONTROVERSIA

DE CONSERVATIONE ET CVſtodia Euchariſtiæ.

CAPVT I.

Corpus Chriſti non eſſe vbique.

I. *Suprà controu. præcedenti c. 1. §. 6.* ETSI plerique Lutheranorum cõcedant corpus in Euchariſtia adorandum eſſe, vt dictum eſt: tamen cùm diſputant, quando & quo tẽpore ſit adorandum; in varios incidunt errores: quare duo breuiter ſunt declaranda in hac controuerſia. Primum eſt, quando incipiat eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia; alterum quando deſinat eſſe: Enimuerò niſi iſta duo probè cognoſcamus; non poterimus ſcire, quando adoranda ſit Euchariſtia.

II. Quod attinet ad primum, diuerſæ ſunt Lutheranorum opiniones. Prima & receptiſſima iã apud eos eſt illa, quæ vocatur *Vbiquiſtarum*: hi enim aſſerunt

runt corpus Chriſti eſſe in pane ante omnem cõſecrationem eo ipſo, quòd à piſtore coquitur panis: nam contendunt corpus Chriſti eſſe in omni loco & vbique; hinc vocantur *Vbiquiſtæ*, & Vbiquitarij. De qua re ſunt rixæ quamplurimæ inter Lutheranos & Caluinianos. Nam Caluiniani hãc vbiquitatem nobiſcum damnant. Verùm quia Lutherani exiſtimãt ſe hac ratione facillimè poſſe reſpondere ad omnia Caluinianorum argumẽta, hinc eſt, quòd plures inter Lutheranos iã amplectantur hanc *vbiquitatem*.

Sed iſta opinio & valdè abſurda eſt, & naturæ huius Sacramenti aduerſatur. Abſurda eſt quidẽ, nam Lutherani iſti vt defendant hanc ſuam nouã opinionem, coacti ſunt alios inauditos errores accumulare. Quandoquidem vt probent hanc *vbiquitatem* corporis Chriſti, affirmant omnes proprietates Dei communicatas eſſe humanæ naturæ Chriſti; & conſequenter humanitatem Chriſti eſſe vbique, ſicut & diuinitatem: & hanc communicationem ſolent appellare *maieſtatem hominis Chriſti*. Atqui proprietates Dei ſunt, eſſe ęternum, increatum, infinitum, & denique verum Deum: nihil autem eſt abſurdius, quàm affirmare humanitatem Chriſti eſſe æternam, increatam, infinitam, & denique eſſe verum Deum. IIII.

Deinde vt hanc ſuam *vbiquitatem* tueantur, deprauant omnes ferè articulos ſymboli Apoſtolorum. Nam Chriſtum hominem dicunt fuiſſe extra vterum virginis, antequam naſceretur: in ſepulchro, antequam ſepeliretur: extra ſepulchrum, antequam ex eo reſurgeret: in ſepulchro, poſtquã reſurrexit: & poſtquam aſcẽderit, remãſiſſe in terra, immò ſemper & vbiq; in terra remanere; Deniq; cęlum eſſe vbiq;, & infernũ quoq; eſſe vbiq; IV.

nam

nam infernum & cœlum affirmant non loco di-
ſtingui,ſed pœna,& gaudio.

Iſai. 53. v. 4 Ita ſcribit Iacobus Andreas Smidelinus in libello,cuius titulus eſt de Maieſtate hominis Chriſti ad Albertum Sperlingiũ, cap. 4.

V. Porrò adeò in hac re deſipiũt,vt nõ vereãtur af-
firmare Chriſtũ,cũ deſcẽderet ad inferos,paſſum
eſſe inferni tormẽta:quæ debebãtur peccatis no-
ſtris: & hoc prædixiſſe Iſaiam Prophetã,cũ ſcribit:
dolores noſtros ipſe portauit.porrò hæc omnia cogũ-
tur affirmare,vt defendãt deſcẽsũ Chriſti ad infe-
ros,quòd inferos pœna & tormentis tantùm di-
ſtinguant à cœlo:& alia quamplura huius generis
docent valdè abſurda.

Pugnat etiam iſte error cum natura Sacramẽ-
ti nouæ legis. Nam omnia Sacramenta nouæ le-
gis à Chriſto ſunt inſtituta,& ab eius inſtitutio-
VI. ne pendent:at ſecũdũ iſtos præſentia Chriſti in
hoc ſacramẽto non penderet ab inſtitutione Chri-
ſti,ſed ab eius incarnatione,& vnione hypoſtaticã
VII. naturæ humanæ cum verbo.

VIII. Adhæc, non minùs propriè dixiſſet Chriſtus
IX. de ligno aut lapide,quàm de pane, *hoc eſt corpus*
meum:cùm Chriſti corpus vbique ſit,& conſequẽ-
ter non minùs in ligno quàm in pane.

S. Auguſt. tom. 6. lib. 20 contra Fauſtum Manich. cap. 13. S. Auguſt. tom. 2. ep. 57. ad Dardanũ queſt. 1. Bellarm. lib. 3. de Chriſto à cap. 9. ad finem libri, & lib 3. de Euch. cap. 17.

Præterea non tantùm in pane & vino, ſed etiã
in omni cibo & potu manducaretur & potaretur
corpus Chriſti & ſanguis,etiam ab omnibus bru-
tis:idque etiamſi Chriſtus nunquam inſtituiſſet
hoc ſacramentum,cùm corpus Chriſti vi vnionis
hypoſtaticæ ſit in omni re, non vi inſtitutionis
Chriſti,ſecundùm illorum opinionem: quæ om-
nia prorſus abſurda ſunt.

Hæc olim fuiſſe Manichæorum deliria teſtatur
S. Auguſtinus:contra quem errorem ex profeſſo e-
tiam diſputat alibi;ſed de hac re tam abſona ſatis.
Qui plura contra *Vbiquitatem* deſiderat,conſulat
Bellarminũ: ille enim & prolixè & accuratè om-
nes Vbiquitariorũ errores refutat.

CA-

CAPVT II.

Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia ſtatim poſt Conſecrationem, antequam ſumatur.

INTER Lutheranos, qui Vbiquitatē reſpuūt, nō pauci ſunt, qui exiſtimant corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia, niſi in ipſo vſu, hoc eſt, quādo ore ſumitur & comeditur. His fauent etiam Caluiniani, qui dicunt ſe Chriſtum ſumere fide, cùm comedunt panem & bibunt vinum. Sed iſta eſt manifeſta hæreſis, quæ & ſacris literis, & naturæ ſacramentorum, & toti antiquitati aduerſatur. I.

Aduerſatur quidem ſacris litteris: Nam antequam manducarent Apoſtoli, affirmauit Chriſtus id, quod adhùc manu tenebat, ſuum eſſe corpus. Item Apoſtolus Paulus aſſerit id, quod frangitur, eſſe corpus Chriſti: *panis* (id eſt, cibus Hebraica phraſi) *quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Atqui perſpicuum eſt fractionem præcedere manducationem. Et rurſus eodem loco: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Atqui benedictio præcedit etiam ſumptionem: eſt igitur ſanguis Chriſti in calice ſtatim poſt benedictionem ſeu conſecrationem, antequam ſumatur. II. *Mat.* 26. *v.* 26. 1. *Cor.* 10. *v.* 16. 1. *Cor.* 10. *v.* 16.

Verùm circa hæc verba Apoſtoli duo ſunt obſeruanda: Alterum eſt, quòd *calix benedictionis* in his verbis idem ſit, quod calix valdè benedictus, iuxta phraſim Hebraicam: Nam Hebræi quando volunt excellētiam rei ſignificare, ſolent vſurpare genitiuum caſum pro adiectiuo. Sic in Exodo, III. *Exod.* 3. *v.* 6.

terra

terra ſanctitatis ſignificat terrā ſanctiſſimā: & alibi ab eodē Apoſtolo Antichriſtus vocatur *homo peccati*, id eſt, homo pleniſſimus peccatis; itē, *filius perditionis*, hoc eſt, filius maximè perditus. Ad eundē planè modum hoc in loco *calix benedictionis*, ſignificat calicem maximè, & præſtantiſſimo modo benedictum.

2. ad Theſ. 2. v. 3.

Alterum hic obſeruandum eſt, quòd verbum εὐλογεῖν hoc in loco regat accuſatiuum caſum, ita in Græcè habetur: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν: *Calix benedictionis quem benedicimus:* porrò etſi verbum εὐλογεῖν, quando regit datiuum caſum, ſignificet gratias agere, tamen cùm regit accuſatiuum, ſignificat vel laudare, vel ſanctificare: & cùm calix non ſit capax laudationis, neceſſe eſt, vt hic intelligatur ſanctificatio ſeu conſecratio Calicis, quæ fit verbis Chriſti. Id quod inficiari non poſſunt Caluinus & Beza. Caluini verba ſunt iſta: *Neque enim his aſſentior, qui per benedictionem gratiarum actionem intelligunt, & benedicere exponunt gratias agere. fateor quidem interdum hoc ſenſu poni: ſed nunquam in ea conſtructione, qua hic vſus eſt Paulus. Nam quòd Eraſmus præpoſitionem ſubaudit, nimis eſt coactum.* Ita Caluinus. Beza verò ad hunc modum: *Nuſquam legi* εὐλογεῖν *tranſitiuè vſurpatum pro gratias agere.* & paulò pòſt, *Puto enim* εὐλογεῖν *idem hic declarare atque in infinitis locis veteris teſtamenti* קדש Cadaſch, *id eſt, ſanctificare, ſeu conſecrare.* hactenus Beza.

Cal ad v. 16. ep. 1. ad Corinth. cap. 10.

Beza ad eundem verſum 16. in annotat. an. 1565.

Aduerſatur etiam iſte aduerſariorum error naturæ ſacramentorum nouæ legis, quæ conficiuntur verbis Chriſti iuxta commune illud axioma S. Auguſtini ab aduerſarijs etiam ſæpe vſurpatum: *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.*

S. Auguſt. tom. 9. tract. 80. in Euan. S. Ioannis.

Digitized by Google

tum. Præterea Sacramenta nouæ legis ſunt actiones Chriſti, non noſtræ, quòd ea pertineant ad æternum Chriſti ſacerdotium, qui his Sacramentis ſanctificat populum ſuum: Neque enim eſt ille, qui baptizatur, qui efficit baptiſmũ; ſed ille, qui baptizat, aut potius Chriſtus per ſuum miniſtrum: ſed ſi manducatio efficeret ſacramentum Euchariſtiæ, iam Sacramentum eſſet actio hominis manducantis; & manducans, non Chriſtus Sacramentum hoc efficeret: quæ omnia ſunt valdè abſona: & à Sacramentorum natura alieniſſima.

Denique iſtorum error prorſus aduerſatur toti Antiquitati. Multos Patres pro hac re citat Bellarminus, qui omnes affirmant verbis Chriſti confici hoc ſacramentum. Sed quia res eſt perſpicua, ſatis nobis erit hic citare vnum teſtem ex Latina Eccleſia, cui plurimũ tribuũt Aduerſarij, (nempe S. Auguſtinum) & alium ex Græca Eccleſia S. Chryſoſtomum. Sanctus Auguſtinus cùm diſputat contra Fauſtum Manichæum (qui cum cæteris Manichæis aſſerebat Chriſtum in omnibus rebus, etiã in ſpicis & ſarmẽtis eſſe ligatũ) ſcribit ad hũc modum: *Noſter panis & calix non quilibet quaſi propter Chriſtum in ſpicis & in ſarmentis ligatum, ſicut illi deſipiunt: ſed certa conſecratione myſticus ſit nobis, non naſcitur. Proinde quod non ita fit, quamuis ſit panis & calix, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis*. Ita Sãctus Auguſtinus. Ex quibus verbis duo ſequũtur: Alterum eſt, quòd hoc ſacramentum non fiat per ſumptionẽ, ſed per certam conſecrationem; quam alibi appellat S. Auguſtinus, *precem myſticam*. Alterum, quòd in cœna Caluiniana, vbi non fit iſta certa conſecratio, non ſit

VI.

Bellar. lib. 4. de Euch. cap. 13.

S. Aug. To. 6. lib. 20. c. 13. cõtra Fauſtũ Manichæũ.

S. Auguſtinus tom. 3. lib. 3. de Trinitate c. 4.

F ſacra-

ſacramentum religionis, ſed alimentum dumtaxat refectionis.

VII. Sanctus Chryſoſtomus verò ad hunc modum ſcribit: *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia: hoc eſt, ait, corpus meum: hoc verbo propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox, quæ dixit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram: ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante natura: Ita & vox illa ſemel dicta eſt; ſed per omnes menſas Eccleſiæ vſque ad hodiernum diem, & vſque ad eius aduentum præſtat ſacrificio firmitatem.* Hæc Sanctus Chryſoſtomus.

S. Chryſoſt. in ſermone de proditione Iudæ: habetur in fine Tom. 3.
Gene. 1. verſu 28.

VIII. Sed enim duobus argumentis contendunt aduerſarij probare non verbis Christi, verùm manducatione ipſa fieri Corpus Chriſti: quæ à Lutheranis accepta pluribus verbis conatur Caluinus colorare atque roborare. Primum eſt eiuſmodi: *In verbis Chriſti, hoc eſt corpus meum* (inquit Caluinus) *promiſſio eſt præcepto illi annexa; accipite & manducate: & ita ſub illo præcepto incluſa, vt ſeparata fiat omninò nulla: Igitur non erit corpus Chriſti, niſi manducetur.* Addit & Caluinus exemplum, quo affirmat id clarius fieri: *Mandatum dedit Deus* (inquit) *cùm diceret, Inuoca me, promiſſionem addidit: exaudiam te: qui falſum Deum inuocaret, hac promiſſione fruſtrà gloriaretur.* Reſpondeo, falſum omninò eſt, quod aſſumit Caluinus, népe, in verbis Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, eſſe promiſſionem: nam in his non eſt promiſſio, ſed aſſertio: promiſſiones enim fiunt per verba futuri temporis, non autem per verba præſentis temporis; promittimus namque futura. id quod etiam probat exemplum à Cal-

Calui. l. 4. Inſti. c. 17. ſect. 37.
Pſal. 49. (vel iuxta Iudæos 50.) verſu 15.

à Caluino allatum: promiſſio enim ibi fit verbo *Exaudiam*, quod eſt futuri temporis: hic autem non dicit Chriſtus, *hoc erit corpus meum*, promittendo: ſed dicit, *hoc eſt corpus meum*, aſſeuerando, quæ Chriſti aſſertio falſa eſſe non potuit, ſiue Apoſtoli comediſſent, ſiue minimè.

Porrò, his verbis Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, IX.
aſſeritur & aſſignatur cauſa & ratio, cur debebant Apoſtoli manducare; ita vt verus ſenſus ſit iſte: *Accipite & manducate, hoc eſt enim corpus meum*: Id quod ex verbis, quæ de calice Chriſtum dixiſſe ſcribit Sanctus Matthæus, *Matth.* 26. eſt manifeſtum: videlicet; *Bibite ex hoc omnes, hic* *v.* 27. & 28. *eſt enim ſanguis meus*. Quibus verbis cauſam reddit Chriſtus, cur voluerit eos bibere ex eo, quod in calice erat: quia nimirũ erat iã ſanguis eius; at verò, cùm cauſa adijcitur præcepto, cauſa nequaquam pendet à præcepto, ſed cauſa ſupponitur iam exiſtere, antequam detur præceptum: neque enim cauſa pendet à ſuo effectu, ſed contrà effectus à ſua cauſa: verbi gratia, qui dicit, Accipe & bibe, hoc eſt enim bonũ vinũ; nõ hinc ſequitur, quòd vinum non ſit bonum, niſi bibatur: nam ſiue bibatur, ſiue non, vinum bonum erit bonum. Et vt demus etiã exempla ex ſacris litteris, in quibus illud quod ſequitur præceptum nõ dependet à præcepto, quod præcedit: ſicut hic dicitur, *accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*; ita ſæpiſſime in Veteri teſtamento legitur, *Cuſtodite præcepta mea, Ego Dominus*: vel, *non faciatis hoc vel illud, Ego Dominus*: Quæ quidem forma loquendi *Leuit.* 19. *v.* in vno capite Leuitici ſæpius repetitur: non tamẽ 4. 10. 12. 16. licet hinc inferre, quòd Deus non fuiſſet Domi- 18. 25. 28. nus, niſi Iudæi cuſtodiuiſſent eius mãdata: nã ſiue & 37.

Digitized by Google

cuſtodirent illa, ſiue non, Deus erat ſemper Dominus. Sic dicit S. Ioannes: *Simus in vero filio eius, hic eſt verus Deus*; ſed hinc minimè inferendum eſt, Chriſtum non eſſe verũ Deum, niſi nos ſimus in eo; omnia enim iſta, quę pręceptis his addũtur, ſunt aſſeuerationes, & cauſæ eorum, quæ præcipiuntur: non autem promiſſiones: & proinde in præſenti tempore proferuntur, non in futuro.

1. Ioan. vlt. ver. 20.

X. Secundum Caluini argumentum eſt: *Non panem alloquitur Chriſtus, vt corpus ſuum fiat, ſed diſcipulos iubet manducare, atque illis corporis & ſanguinis ſui communicationem pollicetur.* Ita Caluinus. Reſpondeo, quòd Chriſtus non alloquatur panem, ſed diſcipulos, nihil eſt ad rem: ſatis enim eſt, quòd Chriſtus de pane loquatur, vt eius ſermo in pane nouum operetur effectum. Nam & Chriſtus, quando mutauit aquam in vinum, non eſt allocutus aquam, vt vinum fieret, ſed allocutus eſt miniſtros, qui aquam hauſerunt: & nihilominùs ſermo eius operabatur in aquam, eamque in vinum mutauit. Ad eundem modum, quamuis Chriſtus Apoſtolos, non panem allocutus ſit, tamẽ quia de pane loquebatur, ſermo eius in ipſum panem mirabilem operatus eſt effectũ, non quia pollicebatur illis dumtaxat communicationem ſui corporis & ſanguinis (vt confingit Caluinus) ſed quia exhibebat illis reipſa corpus & ſanguinem ſuum. Communicatio enim denotat effectum corporis & ſanguinis Chriſti, qui ex corpore & ſanguine Chriſti naſcitur: At verò præſentia corporis & ſanguinis Chriſti hanc communicationem præcedit, vt cauſa ſuum effectum: quemadmodum aliàs demonſtrauimus.

Calu. eodẽ c. 17. ſec. 39.

Ioan. 2. v. 8.

Suprà Controu. 3. c. 18. §. 5.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

Corpus Chriſti remanere in Euchariſtia etiam extra vſum.

EX ijs, quæ diximus præcedenti capite, ſatis conſtat, quando incipiat corpus Chriſti eſſe I.
in Euchariſtia, nẽpe ſtatim finitis verbis cõſecrationis: reſtat vt dicamus, quando deſinat corpus Chriſti eſſe in hoc ſacramento; Nam etiam de hac re variæ ſunt hæreſes huius temporis. Nonnulli exiſtimant corpus Chriſti ſemper remanere in Euchariſtia. Ita Vbiquitarij. Enimuerò cùm affirment corpus Chriſti eſſe vbique, neceſſe eſt, vt fateantur illud vbique & ſemper remanere, ſiue in pane, ſiue extra panem. Alij aſſerunt corpus Chriſti non adeſſe, niſi cùm panis comeditur; Alij fatentur illud adeſſe, dum durat tota a-
ctio Cœnę Dominicæ; Alij etiam admittũt corpus II.
Chriſti remanere, cùm reſeruatur ad manducationem, ſiue pro infirmis, ſiue pro abſentibus; ſi modò conſeruationis huius non ſit longa mora. Ita Chemnitius cum ſuis ſectatoribus.

Chemnitius in 3. par. ſui exam. c. 3. & 6. de Euchariſt.

Porrò, hæc illa eſt hęreſis, quam olim ante mille & ducẽtos ferè annos excogitarũt nonnulli inter *Anthropomorphitas*; quos proinde inſanire affirmat Sanctus Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus: de ijs enim ſcribit ille ad hunc modum: *Alios etiã eſſe audio, qui Myſticam benedictionem nil ad ſanctificationem proficere dicant, ſi ex ea aliquid reliquum fiat in ſequentem diem. Inſaniunt verò, qui hæc aſſerunt. Neque enim alteratur Chriſtus, neque ſanctum eius corpus immutatur.* Hæc Cyrillus.

Cyril. in Epiſt. ad Caloſ. Epiſ Arſeniotẽ aduerſus Anthropomorphitas & Maſſalianos, quã Epiſtolam è græco in latinum conuertit, & ſeorſim edidit Bonauẽt. Vulcanus Flãder.

XII. Catholica autē doctrina eſt, Corpus Chriſti & ſanguinem tamdiu remanere, quamdiu manēt ſigna ſenſibilia, ea repręſentantia, videlicet ſpecies panis & vini. Ratio eſt manifeſta, quia quando Deus dat ſignum rei præſentis, durante eo ſigno, durat & veritas ſignificata; alioqui ſignum illud eſſet mendax, & Deus nos falleret: verbi gratia, quando Deus apparebat viſibiliter Patribus, aut Prophetis: quando Spiritus Sāctus apparebat in ſpecie columbæ: quando Angeli apparebant in forma humana; tamdiu aderat Deus & Spiritus Sanctus particulari modo; & tamdiu Angeli aderant, quamdiu durarunt illa ſigna externa: Item quamdiu manebat illa forma viſibilis, quæ repræſentabat Deum, tamdiu adorabant Patres Deum; & ea forma ceſſante dicebatur Deus aſcendere ab illis, vel abire. Māna quoque & Circunciſio, quamdiu durarūt, erant ſemper ſigna *beneuolentiæ* & reconciliationis inter Deum & Populum Iſrael: & ita videre eſt in cæteris omnibus ſignis rerum præſentium, à Deo inſtitutis. Hoc veriſſimum eſſe agnoſcit ipſe Caluinus, cùm ita ſcribit libro quarto Inſtitutionum c. 17. ſect. 10. *Niſi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolū proponi nunquam dicere audeat*. Ad hunc igitur modum quamdiu remanent ſpecies panis & vini, quæ repręſentant corpus & ſanguinem Chriſti, vt præſētia, neceſſe eſt, vt tādiu remaneant corpus & ſanguis Chriſti præſentia, ne ſignum Dei ſit inane & fallax.

Geneſ. 17. v. 22. *Geneſ.* 18. *v. vltimo.*

IX. Idem etiam probat conſenſus antiquæ Eccleſiæ, qui ex tribus ritibus in ea vſitatis conuincitur. Primus eſt, in primitiua Eccleſia, cùm propter perſequutionē Gentiliū nō haberēt Chriſtiani

tam

tam liberum acceſſum ad Sacerdotes, dabatur ſingulis Euchariſtia domum perferenda, vt eam cuſtodirent & ſumerent, quando vellent; ſed mane ante omnem cibum. Non dubitarunt igitur Patres, quin extra vſum remaneret corpus Chriſti in Sacramēto. Huius conſuetudinis teſtes ſunt Tertullianus in libro de oratione capite vltimo in fine, & libro ſecundo ad vxorē capite quinto, Origenes homilia 13. in Exod. circa medium, S. Cyprianus in lib. de ſpectaculis, numero 4. in fine, & ſermone de Lapſis numero 10. prope finem: vbi etiam recenſet miraculum, quod in hac conſeruatione contigerat, cùm Mulier quædam indignè tentaſſet Euchariſtiam ſumere, nam cùm aperuiſſet arcam, in qua conſeruabat Euchariſtiam, igne egrediente ex arca deterrita eſt, ne Euchariſtiam ſumeret. Denique, Sanctus Baſilius in epiſtola ad Cæſariam Patritiam ſcribit de diutina Cuſtodia Euchariſtiæ, etiam ad integrum annum.

Secundus ritus erat, quòd in antiqua Eccleſia ſemper conſeruabatur Euchariſtia pro ægrotis. hanc conſuetudinem agnouit & approbauit ipſum Concilium primum Nicænum canone 12. (vel ſecundùm aliam editionem 13.) & rurſus 14. (qui in alia editione eſt 18.) & ante illud Cōciliū eiuſdem conſuetudinis meminit Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus in Epiſtola ad Fabianū Antiochenum Epiſcopum, quæ extat apud Euſebium lib. 6. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 36. Eodem pertinēt miracula illa, quæ de reſeruata Euchariſtia narrāt S. Gregorius Nazianzenus in oratione 11. quæ eſt de ſorore ſua Gorgonia, numero 22. & Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Donatiſtas. V.

Tertius ritus eſt, quòd ſolebat Euchariſtia de- VI.

portari & tranſferri ad loca remota; cuius ritus meminerunt S. Iuſtinus Martyr apologia 2. pro Chriſtianis in fine,& Sanctus Irenæus in epiſt. ad S.Victorem Papã, quam recitat Euſebius libro quinto hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 24. de quo teſtimonio plura ſequenti capite;huc ſpectat & illud,quod narrat Sanctus Ambroſius, Chriſtianos ſua ætate ſolitos fuiſſe ſecum deferre Euchariſtiam,quando procul nauigabant, vt ſi inſtaret periculum mortis,illam ſumerent. Qui plura teſtimonia Patrum deſiderat, legat Bellarminum:nam quæ modò adduximus, ſatis probant conſenſum antiquæ Eccleſiæ.

S.Ambroſ. in orat.fun. de frat. ſuo Satyro tõ. 5.

Bellarm. li. 4.deEuchariſt.c. 4.

VII. Denique ipſe Caluinus diffiteri non poteſt, *repoſitionem ſacramenti Euchariſtiæ, vt ægrotis extra ordinem diſtribueretur, fuiſſe vſitatam in antiqua Eccleſia*. Ita enim concludit ille diſputationem de hac repoſitione, *Sed enim qui ſic faciunt, habent veteris Eccleſiæ exemplum.fateor.verùm in re tanta, & in qua non ſine magno periculo erratur, nihil tutius eſt, quàm ipſam veritatem ſequi*. Ita Caluinus :qui ſua recentiſſima Inuenta ſolam veritatem exiſtimat:Patrũ autem antiquiſſimorũ doctrinã iudicat valdè eſſe pernicioſam, vt quę doceat illa,in quibus non ſine magno periculo erratur,quemadmodum ipſe loquitur. Sed debuiſſet Caluinus meminiſſe illius,quod alibi ſcribit; *extra controuerſiam eſſe, nihil à principio vſque ad ætatẽ Sancti Auguſtini mutatũ fuiſſe in doctrina Apoſtolica, etiam in Romana Eccleſia*(vt habet in Gallica ſua editione.)porrò omnes,quos hic adduximus, vixerunt ante Sanctum Auguſtinum; conſtat igitur hanc fuiſſe doctrinam Apoſtolorum, vel Caluino iudice.

Calu. lib.4. Inſtit.c.17. ſect 39.in fine.

Calu. lib.4. inſtit.c.2. ſec.3.ſub finem.

CA-

CAPVT IV.

Solemnitatem Corporis Chriſti & proceſſiones, quæ in ea fiũnt, piè & religiosè inſtitutas eſſe.

ADVERSARII maximè aduerſantur feſtũ hoc, quod vocamus *Corporis Chriſti*, & proceſsiones, quę eo die ac per totam octauã fieri ſolent: quare de his nonnihil dicendũ eſt. Cóciliũ Tridentinũ duas aſſignat rationes, cur inſtitutum fuerit hoc feſtum. Prima eſt, vt publicè & ab omnibus gratiæ Deo referantur pro tanto beneficio nobis præſtito. Semper enim mos fuit in vera Dei Eccleſia, vt pro ſingulari & publico beneficio à Deo toti populo exhibito gratiarum actiones publicè referrentur, feſtumque particulare, in memoriam eiuſdem beneficij, conſtitueretur; ne tantum beneficium vnquã traderetur obliuioni. Sic propter beneficium Creationis inſtitutum fuit feſtum Sabbathi. Sic feſtũ Paſchæ in memoriam liberationis populi ex ſeruitute AEgyptiaca. Feſtum Pentecoſtes in memoria legis à Deo donatæ; & Feſtum Tabernaculorum in memoriam conſeruationis populi in deſerto per 40. annos. Sic & poſterioribus temporibus inſtitutum fuit à Synagoga Iudæorum feſtum *Phurim* ſeu Sortium, in memoriam liberationis Iudæorum à cæde, quam Aman exercere cogitabat. Cùm igitur tantum beneficium toti populo Chriſtiano præſtiterit Deus, donando nobis ipſum filium ſuum vnigenitum re ipſa præſentem, tam in medicinam

I. *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 5.* *Exod. 20. v. 11.* *Exodi 13. v. 8. & 9.* *Exodi 23. v. 6.* *Leuit. 23 v. 43.* *Heſter 9. v. 17. 18. 27. & 28.*

& cibum animæ, quàm in ſacrificium propitiatorium pro peccatis, meritò agendæ ſunt illi ſolemniter & publicè gratiarum actiones à toto Chriſtiano populo, ſaltem ſemel in anno. Neque enim poterat Deus maius donum nobis conferre, quàm ſuum proprium filium illi per omnia æqualem.

II. Secunda cauſa eſt, *vt veritas de mendacio & hæreſi triumphũ agat, & veritatis aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſa Eccleſia lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.* Ita Concilium Tridentinum: atque hæc etiam ratio eſt, cur tardiùs inceperint iſtæ ſupplicationes, nam tum primò inſtituit has Eccleſia, cùm incepit hoc ſacramentum vehementiùs, crebriùs & apertiùs ab Albigenſibus hæreticis impugnari.

Concilium Trident. ſeſſ. 13. c. 5.

III. Eſt & tertia cauſa Inſtitutionis feſti Corporis Chriſti, nẽpe vt populus Chriſtianus pleniùs inſtruatur de tanto & tam vtili myſterio. hinc in multis locis per totam Octauam huius feſti fiunt quotidie Conciones de hoc myſterio; Quod hoc tempore valdè expedit, cùm iam ſint tot hæreſes, quæ veritatem huius ſacramenti oppugnant.

IV. Quarta etiam cauſa eſt, vt populus Chriſtianus hac ſolemnitate incitetur ad Communionem & dignam receptionem huius tam ſalubris ſacramenti. Ita enim conſtitutum fuit in prima huius feſti inſtitutione, quæ facta eſt ab Vrbano Papa 4. & confirmata in generali Concilio Viẽnæ in Gallia celebrato, vt videre eſt in tertio libro Clementinarum conſtitutionum.

In Clemẽt. lib. 3. tit. 16. qui inſcribitur de reliquijs & venerat. Sanctorum can. 1.

V. Quinta cauſa, vt ea, quæ per totum annum per negligentiam omiſſa, aut per incuriam com-

commiſſa ſunt contra debitam venerationem & cultum huius ſacramenti, in hac celebritatę reſarciantur. hęc cauſa etiam aſſignatur in eadem Clementina citata.

Sexta cauſa eſt, vt maiori cultu & veneratio- VI.
ne colatur Chriſtus, qui eſt realiter præſens, etiam ſecundùm ſuam humanitatem: idq́ue non tantùm priuatim, ſed & publicè: & non tantùm à paucis, ſed à toto populo Chriſtiano, vno tempore, eodemq́ue die: Neque enim poſſumus Chriſtum ſatis dignè venerari, iuxta illud Sapientis: *Benedicentes Domi-* *Eccleſiaſtici*
num, exaltate illum quantum poteſtis, maior *43 verſ. 33.*
enim eſt omni laude. Et ſanè hanc cauſam nemo reijcere poteſt, niſi Arrianus aut Neſtorianus; qui enim filium Dei negat adorandum diuino Cultu; neceſſę eſt, vt ille vel Arrianus, vel Neſtorianus ſit.

Septima ratio eſt, vt diſcernantur Catholici VII.
ab hæreticis; quod perſpicuè fit in hac tanta ſolemnitate; nam in ea gaudent & exultant Catholici, fremunt vel contriſtantur hæretici, ita vt facillimum ſit hos ab illis diſcernere.

Octaua ratio eſt. vt multi incitentur ad deuo- VIII.
tionem & fidem tanti myſterij tanta & tam publica ſolemnitate: Nam nil magis ſolet homines mouere, quàm publicum multorum exemplum, & vniuerſalis totius populi conſenſus.

Nona cauſa eſt, vt detur occaſio Catholicis IX.
exercendi multas pias & deuotas actiones erga Chriſtum præſentem; nam exercent actus fidei, dum credunt ipſum re ipſa præſentem; & dum publicè profitentur hanc ſuam fidem de

rea-

reali Chriſti præſentia; exercent actus ſpei, dum à Chriſto multa bona expectant; dum longè ardentiùs orant: Experientia enim docet, ardentiores eſſe preces & feruentiores in ipſius Chriſti humanitatis reali præſentia: hinc eſt quòd in continua illa oratione quadraginta horarum exponatur hoc ſacramentum. Charitatis quoque actiones exercent Chriſtiani, dum Chriſtum proſequuntur magno amore & honore. Religionis etiam actus, dum conantur Chriſtum præſentem omni interiori & externa reuerentia & cultu excipere. Poſſunt & aliæ variæ huius ſolemnitatis rationes iuſtiſſimæ aſſignari, quas breuitatis cauſa omittimus.

Petrus de Natalibus lib.5.c.45.

X. Verùm obijciunt aduerſarij: Inſtitutionem huius feſti eſſe recentẽ, ab Vrbano nempe Quarto factam, anno Domini 1263. vt refert Petrus de Natalibus. Reſpondeo, ſatis eſſe, quòd res ipſa ſit inſtituta ab ipſo Chriſto: Chriſtus enim erat, non Vrbanus, qui inſtituit hoc ſacramẽtum. Nã alioqui multa etiam alia feſta recenter inſtituta ſunt, quæ non parum vtilitatis afferunt populo Chriſtiano. Inter quæ eſt feſtũ ipſius ſanctiſſimæ Trinitatis. Quod tẽpore Alexandri Papæ III. nondũ obſeruabatur in Romana Eccleſia, vt teſtatur ipſe Alexander. hoc .n. feſtũ Trinitatis diu poſt feſtũ Corporis Chriſti inſtituit Ioã. 22. teſte Piſano. Similiter feſtũ Transfigurationis Domini ducentis ferè annis poſt feſtum Corporis Chriſti inſtitutum fuit à Calixto Tertio, & feſtum Viſitationis Beatæ Virginis (quod Lutherani per totam Germaniam ſolemniter celebrant) fuit centum & ampliùs annis inſtitutum poſt feſtũ Corporis Chriſti ab Vrbano Sexto. Verùm in his feſtis non eſt conſiderandum tempus inſtitutionis, ſed res ipſa,

Alexander lib.2.decretaliũ titulo 9. qui eſt de ferijs can.2.

Piſanus in ſũma verbo feria, §.3.

Vide chronographiam Genebrardi, anno 1455. & 1378.

cuius

Digitized by Google

cuius cauſa feſtũ inſtituitur. Enimuerò quòd homines paulatim obliuioni tradãt diuina beneficia, ſolet Eccleſia recenti & iterata feſtorum inſtitutione hominibus ſubinde in memoriam reuocare præcipua Dei beneficia, & illa præſertim, quæ ab hæreticis in dubium reuocantur.

Quod verò attinet ad ipſas ſupplicationes, in quibus hoc venerabile ſacramentum circumfertur, non deſunt teſtimonia præclara huius rei, ſiue ſacras literas conſulamus, ſiue ritus antiquæ Eccleſiæ. Nam in primis ſi conſulamus ſacras literas, docebunt illę arcam Teſtamenti (quæ erat figura tantùm Chriſti nobiſcum in hoc ſanctiſſimo ſacramento perpetuò commorantis) fuiſſe circumgeſtatam humeris Leuitarum iubente Moyſe, (aut potius ipſo Deo) non vno dumtaxat aut altero die, ſed quadraginta annorum ſpatio per deſertum, quoad vſque peruenerunt filij Iſrael ad terram promiſſionis: idque magna celebritate, & pietate. Immò arca iſta fœderis præcedebat populum per deſertum, itinere trium dierum, prouidens caſtrorum locum, ſeu, vt eſt in Hebræo: לָתוּר לָהֶם מְנוּחָה *Latùr labem menuchà*, hoc eſt, ad explorandum eis requiem: quibus verbis ſignificatur, quòd ipſa arca ſua præſentia exhibebat & præbebat populo locum commodum & ſecurum ad quieſcẽdum toto illo quadraginta annorum ſpatio. Tanta præſtabat arcæ præſentia, eiuſque circumuectio, viuente adhuc Moyſe. XI. *Numerorũ 4. v. 15. & 1 Para. cap. 15. v. 15. Nume. 10. v. 33.*

Poſt mortem verò eius non minora contulit Arca hæc populo beneficia. Nam ad præſentiam arcæ exiccatæ ſunt aquæ Iordanis, ita vt totus populus Iſraeliticus ſicco pede per arentem alueum tranſiret. hinc præcepit Ioſue populo, vt poſteris XII. *Ioſue 3. v. 15. 16. & 17.*

de

de hoc miraculo interrogantibus ita reſponderent: *defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cùm transiret eum.* vel, vt eſt in Hebræo paulò ſignificantius, *Exſiccatæ ſunt aquæ Iordanis à facie Arcæ fœderis Domini.* Illa autem phraſis, *à facie*, apud Hebræos cauſam denotat: ſic enim dicit Propheta Regius, *Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob.* Qua forma loquendi cauſam ſignificari nõ eſt dubium.

Ioſuè 4. v. 6. & 7. *Pſal. 113. (vel ſecundùm Iudæos) 114. v. 5. & 7.*

XIII. Paulò pòſt cùm obſideretur Ierícho, expugnari non poterat, niſi Arca hæc Domini ſeptem diuerſis diebus, ac tredecim vicibus (Sex nimirum diebus, ſemel quotidie, & ſeptimo die ſepties) circum totam Ciuitatem geſtaretur cum maxima ſolemnitate & pompa: *ſeptem buccinis concrepantibus, & toto armato exercitu præcedente: Vulgo autem inermi ſubſequente arcam fœderis*; quæ ſolemnis admodum fuit totius veteris Dei Eccleſiæ proceſſio, & frequens: ex qua ſecutum eſt inſigne miraculum, ſubitus nimirum caſus, atque ruina altiſſimorum murorum ciuitatis Iericho.

Ioſue 6. v. 13. 14. 15. *Ioſue 6. v. 20.*

XIV. Facta ſunt quidẽ hæc omnia, præcipiente Deo: Sed Deus hæc nõ præcepit ſine cauſa, nẽpe, vt ea, quæ fiebant per præſentiam huius Arcæ, præſignificarent nobis, quàm vtilis atque neceſſaria nobis eſſet præſentia humanitatis Chriſti, quæ veriſſima eſt fœderis, & amicitiæ Dei cum hominibus arca, teſtimoniumque certiſſimum: *vmbram enim habuit lex* (Apoſtolo teſte) *futurorum bonorum.*

Heb. 10. v. 1

XV. Capta quidem fuit ſemel Arca & aſportata à Philiſthæis. Verùm iſtud nõ idcirco euenit, quòd illa ad bellum deportata fuerat ſine expreſſo Dei præcepto, vt cõminiſcũtur aduerſarij. Nã deportata

tata etiã fuerat Arca ad bellum ſine tali præcepto, quando Saul obtinuit inſignem illam Victoriam contra Philiſthæos diu poſtea: & iterum quando Ioab expugnauit Ammonitas. Sed illud contigit propter grauiſſima ſcelera filiorum Sacerdotis Heli. hi enim adeò erant ſcelerati, & peruerſi in ipſo ſacerdotum officio, vt populus contemneret Dei Sacrificia. Nam vbi Latinè habemus, *Retrahebant homines à ſacrificio Domini*, Hebraicè eſt: נאצו niatsù, hoc eſt, *contemnebant homines ſacrificia Domini.* Et paulò pòſt dicit Dominus per Prophetã, *eos calce abieciſſe, ſeu calcitraſſe in Victimas & Sacrificia ſua:* quibus verbis ſignificatur maxima diuinorum Sacrificiorũ contẽptio, atq; deſpicientia. hæ ſũt cauſæ, quas ſcriptura ſacra aſſignat, cur interfecti fuerint ambo filij Heli eodem die, & Arca à Philiſthæis capta; non autem quòd deportata fuerit ad bellum, quod licitum & vtile fuiſſe alijs ſcripturæ ſacræ exemplis oſtendimus. Denique quamuis capta fuerit Arca & abducta ad ſeptem dumtaxat menſes propter peccata Sacerdotum; interea tamen adeò afflixit illa Philiſthæos varijs modis, vt coacti fuerint eam remittere cum magno honore, comitantibus eam quinque Philiſtinorũ ſatrapis vſque ad terminos Regionis Iudæorum.

1. Reg. 14. v. 18. & 23. *2. Reg. 11. v. 11. & cap. 12 v. 26.* *1. Reg. 2. v. 17.* *Ibid. v. 29.* *1. Reg. 6. v. 1* *Ibid. v. 3. 12 & 16.*

XVI.

Sed vt ad proceſſiones & circumuectiones Arcæ redeamus; ſolennis valdè fuit illa proceſſio, & deportatio Arcæ à Gabaa in domũ Obed-edõ, quæ deſcribitur tùm in libro 2. Reg. tùm in 1. Paralip. nempè in qua fuerunt plures quàm triginta millia hominum cum ipſo Rege Dauide: & in qua nec Cantica ſolennia defuerunt, nec varia inſtrumentorum muſicorum genera.

2. Reg. 6. v. 1. 4. & 5. & 1. Paral. 13. v. 5 & 8.

XVII.

Non abſimilis fuit & illa proceſſio, quam poſt

2. Reg. 6. v. 12. & 1. Paralip. 15. per totum cap. tres menſes inſtituit idem Dauid, cùm Arca primùm omnium delata fuit in Ciuitatem Dauid. huius quoque proceſſionis ſolennitas multis verbis deſcribitur in libris Reg. & Paraſip.

XVIII. Fuit demùm & celeberrima illa totius veteris Eccleſiæ ſupplicatio, atque circumuectio Arcæ fœderis; quando Rex Salomon eam tranſtulit è Ciuitate Dauid ad nouum illud templũ, quod ipſe ædificauerat: vt ex lib. Reg. & Paralip. ſatis conſtat. 3. Reg. 8. v. 1. 3. & 4. & 2. Paralip. 5. v. 2. & ſeq.

XIX. Quòd ſi tantus honor, tantaque veneratio Arcæ debebatur, & tot tantaq; beneficia populo Dei præſtitit præſentia & circumuectio Arcæ, quæ erat figura dumtaxat Chriſti: quantò maiore veneratione amplioreque honore dignus eſt ipſe Chriſtus, verus Deus & homo? quantoq; plura & maiora beneficia ab eius præſentia & circũgeſtatione expectanda erunt? ſi modò *adeamus cum ſyncera fide atque fiducia* (vt cum Apoſtolo loquamur) *ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Porrò thronus iſte gratiæ non alius eſt, quàm ipſe Chriſtus, qui in hoc ſanctiſſimo Sacramento eſt reipſa & veriſſimè præſens: In Chriſto enim homine, vt in throno ſuo, ſedet, quieſcit, atq; cõmoratur perpetuò Diuinitas: atq; in eo vt in throno ſuo iudicabit Deus orbẽ Terrarum vniuerſum: *Pater enim omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium.* Ad Hebr. 4. v. vlt. Ioan. 5. v 22. & 23.

XX. Iam verò vt ad nouum teſtamentum veniamus, ſolemnis valdè fuit & illa proceſſio populi fidelis, quæ facta eſt, cũ Chriſtus ingreſſus eſt Hieruſalem, & tot populi acclamationibus, alijſque lætitiæ ſignis receptus fuit Dominica Palmarũ: quem glorioſum, veluti Chriſti triumphũ, omnes qua- Matth. 21. v. 8. & ſeq. Mar. 11. v. 8. & ſeq. Luc. 19. v. 36. & ſeq.

quatuor Euangeliſtæ non paucis verbis ſunt proſecuti. Cùm igitur idem ſit Chriſtus, qui, etſi modo inuiſibili, tamen reipſa & veriſſimè venit ad nos in hoc ſanctiſſimo Sacramento, vt nobiſcum commoretur tamquam verus noſter Emmanuel (*quod eſt interpretatũ, nobiſcum Deus*, teſte ſancto Matthæo.) Pari ſanè honore, reuerẽtia & cultu excipiendus eſt, ac ab Apoſtolis & pio illo populo receptus olim fuerat. *Ioan.12.v.13.& ſeq.* *Matt.1.v.23.*

XXI. Denique, non deeſt primitiuæ Eccleſiæ exemplũ; nã vt apud Euſebium narrat ſanctus Irenæus Apoſtolorum ætati proximus, in epiſt. quam ad S. Victorem Papam & Martyrem dedit; antiqua fuit Romæ conſuetudo, vt ſummi Pontifices in ſignum pacis & vnionis Euchariſtiã tranſmitterẽt Catholicis Epiſcopis Romam aduenientibus. Et vt omittam verbum Græcum, πέμπειν, quo vtitur S. Irenæus, propriè ſignificare cum pompa ſeu ſolemnitate mittere; certè Rufinus, qui vixit ætate Sancti Auguſtini, & benè nouerat vim verbi Græci, atque etiam palàm ante oculos habebat morem, quo antiqua Eccleſia vti ſolebat in tranſmiſſione Euchariſtiæ, ita hæc verba ex Græco cõuertit, *Euchariſtiam ſolemniter tranſmittebant*: ſolẽnis igitur iſta Euchariſtiæ tranſmiſſio & circumuectio vſitata fuit in antiqua Eccleſia. *Euſeb.l.5. hiſt. Eccleſiaſt.c.24.* *Rufi. in ſua verſio. hiſt. Eccle. Euſebij lib.5. c.24.*

XXII. Vbi etiam obſeruatione dignum eſt, hanc cõſuetudinem tranſmittendi Euchariſtiam non incepiſſe tempore S. Irenæi, etſi ipſe proximus fuerit ſæculo Apoſtolorum: Nam S. Irenæus eodem loco ſcribit Romanos Epiſcopos, qui S. Victorẽ anteceſſerunt, hanc conſuetudinem perpetuò obſeruaſſe, quos etiam nominatim recenſet vſque ad ipſam Apoſtolorum ætatem. Inter quos numerat S. Anicetum Papam, qui hoc ritu excepit S. Poly-

carpum S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum: vt proindè dubitandum nõ ſit, quin ritus iſte ab ipſa Apoſtolorum Petri & Pauli doctrina profluxerit. Quod vel ſolum ſatis eſſe deberet ad cõfundẽdos aduerſarios: iuxta illud, quod alibi ſcribit idem

S. Ire. lib. 3. aduerſus Hæreſes c. 3.

S. Irenæus: *Maximæ* (inquit) *& antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes: confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præter quàm oportet, colligunt.* Ita Sanctus Irenæus, qui tanti faciebat traditiones Romanæ Eccleſiæ, vt has ſolas ſufficere arbitraretur ad cõfundendas omnes hęreſes.

CAPVT V.

Ex ſimilitudine Baptiſmi non conuinci Euchariſtiam non eſſe ſacramentum extra vſum.

1\. VNVM habent aduerſarij argumentum, quo exiſtimant ſe conuincere Euchariſtiã nõ eſſe verum ſacramentum extra vſum: & ex conſequẽti corpus Chriſti in ea extra vſum remanere nõ poſſe. Argumentũ autem hoc deſumũt ex ſimilitudine, quam contendunt eſſe inter Baptiſmũ & Euchariſtiã: Nam eſſentiam Baptiſmi cõſiſtere in ſacra actione, & nõ in re permanente extra controuerſiam eſt. Sed veriſſimum eſt, quod vulgò dici ſolet, argumentum à ſimili plerumque clau-

claudicare. Diſpar enim & diſſimilis eſt ratio Baptiſmi ac Euchariſtiæ, quantum ad hanc rem attinet, idque ex ipſa vtriuſque Sacramenti inſtitutione manifeſtè conſtat. Nam in inſtitutione Baptiſmi fit mentio ſolius actionis: *Baptizantes* (inquit Dominus) *eos in nomine Patris, &c.* At verò in inſtitutione Euchariſtiæ præter actiones illas, Accipite, manducate, bibite, quæ pertinent ad vſum, non ad eſſentiam Sacramenti, facta eſt etiã à Chriſto expreſſa mentio rei permanentis, quæ non eſt actio, ſed ſubſtantia, cùm dixit, *hoc eſt corpus meum.* *Matt. vlt. v.19.* *Matt.26: v.26.*

II. Quare ſubſtantia Sacramenti Euchariſtiæ cõſiſtit in re permanente, & non in ſola actione. Eſt autem triplex cauſa, cur Chriſtus inſtituerit Euchariſtiam in re permanente, Baptiſmum verò in ſola actione, quæ omnes deſumuntur ex ipſa inſtitutione & natura horum duorum Sacramentorũ. Prima cauſa eſt, quia Baptiſmus eſt inſtitutus, vt ſit regeneratio ſpiritualis, S. Ioanne, & S. Paulo atteſtantibus: At Euchariſtia inſtituta eſt, vt ſit cibus & potus ſpiritualis: *Caro mea* (inquit Chriſtus) *verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Generatio autem eſt actio quædam: Sed cibus & potus ſunt ſubſtantiæ ſtabiles & permanentes. *Ioan.3.v.5.* *Tit.3.v.5.* *Ioan.6.v.56.*

III. Secũda cauſa, Baptiſmus eſt inſtitutus, vt ſit Sacramẽtũ tãtũ: At Euchariſtia, vt ſit etiã ſacrificiũ nouæ legis, id quod paulò pòſt ſuo loco probam⁹: porrò in omni ſacrificio neceſſe eſt, vt adſit hoſtia, quæ offerri poſſit, ſubſtantia nimirum conſtans & permanens, qua repræſentetur corpus Chriſti oblatum in cruce. *Infrà cont. 9.* *Hebr.8.v.3*

IV. Tertia cauſa, Baptiſm⁹ eſt inſtitut⁹, vt eo mũdetur, & dignè præparetur ſpõſa Chriſti Eccleſia ad ſpirituales nuptias cũ ſpõſo ſuo Chriſto: At verò

Digitized by Google

Euchariſtia inſtituta eſt, vt Chriſtus declararet ſummũ & infinitũ ſuũ amorẽ erga ſponſam ſuã, iam ei ſpirituali matrimonio coniunctam. Quẽadmodũ multis verbis declarat Apoſtolus atq; etiã admiratur. Purgatio autem iſta & ſanctificatio ſponſæ breui actione abſolui debebat: ſed immenſa iſta dilectio Chriſti erga ſuam ſpõſam non poterat niſi infinito aliquo, ſtabili & perpetuo munere declarari: Atque hinc eſt, quòd Chriſtus ſeipſum totum reipſa dederit ſuæ Eccleſiæ in donum perpetuum, vt ita ſemper præſens adeſſet ſponſæ ſuæ; hoc enim proprium eſt amantium.

Ad Epheſ. 5. v. 25. & ſequent. vſque ad fin. c.

V. Immo ſi Caluiniani non adeò eſſent pertinaces, vnicum hoc argumentũ ſufficeret ad eos conuincendos, nimirum Chriſtum Dominum noſtrum & potuiſſe, & voluiſſe relinquere ſeipſum reipſa ſemper præſentẽ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ: Dubitandum igitur nõ eſſe, quin id fecerit. Nã quòd potuerit iſtud præſtare, probat eius Omnipotentia: Quòd voluerit, probat eius immenſus amor erga ſuã ſpõſam Eccleſiã: Neq; enim minùs amat Chriſtus ſuã ſponsã, quàm quiuis alius homo ſuã: At nemo eſt, qui diſceſſurus à ſua ſponſa, quam vnicè diligit, non remaneret etiam libenter præſens cum ea, ſi poſſet & remanere & diſcedere: Multò igitur magis præſtabit hoc ipſum Chriſtus, *apud quem non eſt impoſſibile omne verbum.* Viſibilem quidem præſentiam ſuam ſubtraxit, quia iſta nobis non expediebat, non enim poteſt iſta cum fide conſiſtere, quæ eſt *illarum rerum, quæ non videntur:* At ſpiritualis iſta & inuiſibilis Chriſti præſentia non ſolùm non aduerſatur fidei, ſed illã in primis exigit, eamq; maximè adauget, eſtq; omnibus planè modis nobis vtiliſſima. Præſen-

Lucæ 1. v. 37.

Ad Hebræ. 11. v. 1.

ſentia enim hæc, & conſpectus ipſius Chriſti magnam affert Chriſtianis conſolationem, & ſpem impetrandi quamcumque petitionem licitam.

Et mirum profectò eſt, quòd Caluiniani, qui toties vrgent & inculcant ſpiritualem manducationem Chriſti, tantoperè inſectentur hanc ſtabilem & perpetuam Chriſti præſentiam nobiſcũ, cùm iſta præſentia maximè incitet homines ad ſpiritualem Chriſti manducationem, nempe ad actus fidei, ſpei & charitatis erga ipſum Chriſtum, vt paulò anteà oſtendimus: In his enim actionibus conſiſtit ipſiſſima & veriſſima ſpiritualis mãducatio Chriſti. Verùm in eo præcipuè errant Caluiniani, quòd exiſtiment realem præſentiam humanitatis Chriſti nihil aut parum nobis prodeſſe. Quæ eſt antiqua Arianorum & Neſtorianorum hæreſis ſuprà à nobis refutata.

VI.

Cap. præcedenti §.9.

Suprà controu.3.c.18. §.12.

SEPTIMA CONTROVERSIA

DE DIGNA PRAEPARATIONE ad receptionem Euchariſtiæ.

CAPVT I.

De prima & ſecunda præparatione ad Euchariſtiam neceſſaria.

1\. Res hæc magni eſt momenti, nam qui indignè accedunt ad hoc Sacramentum, vt Apoſtolus ſeriò monet, *ſunt rei corporis & ſanguinis Domini: Iudicium quoque ſibi manducant & bibunt.* Et nihilominùs aduerſarij multùm hac in re errant. Sunt enim quatuor præparationes ad ſumptionẽ Euchariſtiæ neceſſariæ: prima eſt interior peccatorum pœnitentia: de qua error eſt Lutheri, & quorumdam eius diſcipulorum, qui contendunt præcipuum & proprium effectum huius Sacramenti eſſe remiſſionem quorumcumque peccatorum, etiam mortalium: & conſequenter affirmant eos, qui ſunt conſcij grauiſſimorum peccatorum, poſſe accedere ad hoc Sacramentum, atque inde conſequi remiſſionem peccatorum. Qui error

1. ad Cor. 11. v. 27. & 29.

ror

ror condemnatur in Concilio Tridentino & meritò. Nam iſte error pugnat cum natura huius Sacramenti. Eſt enim Sacramentum hoc, cibus & potus ſpiritualis. Atqui cibus & potus non dantur mortuo, ſed viuenti: debet ergo ille, qui ſumit hoc Sacramentum, viuere in Chriſto, & non eſſe mortuus in peccatis. Deinde pugnat iſte error cũ doctrina ipſorum Lutheranorum. Nam illi concedunt fidem ſaltem eſſe neceſſariam in eo, qui accedit ad hoc Sacramentum. Atqui ſola fides ſecundùm illos iuſtificat. Non igitur ritè accedit vllus, niſi iam ſit iuſtificatus à peccatis. Et hoc argumento vtitur Beza contra Illyricum Lutheranum. Caluiniani enim nobiſcum ferè in hac re conueniunt, vt mox dicemus. *Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 5* *Beza vol. 2. tract. 4. qui eſt aduerſus Illyrici demonſtrationes ad 23. demonſt. pag. 175. edit. an. 1582*

II.

Leuia etiam ſunt argumenta Lutheranorum. Dicunt hoc Sacramentum eſſe teſtamentũ Chriſti, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum: Item remiſſionem peccatorum promitti in verbis, quæ de calice dicuntur apud Matth. Marc. & Lucam. Sed hæc argumenta tantùm probant Euchariſtiã habere hunc effectum, quatenus eſt ſacrificiũ, non autem quatenus eſt Sacramentum: Quia Euchariſtia ea ratione, qua eſt ſacrificium nouæ legis, eſt teſtamentum Chriſti, & in eo ſanguis Chriſti effunditur pro peccatis, non ſuſcipientium dumtaxat, ſed etiam aliorum multorum, vt infrà oſtendemus. Denique adeò eſt abſurdus iſte error, vt rari iam ſint inter Lutheranos, qui audeant hunc defendere.

III.

Porrò Caluinus hac in re meris vtitur calumnijs. Nam fingit nos ſtatum gratiæ, quem requirimus in ijs, qui ad Euchariſtiam accedunt, *in-*

Digitized by Google

terpretari purum, purgatumque omni peccato eſſe: Ita ille ſcribit lib. 4. inſtit. c. 17. ſect. 41. Verùm nemo Catholicorum hoc vnquã cogitauit: Non enim requirimus, vt ille qui accedit ad hoc Sacramentum, ſit purus ab omni peccato, ſed tantùm vt ſit purus à peccato mortali, de quo dicit S. Ioannes: *Omnis qui peccat, non vidit eum* (Chriſtum ſcilicet) *nec cognouit eum.* Et rurſus: *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.* Neque enim debet ille accedere ad hoc Sacramentum, qui Chriſtũ nõ videt, nec cognoſcit: aut qui ex diabolo eſt.

1. Ioan. 3. v. 6.

Ibidem v. 8.

IV. Fatetur etiam Caluinus ſub finem ſect. 42. eiuſdem cap. 17. ſe nobiſcum in hoc conſentire, quòd dicamus dignitatem ad hoc ſacramentum neceſſariam in fide & charitate poſitã eſſe: ſed addit, nos exigere *fidei perfectionem, cui nihil omnino accedere poſſit: & charitatem parem ei, quam Chriſtus erga nos declarauit.* Sed hæc aperta eſt calumnia. Enimuero ſat ſcimus neminem conſequi poſſe eam fidei perfectionem, cui nihil omninò accedere poſſit: & multò minùs poſſe aliquẽ aſſequi Charitatem parem ei, quam Chriſtus erga nos declarauit: ſed tantùm dicimus proprium effectũ huius ſacramenti non eſſe remiſſionem peccatorum mortalium, & reconciliationem impij cũ Deo (quamuis per accidẽs aliquando poſſit talis effectus ex hoc ſacramento prodire, quando nõ adeſt aliud remedium) ſed proprium effectũ huius ſacramẽti hunc dicimus eſſe, quòd nutriat animam ſpirituali alimento, atque etiã perfectiùs cõiungat hominem iuſtificatum cum Chriſto; & iuſtificatos inter ſe. Id quod Apoſtolus expreſſè etiam docet: ac proinde docemus ſolam fidem ſine charitate non ſufficere; ſed requirimus illam fidẽ illamq; charitatẽ, quę eſt ad iuſtificationẽ neceſſa-

1 Cor. 10 v. 17. & ad Ephe. 5. v. 29.

ria: Et vt nemo, quem conſcientia peccati mortalis grauat, ſine præuia pœnitentia ad hoc ſacramẽtum accedat: vt videre eſt in Cõcil. Trid. Et certè ipſe Caluinus eodẽ cap. 17. ſect. 40. agnoſcit hoc ſacramentum venenum eſſe, non cibum illis, qui charitate carent. Qui plura contra hunc errorem videre deſiderat, Bellarm. conſulere poterit. *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. & can. vlt.* *Bellarm. li. 4. de Euch. c. 17. 18. & 19.*

Secunda præparatio ad Euchariſtiam, eſt ſacramentalis cõfeſsio peccatorũ mortalium, quorum homo ſibi conſcius eſt, vt declarat Concil. Trid. Qua in re grauiter errãt Lutherani, & multò grauiùs Caluiniani. Verũ controuerſia hæc nõ eſt huius loci, ſed ad ſacramentum pœnitentiæ ſpectat. V. *Concil. Trid. locis cit.*

CAPVT II.

De tertia & quarta præparatione ad ſacramentum Euchariſtiæ.

TERTIA præparatio eſt illa, quæ præſcribitur verbis illis Chriſti: *hoc facite in meam commemorationẽ.* de quibus Chriſti verbis plura, cũ agemus de ſacrificio Miſſæ, hic ſatis erit obſeruaſſe hæc verba nihil facere cõtra realẽ præſentiã corporis Chriſti in hoc ſacramẽto, etiã ipſo Caluino iudice: vt ſuprà ex eius verbis oſtẽdimus. I. *Luc. 22. v. 19.* *Suprà controu. 3. c. 4. in fine.*

Quarta denique præparatio eſt ieiunium: húc fuiſſe antiquiſſimum morem Eccleſiæ conſtat ex Tertul. Eundem morem diligenter obſeruatũ fuiſſe per vniuerſum orbem tempore S. Auguſtini atteſtatur ipſe Sanctus Auguſtinus. Vbi etiã affirmat hoc ipsũ ab Apoſtolis fuiſſe cõſtitutũ. Quod etiam ſatis apertè colligitur ex illis verbis Apoſt. II. *Tertul. li. 2. ad vxorem cap. 6.* *S. Auguſt. to. 2. epiſt. ad Ianuarium cap.*

ſi quis eſurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis. Neque enim eſurijſſet vllus, niſi tunc fuiſſet mos ieiunandi ante communionem. Neque amãdaſſet Apoſtolus eſurientem domum, vt comederet communem cibum, ne in Eccleſia conueniret cum alijs ad ſuam condemnationem; niſi fuiſſet graue peccatum poſt communem cibum ſumere Euchariſtiam: vt benè obſeruarunt ſanctus Chryſoſtomus, Sedulius, Theophylactus & Oecumenius. Denique omnes ferè tam Lutherani, quàm Caluiniani ratione & experientia edocti, hoc iam obſeruare ſolent, vt ieiuni accedant ad ſuam Communionem. Qui plura de hac re deſiderat, legat Bellarminum & Coccium.

1.Cor.11.v. vlt.

Chry. Sedul. Theoph. Oecum. in 1.Cor.11. ad v. vlt.

Bellar. lib. 2. de Miſſa c.14. in fine.

Coccius to. 2. lib. 6. art. 10.

OCTA-

OCTAVA CONTROVERSIA

DE COMMVNIONE INFANtium, & Communione ſub vna ſpecie.

CAPVT I.

Communionem Infantium meritò ſublatam eſſe ab Eccleſia.

DVas has controuerſias de communione infantium, & communione ſub vna ſpecie, coniungit Concil. Trid. & rectè: ſunt enim conſimiles: & vna aliam confirmat. Quod verò attinet ad communionem infantium, ſoli Huſſitæ in Bohemia hunc morem pertinaciter retinēt. Nam Lutherani, Caluiniani, & alij huius temporis ſectarij eos propterea damnant: ac cùm primis ipſe Caluinus. Et nihilominus ſatis conſtat, hanc fuiſſe antiquiſſimam conſuetudinem multarum Eccleſiarum. Huius enim ritus meminit ipſe Dionyſius Areopagita ſancti Pauli diſcipulus, & poſt illum ſanctus Cyprianus. Præterea fuiſſe hanc conſuetudinem etiam Romanæ Eccleſiæ conſtat ex antiquo Romano officio in capite de ſabbatho ſancto, vbi monentur etiam parentes, 1.

Conc. Trid. ſeſſ. 21. Cal. lib. 4. Inſtit c. 16. ſect. 30. S. Dionyſ. in Eccleſiaſt. hierarch. c. vlt. in fin. S. Cypr. ſer. de lapſis nu. 10. quem locum ex illo citat S. Auguſt. tom. 2. epiſt. 23. ad Bonifac.

ne

ne poſt baptiſmum infantibus permittant dari lac, donec communicauerint. Durauit etiam iſta conſuetudo in quibuſdam Eccleſijs vſque ad tẽpora Hugonis de Sancto Victore (qui vixit circa annum 1130.) immo vſque ad ætatem etiam Bartholomæi Brixienſis (qui vixit anno 1240. & ſcripſit gloſſam in decretum Gratiani) vt ex eorum verbis illico oſtendemus.

Extat hoc officiũ antiquũ Rõ. To 1. Auct. Bibliotheca SS Patrum Idem ex officio Romano antiquo refert Albinus Alcuinus in c. de Sabbatho Sancto Paſcha.

II. Verùm infantibus non dabatur Euchariſtia ſub vtraque ſpecie, non enim poterant veſci ſpecie panis: ſed dabatur illis tantùm ſub ſpecie vini. Hoc autem in primis cõſtat ex miraculo illo, quod refert S. Cyprianus. Quod etiam clariùs declarat Hugo de S. Victore, cùm ita ſcribit: *Pueris recẽs natis idem ſacramentum in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum digito ſacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt.* & paulò pòſt: *Ergo (ſi ſine periculo fieri poteſt) iuxta primariam Eccleſiæ inſtitutionem Sacramentum Euchariſtiæ in ſpecie ſanguinis eſt tradendum pueris.* Idem probant verba illa Bartholomæi Brixienſis, qui in fine canonis 28. cuius initium eſt: *Si qui apud illos*, de conſecra. diſt. 4. ita ſcribit, *Paruulis non datur corpus Chriſti, niſi fortè vbi conſuetudo eſt, quòd infundatur per ora eorum ſanguis Chriſti, non corpus; ſecundùm quoſdam.* Ita gloſſa. Quod ideo hic obſeruãdum eſt, quia ritus iſte etiam probat communionem ſub vna ſpecie licitã eſſe, cùm paruulis olim nõ daretur Euchariſtia, niſi ſub vna dumtaxat ſpecie, nempe ſub ſpecie vini.

S Cyprian. ſerm. de lapſis nu. 10. Hugo de S. Victore lib. 1. c. 20. de Ceremonijs, Sacramentis, officijs & obſeruationibus Eccleſiaſticis.

III. Ratio autem cur iſte ritus communicandi infãtes ſublatus fuit ab Eccleſia, nõ erat quòd paruuli non poſſent ſeipſos probare, vt imaginantur aduerſarij & nominatim Caluinus: nã hãc proba-

tionem

tionem non ob aliam cauſam exigit Apoſtolus, quàm vt nemo indignè accedat ad hoc ſacramentũ: Atqui infantes iam baptizati non poſſunt indignè accedere, cùm ſint abluti ab omni peccato per baptiſmum. Ad hæc quemadmodũ infantes non ſunt repellendi à baptiſmo, etſi Chriſtus dixerit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, vt nugantur Anabaptiſtæ: quia Chriſtus de adultis loquebatur, non de infantibus: Ita etiam quando Apoſtolus exigit probationem & recordationem mortis Chriſti, ſatis conſtat ex his quæ præcedunt & ſequuntur, ipſum de adultis loqui, non de infantibus, qui probatione non egent, nec recordatione, ſicut nec egent actu fidei, cùm baptizantur. Denique damnandi non ſunt antiqui Patres, qui infantes admiſerunt ad communionem, nec exiſtimandum eſt eos quicquam commiſiſſe contra Chriſti inſtitutionem: quod planè feciſſent, ſi verũ eſſet, quod dicunt aduerſarij: feciſſent enim contra apertam doctrinam Apoſtoli Pauli, immo ipſius Chriſti, qui dixit, *hoc facite in meam commemorationem*, ſi *hoc facite* fuiſſet dictum etiam infantibus, vt volunt aduerſarij. Certè Caluinus fatetur *hoc in veteri Eccleſia fuiſſe factitatum Cypriani & Auguſtini ætate*. Idem verò Caluinus alibi affirmat *nihil à principio vſque ad ætatem S. Auguſtini mutatum fuiſſe in doctrina Apoſtolica*. Non poterat igitur hoc eſſe contra doctrinam Apoſtolorum, quod S. Auguſtini ætate factitatum eſt; vel ipſo Caluino iudice.

Cal. ſect. 30. cit. *Marci vltimo verſ. 16.* *Luc. 22. v. 19.* *Calu. li. 4. inſtit. c. 16. ſect. 30.* *Calu. eodẽ li. 4 cap. 2. ſect. 3. ſub finem.*

Porrò præcipua cauſa, quæ mouit Patres antiquos, vt Euchariſtiam etiam infantibus porrigerẽt, videtur hęc fuiſſe: Apoſtolorũ tẽpore oẽs ferè IV.

qui

qui baptizabantur erant iam adulta ætate,& quotidie expoſiti varijs perſecutionibus infidelium; atque ob id vt baptizati magis in fide confirmarentur, magiſque corroborarentur contra imminentes perſecutiones, ſtatuerunt Apoſtoli, vt ſtatim poſt ſacramentũ baptiſmi daretur ſacramẽtũ cõfirmationis, atque etiã ſacramentum Euchariſtiæ: quare in antiqua Eccleſia eodem tempore accipiebant Chriſtiani hæc tria ſacramenta; vt conſtat ex his quę ſcribunt S. Dionyſius Areopagita, S. Ambroſius & S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus. Et quia adulti ante baptiſmũ inſtrui debebãt, baptiſmus non niſi bis in anno ſolemniter dabatur, nimirum in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, cuius rei veſtigia adhuc extant in officio Eccleſiaſtico. Nolebant autem Patres, qui Apoſtolos proximè ſubſecuti ſunt, ordinem ab Apoſtolis cõſtitutũ quauis ex parte immutare. Sed ſuccedentibus ſæculis cùm iam ceſſaſſent perſecutiones gentilium, & totus ferè mundus conuerſus fuiſſet ad fidem Chriſti, omneſq; ferè in infantia baptizarentur; atque ita quotidiana eſſet baptiſmi adminiſtratio: viſum eſt Patribus non expedire, vt tot ſacramenta infantibus quotidie darẽtur, quot olim adultis dabantur bis in anno; ſed potius vt ſolus baptiſmus infantibus adminiſtraretur, quòd iſtud ſacramentum ſolum illis eſſet neceſſarium ad ſalutem; alia verò duo ſacramenta non adeò neceſſaria reſeruarentur ad adultam ætatem, cùm illa commodiùs, & præuia maiore præparatione ſuſcipi poſſent.

S. Dionyſ. li. de Eccleſ. Hierarch. S. Ambroſ. li. de ſacrã. S. Cyrill. in 1. 3. 4. Catech. Myſtag. De Paſcha & Pentecoſt. teſtatur Tertul. li. de Bapt. cap. 19. ſeu penultimo.

V. Duæ etiam acceſſerunt cauſæ, eæque præcipuę, quæ mouerunt Eccleſiam, vt hanc conſuetudinẽ cõmunicãdi infantes abrogaret. Prima eſt, quòd tanta & tam frequens communio infantium fieri

non

Digitized by Google

non poterat, niſi indecorè, & cum periculo prophanationis tanti ſacramenti. Id quod experientia quotidiana magis magiſque compertum fuit. Secunda cauſa, quia orta eſt hæreſis quorundã, qui exiſtimarunt hãc communionem eſſe prorſus ad ſalutem neceſſariã infantibus: quam hæreſim adhuc tuentur Huſſitæ. Porrò in illis, quæ non ſunt de ſubſtantia Sacramenti, nec à Chriſto præcepta, Eccleſia & poteſt & debet illud conſtituere, quod pro varietate locorum & temporum magis expedit populo Chriſtiano, magiſque conuenit & decet in modo & ritu adminiſtrationis ſacramentorum: iuxta illud Apoſtoli: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum* (ceu ſacramentorum) *Dei.* *1. ad Cor. 4. v. 1.*

CAPVT II.

Eccleſiam meritò interdixiſſe Laicis Communionem ſub vtraque ſpecie: & totum ac integrum Chriſtum eſſe ſub quauis ſpecie.

MVltũ conqueruntur Lutherani, quòd Laici priuentur Chriſti ſanguine: verũ res nõ ita ſe habet, totus enim & integer Chriſtus Deus & homo eſt in quauis minima parte hoſtiæ conſecratæ, vt ſuprà oſtendimus, & mox fuſiùs declarabimus. Sed non animaduertunt Lutherani ſeipſos ſeſe priuare non ſolo ſanguine Chriſti, ſed tam corpore Chriſti quàm ſanguine, totoque planè Chriſto: nam cùm veros ſacerdotes non habeant, nec corpus nec ſanguinem Chriſti accipere poſſunt, nec verum Euchariſtiæ ſacramentum, cuius miniſtri non ſunt, niſi ſoli ſacerdotes legitimè ordinati. 1. *Suprà contron. 3. c. 19. § 9. & ſeq.*

Verùm

II. Verùm quòd Caluiniani etiam tãtoperè pugnent pro communione ſub vtraque, magis mirãdum eſt; cùm illi agnoſcant ſe aliud non porrigere in ſua cœna quàm vinum, & nos poſt ſacroſanctũ Chriſti corpus demus vinum pro ablutione omnibus, qui illud deſiderant: Eſtque vinum hoc ſignum ſeu ſymbolum ſanguinis Chriſti, qui olim dabatur Laicis, & etiam ſanguinis, qui iam in hoſtia conſecrata ſumitur vnà cum corpore & diuinitate Chriſti: nõ deeſt igitur apud nos ſymbolũ tam præteriti quàm præſentis ſanguinis Chriſti: & ſanè nihil præterea affirmant Caluiniani ſe accipere in ſua ipſorum cœna.

III. Simulant quidem Caluiniani ſe propterea conqueri, quòd Chriſti præceptum & mandatum nõ obſeruemus, qui præcepit, vt vtraq; ſpecies omnibus daretur. Sed præcipua Chriſti mandata, quæ
1. Ioan. 2. v. 4. ſpectant ad Charitatem & vitam ſanctè inſtituendam, parui pendunt; de quibus dicit S. Ioannes, *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Immo illi contendunt iſta mandata eſſe impoſſibilia; & nominatim Calui-
Caluin. lib. 2. inſt. cap. 7. ſect 5. nus: & interea vehementer vrgent mandatum de vino bibendo: Quod nihil aliud eſt, quàm *exco-*
Matt. 23. v. 24. *lare culicem & camelum deglutire,* vt loquitur Chriſtus Dominus: quanquam reuera de hac re nullũ ſit Chriſti præceptum, vt ſequenti cap. manifeſtum faciemus.

IV. Porrò in ritu hoc communicandi ſub vna aut vtraque ſpecie, idem euenit, quod in communione infantium: nam vt communio infantium olim vſitata fuit in antiqua Eccleſia, ſed poſtea abrogata, propter duas illas cauſas, quas in fine præcedentis capitis adduximus: nempe propter frequentem prophanationem tanti ſacramẽti,

& prop-

Digitized by Google

& propter hæreſim inde exortam: ita ob has eaſdem cauſas interdicta fuit communio ſub vtraque.

Enimuerò prior illa cauſa hic quoque locum habet; nam etſi communio ſub vtraque vſitata fuerit in antiqua Eccleſia, quando pauciores erant Chriſtiani, & qui in ipſa communione maiore vtebãtur circũſpectione, quàm iã vtatur vulgus: nunc tamen, cùm tanta ſit Chriſtianorum multitudo, & ex his plurimi valdè rudes, perſpicuum eſt periculum eſſe magnum frequentis effuſionis & conculcationis ſanguinis Chriſti, dum toti populo porrigitur Chriſti ſanguis. Iam verò quantum crimen olim exiſtimatũ fuerit, vel minimum ex hoc ſacramento per incuriam in terram cadere, planè oſtendunt ea, quæ ſcribunt de hac re Tertullianus, Origenes, Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus, & Sanctus Auguſtinus. V.

Tertull. de corona milit. c. 3. in fine. Origen. homil. 13. in Exod circa mediũ. Cyrillus in fine 5. Catecheſis Myſtag. S. Auguſtinus tom. 10. homil. 26. in l. 50. homiliarum.

Ad hæc omnia incommoda reſpondet Caluinus, omnia *pericula, quæ accidere poſſunt, ſi omnibus exponeretur calix, ab æterna Dei ſapientia proſpecta eſſe, & animaduerſa.* Verùm nemo dubitat, quin illa ſint à Deo proſpecta & animaduerſa: ac proinde aſſerimus Deum nullum de hac re præceptum dediſſe, ſicut nec de communione infantium: quandoquidem Deus nunquã præcipit ea, quæ tot habent cõiuncta incommoda & pericula. VI.

Caluin. l. 4. inſtitut. c. 17. ſect. 47.

Deinde ſecunda cauſa, propter quam abrogata fuit communio infantium, non minùs facit pro abrogatione communionis ſub vtraque ſpecie; immo multò etiã magis: quia ex ritu cõmunicãdi ſub vtraq; ſpecie ortæ ſunt duæ pernicioſæ hæreſes, quæ etiã nũc vigẽt, & quæ per cõ- VII.

 munio-

munionem ſub vna ſpecie prorſus extirpantur è cordibus fidelium. In illis autem, quæ libera relicta sũt à Chriſto circa vſũ & adminiſtrationẽ ſacramentorum, Eccleſia debet id ſtatuere, quod magis facit contra hæreſes pullulantes. Sic Eccleſia aliquando ſtatuit trinam ablutionem adhibẽdam eſſe in baptiſmo, aliquando vnam: ſic aliquando præcepit, vt omnes communicarent ſub vtraque ſpecie, (quemadmodum paulò pòſt dicemus) propter hæreſes quaſdam eo tempore vigentes, aliquando vt omnes communicarent ſub vna tantùm ſpecie, propter alias contrarias hæreſes. Noſtra verò ætate meritiſſimò præcepit, vt omnes ſub vna dumtaxat ſpecie communicarent; etiam Sacerdotes, qui non celebrant, propter duas videlicet hæreſes, quæ noſtra ætate multos infecerunt: Et certè nullus ferè eſt, qui noſtro hoc ſæculo efflagitat calicem, qui non altera harum duarum hæreſum laboret.

Can. 49. Apoſt. Concil. 4. Tolet. capite 5.

VIII. Prima hæreſis eſt eorum, qui exiſtimant, quòd totus & integer Chriſtus non ſit ſub quauis ſpecie, ſed corpus Chriſti duntaxat ſub ſpecie panis, & ſanguis dumtaxat ſub ſpecie vini. Hanc hæreſim tuentur non pauci Lutherani. Verùm ea eſt prorſus abſona: nam iſti conantur Chriſtum iam immortalem ſæpe ſæpiuſque interficere, dum ſanguinem totum Chriſti à corpore ipſius reipſa ſeparari volunt. Neceſſe eſt etiam, vt cum Manichæis & Eutychianis, negent Chriſtum eſſe verum hominem: ſi enim ſub panis ſpecie eſt ſolum corpus Chriſti ſine ſanguine, erit & corpus iſtud ſine anima, quoniam ſcriptura ſacra teſtatur *animam omnis carnis in ſanguine eſſe:* atqui corpus ſine anima mortuum eſt, non viuum: homo autem mortuus

Leuit. 17. v. 14.

non

non eſt verus homo: non erit igitur Chriſtus, qui in Euchariſtia eſt, verus homo.

IX. Fatemur quidem ſub ſpecie panis ex vi & ſignificatione verborum eſſe corpus Chriſti duntaxat, & ſub ſpecie vini ſanguinem duntaxat: atque hac ratione voces *corporis* & *ſanguinis* in verbis Chriſti propriè, & non per Synecdochen ſumi ſuprà diximus: nihilominus ex vi naturalis connexionis, quæ eſt inter omnes partes naturales Chriſti iam immortalis, neceſſariò ſequitur ibi eſſe totum & integrum Chriſtum, vbi eſt corpus Chriſti: iuxta illud S. Ambroſij dictũ, *vbi corpus Christi, ibi Chriſtus eſt*.

Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 3.

Supr. cõtrouer. 3. c. 9. §. 18.

Ambroſ. in Pſal. 118. ad illa verba v. 62. Media nocte ſurgebam.

X. Scio, aduerſarios, etiam Caluinianos, qui plus cæteris ſe ſcire arbitrantur, ridere hanc concomitantiam partium naturalium Chriſti hominis: ſed neceſſe eſt, vt illi pari ratione irrideant etiam myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis. Nam cùm illi fateantur in Trinitate tres eſſe perſonas diſtinctas, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, vocabulum Patris ex vi & propria ſignificatione vocis ſignificat Patrem ſolum, non Filium, non Spiritum ſanctum: & tamen vi naturalis concomitantiæ, vbicunque eſt Pater, ibi eſt & Filius, ibi eſt & Spiritus ſanctus. Neceſſe eſt etiam, vt Caluiniani pari ratione irrideant ſuam cænam; Nam omnes Caluiniani ſibi perſuadent, ſe in ſua cæna totum & integrum Chriſtum fide recipere, & non tantùm corpus eius & ſanguinem. Immò non tantùm Chriſtum totum, ſed & mortem quoque eius & reſurrectionem; atque adeò omnia eius beneficia ſe in ſua cœna comedere ſibi perſuadeant neceſſe eſt, ſi Caluini & Bezæ doctrinam ſequi volunt. Quæ noua eſt & hactenus inaudita concomitantia.

Cal. l. 4. inſt c. 17. ſec. 11. & Beza c. 4. cõfeſſ. ſua fidei ar 44. verba illorũ ſuprà habes cõtro: 3. c. 5. §. 15.

XI. Porrò infirma planè eſt illa Caluini obiectio, *Quis ſanus & ſobrius Chriſti corpus Chriſtum eſſe ſibi perſuadeat?* Ita ille. Verùm nemo eſt in fide ſanus & ſobrius, qui ignoret ibi eſſe totum Chriſtum, vbi eſt Chriſti corpus, qui enim id non agnoſcit, Chriſtum ſuo corpore ſpoliat. Neque dicimus nos (quod fingit Caluinus) corpus Chriſti eſſe ipſum Chriſtum; ſed aſſerimus ibi eſſe ipſum Chriſtum, vbicunque eſt reipſa corpus eius; corpuſque Chriſti realiter eſſe non poſſe alicubi ſine toto Chriſto, cùm corpus Chriſti à Chriſto diuelli nō poſſit. Quemadmodum non dicimus Patrem eſſe Filium, aut Patrē eſſe Spiritum ſanctum: ſed benè dicimus Patrem nullibi eſſe, vbi non eſt Filius, & vbi non eſt Spiritus ſanctus.

Cal. c. 17. cit. ſect 35.

XII. Eiuſdem momenti eſt & illa alia Caluini non tam argumentatio, quàm cauillatio; *Si deſignare ſe totum voluiſſet Chriſtus, dicere poterat: Ego ſum: non autem, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.* Ita Caluinus. Alij addunt, *Chriſtum ſaltem debuiſſe dixiſſe, Hoc eſt Chriſtus.* Quibus reſpondemus, Chriſtum non ſine cauſa dixiſſe, *Hoc eſt corpus meū, hic eſt ſanguis meus:* non autē, *Ego ſum*, aut, *hoc eſt Chriſtus*. Nam ſi Chriſtus dixiſſet: *Ego ſum*; vel, *Hoc eſt Chriſtus*, facilè potuiſsēt Caluiniani, aut alij eiuſdē factionis deprauare illa verba; facile enim illis fuiſſet dicere, Chriſtum non eſſe locutum de humana ſua natura, ſed tantùm de diuina. Enimuerò & alibi ita locutus eſt Chriſtus, cùm ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Verùm aduerſarij contendunt pronomen illud *ego* reſtringendum eſſe ad ſolam diuinam naturam. Dixit & alibi Chriſtus, *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Vbi ſimiliter particulam *me* interpretantur aduerſarij de ſola diuina

Cal lib. 4. inſtit. c. 17. ſect. 47.

Matt. vlt. v. vlt.

Ioan. 6. v. 58.

uina

Digitized by Google

uina natura, non autem de humana. At verò cùm dixerit Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, verba iſta Chriſti neceſſariò ſunt intelligẽda de humana Chriſti natura ; non de diuina, quæ nec corpus, nec ſanguinem habet : proinde conſultò & dedita opera fecit Chriſtus expreſſam mentionem corporis & ſanguinis ſui.

Deinde fatemur, quòd *corpus Chriſti* ex vi vocis non ſignificet totum Chriſtum, ſicut ſignificat vox, *ego*, vel vox, *Chriſtus*; vi tamen concomitantiæ neceſſariò comprehendit totum Chriſtũ. XIII.
Quemadmodum cùm dixit Chriſtus, *Ecce ego vobiſcum ſum*, &c. vocabulum *ego* ex vi vocis ſolum Filium ſignificabat: ſed vi naturalis concomitantiæ, quæ eſt inter omnes tres perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis, continebat etiam promiſſionem præſentiæ Patris & Spiritus ſancti. Quare cùm aduerſarij contendunt oppugnare concomitantiam, quam Catholici ponunt in Sacramento Euchariſtiæ, nihil aliud faciunt, quàm quòd impugnant ipſum ſacroſanctum Trinitatis Myſterium, in quo non minor eſt etiam concomitantia trium perſonarum inter ſe, quàm corporis Chriſti cum eius ſanguine: atque ad hunc modum non ceſſant aduerſarij nouis Arrianis & Antitrinitarijs viam ad impietatem ſtruere. Et mirum ſanè eſt, quòd aduerſarij non verecundentur tot verbis oppugnare hanc concomitantiam, cùm ſit ingens ſcelus ſpoliare corpus Chriſti ſuo ſanguine, vita & diuinitate, atque adeo Chriſtum iam immortalem identidem interficere, id, quod conantur facere illi, qui negant hanc concomitantiam, vt iam probauimus. Certè dubitari non poteſt, quin in iſtos conueniat illud ſancti Ioannis: *Omnis ſpiritus, qui* *Matth. vlt. v. vlt.* *1. Ioan. 4. v. 3.*

 ſoluit

ſoluit IESVM *,ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Soluunt enim IESVM, qui corpus eius ab eius ſanguine, anima & diuinitate ſeparant.

XIV. Secunda hæreſis, quæ originem habuit ex cõmunione ſub vtraque ſpecie, quæque funditùs euertitur per Communionem ſub vna ſpecie, eſt illa, quæ docet communionem ſub vtraque ſpecie eſſe à Chriſto omnibus præceptam: & ex conſequenti hanc omnibus Chriſtianis, ſaltem adultis, eſſe omninò neceſſariam: communionem autem ſub vna ſpecie planè eſſe illicitam. In quo errore ſunt hac ætate omnes ferè aduerſarij Catholicæ religionis. Verùm & iſta quoque manifeſta eſt hæreſis, ad quam extirpandam meritò retinetur communio ſub vna ſpecie, legeque eccleſiaſtica ſancitur, ne quis non conſecrans ſub vtraque ſpecie communicet: quemadmodum planum faciemus in ſequentibus capitibus.

CAPVT III.

Nullum in ſacris literis extare præceptum de Communione ſub vtraque ſpecie.

I. IN hac controuerſia diſcutienda aliter procedendum eſt, quàm in alijs. Nam in alijs noſtra dogmata probanda ſunt, quia in illis aliquid aſſerimus, quod aduerſarij negant: hic verò tantùm negamus illud, quod aduerſarij mordicùs affirmant, nimirum, communionem ſub vtraque ſpecie omnibus eſſe præceptam; quare illis incumbit hoc probare: niſi enim hoc probaue-

bauerint, nunquam conuincent communionem ſub vtraque omnibus eſſe neceſſariam. Conſtat enim Eccleſiam in his, quæ adiaphora ſunt, & libera à Chriſto relicta circa adminiſtrationem ſacramentorum, illud ſtatuere poſſe, quod pro diuerſitate temporum magis expedit populo Chriſtiano; ſacramentorumque vſui magis eſt accommodatum.

Et in primis ſolam Chriſti inſtitutionem ſatis non eſſe, vt omnes aſtringantur ad communionem ſub vtraque ſpecie, manifeſtum eſt. Nam & matrimonium quoq; à Deo eſt inſtitutum, & ordo Epiſcoporum, Presbyterorum, aliorumq; miniſtrorum Eccleſiæ, ſed non propterea obligantur omnes Chriſtiani diuino præcepto ad matrimonium, vel ad ordinem Epiſcopi, Presbyteri aut miniſtri: ſola igitur inſtitutio Chriſti non cõuincit omnes Chriſtianos obligari ad vtrãq; ſpeciem. Sed nec vllus eſt ſcripturæ locus, quo probari poſſit præceptum de communione ſub vtraque ſpecie, vt iam oſtendemus: Ex quo rectè colligimus aſſerendum non eſſe communionem hãc ſub vtraque ſpecie omnibus ad ſalutem neceſſariam. Primus locus, quem afferunt aduerſarij, eſt illa Chriſti comminatio: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. hunc tamen locum nec Lutherani nec Caluiniani audent contra nos vrgere: Nam hi omnes docent Chriſtum in ſexto cap. Ioannis non loqui de ſacramentali manducatione aut potatione, ſed tantùm de ſpirituali: Præſens autem quæſtio eſt de ſacramentali manducatione, & potatione dumtaxat. Et Caluinus quidem apertè ſcribit, *Bohemos Huſſitas hoc teſtimonio non rectè probare vſũ calicis promiſcuũ debere omnibus*

11. *Ioan. 6. v. 54. vel ſecũdum alios 53.* *Caluin. ad v. 53. 6. cap. S. Ioannis.*

omnibus eſſe, quòd de cœna non habeatur concio iſta Chriſti. Sed quia ſuprà probauimus Chriſtum in hoc ſexto capite S. Ioannis loqui etiam de ſacramentali eſu, & potatione: & explicationem horum verborum in hunc locum reiecimus: vtque Huſſitis etiam ſatisfaciamus, qui hæc Chriſti verba maximè vrgent: Reſpondendum hic erit iſti argumento. Ergo huic vni Chriſti dicto quatuor alia opponimus eiuſdem omninò capitis: quorum priora duo præcedunt iſtam comminationem Chriſti, poſteriora duo ſequuntur: & omnia declarant ſolam manducationem ſufficere. Nam primò quidem dicit Chriſtus ver. 50. eiuſdem 6. capitis: *Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur*: ſatis igitur erit manducaſſe, etiamſi quis non biberit. Secundò, eodem capite verſu 52. rurſus dicit Chriſtus, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*: quæ Chriſti promiſſio falſa eſſet, ſi non ſufficeret manducatio vnius ſpeciei ad vitam æternam, ſed neceſſaria etiam eſſet potatio alterius ſpeciei. Tertiò, eodem capite verſu quinquageſimo octauo addit Dominus: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*: ſatis igitur eſt manducare Chriſtum, etiamſi non bibatur. Quartò, totam ſuam concionem de hoc ſacramento ita concludit Domin' ver. quinquageſimo nono: *Qui mãducat hũc panẽ, viuet in æternum:* Atqui aduerſarij docent eum, qui manducat hunc panem, non viuere, ſed mori in æternum, niſi etiam biberit ex calice: quæ doctrina eſt contra expreſſa Chriſti verba. Ne igitur dicamus Chriſtum tam paucis verbis contraria docuiſſe, neceſſe eſt, vt comminatio illa Chriſti ita explicetur, vt non ſit contraria quatuor alijs eius promiſſionibus.

Suprà controu. 3. c. 10. & 11.

nibus. Hoc autem præſtant Catholici tribus modis.

Nonnulli dicunt corpus Chriſti manducari, & ſanguinem eius bibi, cùm vna panis ſpecie ſumitur, quòd tam caro quàm ſanguis Chriſti ſumatur ſub vna tantùm ſpecie. Verùm cùm potatio hic diſtinguitur à manducatione, non poteſt ſola manducatio dici potatio, niſi impropriè ſumantur voces: Porrò non ſunt introducendæ impropriæ acceptiones vocum ſine neceſſitate. IV.

Alij dicunt copulam *&* in verbis Chriſti ſumi diſiunctiuè pro (*vel*) vt ſenſus ſit iſte: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, vel biberitis eius ſanguinem*. Et ſanè negari non poteſt, quin iſta interpretatio benè conſentiat cum alijs ſacræ ſcripturæ locis, in quibus non raro ſumitur particula copulatiua pro diſiunctiua; vt benè oſtendit Toletus: de qua re plura paulò pòſt. Verùm interpretatio iſta præterquam quòd recedat à propria acceptione copulæ (*&*) etiam hoc videtur habere incommodi, quòd aſtringit omnes (idque iure diuino) ad ſumendam vnam ex duabus ſpeciebus Euchariſtiæ: qua ratione conſequetur illum, qui propter morbum non poſſet ſumere Euchariſtiam ſub ſpecie panis, poſſet tamen ſub ſpecie vini (id quod non rarò poteſt accidere) teneri iure diuino ſumere eam ſub ſpecie vini. Nam quando duo ſub diſiunctione præcipiuntur, & vnum impleri non poteſt, alterum, ſi fieri poteſt, faciendum eſt: Porrò ius diuinum præſtat ſemper Eccleſiaſtico iuri: neceſſeque eſt, vt Eccleſiaſticum ius diuino cedat: Si igitur diuino iure obligatur quis in hoc caſu ſanguinem ſumere, non obſtante prohibitione Eccleſiæ debe- V.

Tolet. in c. 6. Io. annot. 26.

Vide infrà hoc c. §. 31. & ſeqq.

ret æger ille ſanguinem accipere: quod nemo Catholicus facilè admittet.

VI. Ad hæc, iuxta ambas expoſitiones allatas, neceſſe eſt dicere verba Chriſti; *Niſi manducaueritis, &c.* non adſtringere infantes, ſed ſolos adultos. Si enim infantes etiam adſtringerent, non rectè feciſſet Eccleſia, cùm communionem infantium ſuſtulit: Non enim debuiſſet Eccleſia prohibere illud, quod Chriſtus tam ſeuerè præcepiſſet: præſertim cùm multis ſæculis id factitatum fuiſſet, etiam in Romana Eccleſia, vt ſuprà oſtendimus. Si igitur hoc præceptum Chriſti & impleri poteſt ab infantibus, & multis ſæculis reipsâ impletum eſt, nulla ratione potuiſſet Eccleſia prohibere, ne illud ampliùs impleretur. Sed neque ſatis eſt, ſi quis dicat, infantes hoc præceptum Chriſti voto implere. Nam votum ſacramenti non ſufficit, niſi quando ſacramentum reipsâ ſuſcipi non poteſt: At infantes poſſunt ſacramentum reipſa ſuſcipere, illudque multis annis ita ſuſceperunt: non igitur ſufficit ſolũ votum. Quare inter illos, qui ſequuntur duas quas attulimus expoſitiones, plerique ſunt, qui apertè ſcribunt hæc Chriſti verba ſolis adultis dicta eſſe, & infantes minimè aſtringere.

Suprà c. 1. huius controu. §. 2.

VII. Verùm doctrina hæc non ſatis conſentanea videtur doctrinæ antiquorum Patrum. Certè ſanctus Auguſtinus hanc interpretationem, quæ iſta verba adultis, non Infantibus dicta eſſe aſſeuerat, ex inſtituto impugnat tanquam Pelagianorum propriam; varijſque argumentis probat hæc Chriſti verba etiam infantes obligare. Et quod amplius eſt, ſanctus Innocentius Papa Primus in epiſtola, quam ſcrip-

S. Auguſt. tom. 7. de peccatorum meritis & remiſſ. lib. cap. 20. S. Innocentius Epiſt. 26. S. Auguſt. tom. 2. Ep. 93.

Digitized by Google

ſcripſit contra Pelagianos ad Concilium Mileuitanum (quæ etiam extat inter Epiſtolas ſancti Auguſtini,) ex his Chriſti verbis: *Niſi manducaueritis*, &c. probat contra Pelagianos Infantes ſine ſumptione huius ſacramenti, & conſequenter ſine Baptiſmo ſaluari non poſſe. Quæ verba S. Innocentij tanti facit S. Auguſtinus, vt videatur dicere hoc definitum eſſe à S. Innocentio Papa, nec debere quenquam de hac re amplius dubitare. Ita enim alibi alloquitur ſanctus Auguſt. Iulianum Pelagianum: *Sancto Innocentio vide quid reſpondeas*. & paucis interpoſitis de eodem Sancto Innocentio ita ſcribit: *Qui denique paruulos definiuit: Niſi manducauerint carnem filij hominis, vitam prorſus habere non poſſe. Huic reſponde*; immò ipſi *Domino, cuius ille Antiſtes vſus eſt teſtimonio.* Hæc ſanctus Auguſtinus. Præterea ſanctus Gelaſius Papa neminem auſum eſſe hoc negare pro certo habet, cũ ita ſcribit: *Ipſe Dominus IESVS cœleſti voce pronunciat: Qui non manducauerit carnẽ filij hominis & biberit ſanguinem eius, non habebit vitam in ſemetipſo. Vbi vtiq; neminẽ videmus exceptum: nec auſus eſt aliquis dicere paruulum ſine hoc ſacramẽto ſalutari ad æternam vitam poſſe perduci.* Ita Sanctus Gelaſius.

S. Auguſt. tom. 7. cotra Iul. Pelag lib. 1. c. 4 ſub finẽ. Similia habet to. 2. Ep. 106. poſt med.

S. Aug. eodẽ c. 4 citato.

Gelaſ. Pap. I. Epiſt. 5. vniuerſis Epiſcopis per Picenum, extat to. 1. part. 2. edit. Romana Epiſtolarũ decretal. Summorũ Pontificũ

Tertia horum verborum interpretatio eſt, cæteriſque (vt mihi quidem videtur) præferenda: nam omnia ad literam interpretatur: manducare enim & bibere propriè ſumit, copulatiuam particulam (*&*) copulatiuè, non diſiunctiuè interpretatur: nihil quoque inſolitum continet, quòd plurimæ extent in ſcripturis locutiones, quas ita exponi neceſſe eſt. Denique ſecundùm hanc expoſitionem euitamus omnia abſurda allata. Id, quod hic paulò fuſiùs cona- VIII.

conabimur declarare. Nam hanc interpretationẽ, quæ & facillima eſt, & optimè retundit omnia aduerſariorum tela, nondum vidi ex ipſis ſacris literis exactè comprobari, ſed obiter dumtaxat & ſtrictim.

Vt igitur firmis ſacræ Scripturæ teſtimonijs
IX. ſtabiliamus hanc expoſitionem, obſeruandum erit, hoc diſcrimen eſſe inter præcepta moralia, quæ dantur de virtutibus, & præcepta ſacramentalia, de quibus eſt præſens controuerſia; quòd moralia præcepta, ſicut ſunt de virtutibus omnibus & ſingulis neceſſarijs ad vitam rectè inſtituendam, ita ad ſingulos pertinent, ſingulóſque obligant. Et quamuis iſta præcepta aliquando nõ pertineant ad omnes omnino homines, ſed pro diuerſis hominum officijs & ſtatibus diuerſa aliquando dentur præcepta, vt benè notat ſanctus Auguſtinus: tamen præcepta hæc moralia pertinent ſaltem ad omnes & ſingulos eiuſdem ſtatus & conditionis. verbi gratia, quæ dantur coniugatis, pertinent ad omnes & ſingulos coniugatos, & quæ dantur Principibus, pertinent ad ſingulos Principes. At verò præcepta ſacramentalia non sũt eiuſmodi: nã multa sũt præcepta ſacramẽtalia: quę etſi ex forma loquẽdi videãtur omnib⁹ & ſingulis præſcribi, tamen intelligenda ſunt non præſcribi ſingulis, ſed toti multitudini: ſatiſque factum erit huiuſmodi præceptis, ſi à tota multitudine, ſeu à tota Eccleſia impleantur. Enimuerò cùm in his præceptis ſacramentalibus contineantur plerunque plures, & diuerſæ actiones, quæ non niſi à diuerſis fieri debent, ſatis eſt, ſi totus populus, ſeu tota Dei Eccleſia per diuerſa ſua membra huiuſmodi præcepta exequatur. Exemplis

S. Aug. To. 3. de doct. Chriſt. lib. 3 c. 17.

plis ex ipſis ſacris lite ris depromptis res hæc clarior euadet.

Primum & antiquiſſimum Sacramentum veteris legis erat circumciſio, quæ etiam diu ante legem data fuit, quemadmodum Iudæis declarauit ipſe Chriſtus. Porrò cùm data fuit circunciſio Abrahæ, hoc præceptum addidit Dominus: *Circũcidetis carnem præputÿ veſtri.* Non tamen erat cuiuſuis circumcidere, ſed illorum tantùm, qui ad illud officium ab Eccleſia deſignati fuerunt. præceptum tamen hoc obligabat totam Synagogam. X. *Ioan.7.v.22.* *Geneſ.17.v.11.*

Poſtea datus eſt Iudæis agnus Paſchalis pro ſacramento, & ſacrificio. Atque etiam pro figura noſtræ Euchariſtiæ, in cuius inſtitutione duo ſunt ſimilia præcepta adiuncta his verbis: *Tollat vnuſquiſque agnum.* & paulò pòſt: *Immolabit eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael.* hæc præcepta totam Synagogam proculdubiò obligabant, ſed nõ obligabant ſingulos, etiamſi viderentur eſſe ſingulis data: Neque enim erat cuiuſuis tollere, ſeu eligere agnum Paſchalem, aut illum immolare: ſed tantùm patrumfamilias, ſeu capitum vniuſcuiuſque domus: vt ſatis conſtat ex verſu tertio, capite duodecimo Exodi: & ex his, quæ de ritu immolationis agni Paſchalis ſcribit Ioſephus. XI. *Exod.12.v.3.& 6.* *Ioſephus de bello Iudaico lib.7.c.17.*

Succeſſerunt deinde varia ſacrificiorum genera, de quibus data ſunt multa præcepta, quæ tamẽ non ad ſingulos, ſed ad totam Synagogam pertinebant: verbi gratia, ita locutus eſt Dominus ad Moyſen: *Præcipe filÿs Iſrael, & dices ad eos: Oblationem meam, & panes, & incenſum odoris ſuauiſſimi offerte per tempora ſua. Hæc ſunt* XII. *Numer.28.v.2.&3.*

ſacri-

ſacrificia, quæ offerre debetis. Deinde varia adduntur ſacrificia toto illo capite, & etiam ſequenti capite vigeſimo nono, quæ videntur ſingulis præſcribi, nihilominùs ſoli ſacerdotes erant, & nõ alij, qui ſacrificia illa offerebant: ſinguli autem particulares dicebantur hæc offerre, vel quia erant membra, & partes illius Eccleſiæ, quæ hæc per ſacerdotes ſuos offerebat: vel certè, quia ſacerdotes nomine & rogatu particularium hæc pro ipſis offerebãt, non autem, quòd quiuis ex populo ſacrificaret.

XIII. *Deuter.* 8. *v.* 1. *& c.* 12. *v.* 28. *& c.* 28. *v.* 1. Ad eundem quoque modum multis alijs in locis præcepit Moyſes toti populo, vt obſeruarent omnes ritus, & quæcunque tandem illis præſcripſerat circa ſacrificia, & ceremonias legis: quæ quidem à toto populo obſeruanda dicuntur, ſed per diuerſos, ita vt vnus vnum obſeruaret, alius aliud, quod ad eius officiũ ſpectabat: nõ autẽ, quòd ſinguli obligarẽtur iſta omnia obſeruare.

XIV. In noua etiam lege non diſſimilia præcepta dedit Chriſtus, cùm de ſacramentis loqueretur. *Marci vlt.* *v.* 15. *Matt. vlt.* *v.* 19. In inſtitutione ſacramenti Baptiſmi ita allocutus eſt Apoſtolos: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Item: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. quæ etiam præcepta toti Eccleſiæ data ſunt, non ſingulis: nullus enim fuit Apoſtolorum, qui obligabatur ire in vniuerſum mundum, prædicare omni creaturæ, omnes docere, & baptizare, ſed hæc officia erant vniuerſalis Eccleſiæ, quæ per diuerſos Apoſtolos diuerſis in locis hæc exercebat.

XV. Denique illa ipſa Chriſti verba, quibus inſtitutum eſt hoc Euchariſtiæ ſacramentum, nimirũ:

hoc

Digitized by Google

hoc facite in meam commemorationem: non eſſe *Luc.22.v.19.*
dicta ſingulis, ſed toti Eccleſiæ perſpicuum eſt. *1.Cor.11.v.24.*
His enim verbis præcepit Chriſtus præter ſumptionem Eucharistiæ ſaltem conſecrationem ſeu confectionem atque etiam diſtributionem illius (vt interea omittamus oblationem, quam negant aduerſarij:) cùm enim dixit Chriſtus: *Hoc facite*: iuſſit, vt Apoſtoli id facerent, quod ipſe fecit: Chriſtus autem non tantùm ſumpſit, ſed & confecit hoc ſacramentum, & diſtribuit alijs. Quòd ſi ſingulis Chriſtianis dixiſſet Chriſtus, *hoc facite*: ſinguli etiam ruſtici & mulieres deberent conficere hoc ſacramentum, & alijs diſtribuere; quod abſurdum eſſe nemo non videt. Neceſſe eſt igitur, vt fateamur illa verba; *hoc facite*: non ſingulis, ſed toti Eccleſiæ dicta eſſe: ſatiſque fieri huic præcepto Chriſti, cùm Eccleſia certos conſtituit miniſtros, qui hoc ſacramentum conficiant, & alijs diſtribuant: Nihil igitur mirum, ſi dicamus ſacramentale illud præceptum, *Niſi manducaueritis*, &c. toti Eccleſiæ *Ioan.6.v.54.*
datum eſſe, non ſingulis, cùm ita factum ſit in cæteris ſacramentalibus præceptis quàm plurimis; immò in ipſa prima inſtitutione huius ſacramenti Euchariſtiæ.

XVI. Porrò & hoc ſatis erat ad confirmationem illius, de quo orta fuit quæſtio Ioan. 6. Iudæi enim non credebant Chriſtum poſſe dare carnem ſuam ad manducandum, Chriſtus verò contrà affirmat ſuos diſcipulos non tantùm manducaturos carnem ſuam, ſed etiam potaturos ſuum ſanguinem: & vtrũque neceſſariò in ſua Eccleſia, perpetuoq́ue præſtandũ eſſe à pleriſque.

XVII. Hinc etiã facilè ſoluitur obiectio de Communione infantium. Nam eo ipſo, quòd infantes per

Baptiſ-

Baptiſmum efficiuntur membra illius Eccleſiæ, quæ manducat quotidie carnem Chriſti, & bibit eius ſanguinem: ipſi quoque Infantes per ora Eccleſiæ mãducãt, & bibunt. Quemadmodũ enim (ſicut præclarè monet S. Auguſtinus) *accommodat paruulis mater Eccleſia aliorum pedes, vt veniant ad Eccleſiam: aliorum cor, vt credant: aliorum linguam, vt fateantur*: ita paruulis accommodat Eccleſia aliorum ora, vt comedant & bibant corpus, & ſanguinem Chriſti. At verò infantes, qui non baptizantur, non ſunt membra iſtius Eccleſiæ, quæ comedit & bibit carnem & ſanguinem Chriſti: ac proinde non poſſunt illi comedere carnem Chriſti, aut eius ſanguinem bibere. Atque ob hanc rationem optimè probabant Patres illi antiqui, Infantes non baptizatos ſatisfacere non poſſe præcepto illi Saluatoris noſtri, *Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis*, &c. & ex conſequenti eos vitam æternam non habere.

S. Auguſt. To. 10. ſer. 10. de verbis Apoſtoli, cap. 2.

Io. 6. v. 54.

XVIII. Hinc etiam ſequitur, quòd Eccleſia propter diuerſas rationes poterat Infantibus nunc concedere Euchariſtiam, nunc eoſdem illa priuare. Nam quando Chriſti præceptum non datur ſingulis, ſed toti Eccleſiæ: ſatis eſt, ſi illud fiat à quibuſdam, qui ſunt in Eccleſia: & cùm tale præceptum proximè detur ipſi Eccleſiæ, eius officiũ & munus eſt, conſtituere certos homines, qui illud exequantur; & præterea, ad Eccleſiam ſpectat decernere, atque ſtatuere, quando, quo modo & quoties illud peragi debeat: verbi gratia, quia Chriſtus Eccleſiæ pręcepit, vt *vbiq; prædicaret Euangeliũ, & baptizaret*: Eccleſiæ eſt cõſtituere & mittere eos, qui prædicẽt & baptizent: iiſque modum & formam legitimã præſcribere.

Matth. 28. v. penult. & vlt.

Ad

Ad eundem modum, quia toti Eccleſiæ, non ſingulis datum eſt præceptum illud Chriſti: *Hoc facite:* Eccleſiæ eſt conſtituere certos miniſtros & paſtores, qui cōficiant, & adminiſtrent alijs Sacramentum Euchariſtiæ: atque etiam definire tempus, cæteraſq; ceremonias in celebratione huius Sacramenti adhibēdas. Id quod S. Paulū feciſſe cōſtat, cùm de his dixerit: *Cætera cùm venero, diſponā.* *Luc.22.v.19.* *1.Cor.11.v.vlt.*

Pari ſanè modo, cū manducatio & potatio huius Sacramenti præcepta ſit proximè & immediatè toti Eccleſiæ, non ſingulis Eccleſiæ membris; poterat Eccleſia circa tempus, quo communicare deberent Infantes, nunc vnum, nunc aliud conſtituere; neceſſitate ita flagitante. Sic etiam de ritu communicandi ſub vna aut vtraque ſpecie, poterat Eccleſia diuerſis temporibus diuerſa cōſtituere propter diuerſas cauſas vrgentes: Denique hinc conficitur, præceptum Eccleſiæ de cōmunione ſub vna ſpecie non pugnare cum illis Chriſti verbis: *Niſi manducaueritis, &c. & biberitis, &c.* etiamſi illa copulatiuè intelligantur, quia præceptum hoc Chriſti ſingulis datum non eſt, ſed toti Eccleſiæ; in qua ſemper ſunt Sacerdotes multi, qui comedunt carnem Chriſti, & bibunt eius ſanguinem, dum miſſæ ſacrificium offerunt: atque in hunc modum plenè ſatisfacit Eccleſia mandato Chriſti. XIX. *Ioan.6.v.54.*

Iam verò quòd præceptum hoc Chriſti; *Niſi manducaueritis, &c.* non detur ſingulis, ſed toti Eccleſiæ; apertè conuincitur ex verbis, quæ antecedunt & conſequuntur: Si enim ſingulis datū fuiſſet hoc Chriſti præceptum, Chriſtus & antea, & pòſt in eadem ſua concione pugnantia locutus fuiſſet, idq; non ſemel, ſed quater: vt paulò antè oſtendimus. Porrò alia illa quatuor dicta XX. *Hoc ipſo c.53.*

Chriſtum dixiſſe ſingulis conſtat ex ipſa forma loquendi, nam vbique vſus eſt numero ſingulari: *Si quis* (inquit) *ex ipſo manducauerit, non morietur.* Item: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et rurſus: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Denique, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* At verò cùm dixit Dominus; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,* &c. vſus eſt vtrobique plurali numero, non ſingulari (*manducaueritis, biberitis,*) nempe vt declararet, ſe non de ſingulis loqui, vt antè & pòſt, ſed de multitudine, totaque ſua Eccleſia. Et hactenus ſatis de Huſſitarum argumẽto: quod quamuis nec Caluiniani, nec Lutherani nobis iuſtè obijcere poſſint, qui planè negant Chriſtum in cap. 6. Ioan. de ſacramentali manducatione, aut potatione loquutum eſſe: explicandus tamen fuit (idque paulò vberiùs) verus ſenſus illorum verborum Chriſti, *Niſi manducaueritis,* &c. tum vt Huſſitis ſatisfaceremus, tum etiã quibuſdam Catholicis; qui horum verborum obſcuritate decepti, ne cogerentur cum Huſſitis affirmare illicitam eſſe Cõmunionem ſub vna ſpecie, dixerunt Chriſtum in cap. 6. S. Ioannis de ſola ſpirituali mãducatione & potatione locutum eſſe, de Sacramentali verò nihil: quod falſum eſſe aliàs fusè comprobauimus.

Ioan. 6. v. 50. *Ibid. v. 52.* *Ibid. v. 58.* *Ibid. v. 59.* *Ibid. v. 54.* *Ioan. 6. v. 54.*

XXI. Secundum argumentum, quo frequentiſſimè vtuntur tã Caluiniani quàm Lutherani, eſt quòd Chriſtus in cæna dixerit: *Bibite ex hoc omnes.* Sed reuera leuiſſimum eſt hoc argumentum. Satis enim conſtat tum ex ipſa forma loquendi, qua vſus eſt Chriſtus; tum ex his, quæ referunt alij Euangeliſtæ, & Apoſtolus Paulus, iſta Chriſti verba dicta eſſe ſolis Apoſtolis eo tempore

Suprà cõtro. 3. c. 10. & 11. *Matt. 26. v. 27.*

Digitized by Google

pore præſentibus. Neque enim locutus eſt Chriſtus per futurum tempus hunc in modum: *bibete, omneſqúe in poſterum bibent.* quod oportuiſſet eum feciſſe, ſi voluiſſet obligare omnes etiã futuros Chriſtianos: ſed per præſens dũtaxat tẽpus locutus eſt, his ſolũ verbis; *bibete:* Non eſt igitur allocutus, niſi Apoſtolos tunc præſentes.

Id quod S. Marcus clariùs etiam oſtendit, cùm ait, *Et biberunt ex eo omnes.* Certum enim eſt, quòd vox (*omnes*) apud S. Marcum ſignificet duodecim duntaxat Apoſtolos, & non omnes Chriſtianos: Idẽ igitur ſignificat eadẽ vox, *Omnes*, etiã apud S. Matthæũ. Non eſt enim credibile vocẽ eandem, in eadem ſententia, aliud apud S. Matthæum, & aliud apud S. Marcum ſignificare. XXII. *Marci 14. v. 23.*

Sanctus Paulus quoque euidenter declarat verba illa Chriſti, *Bibete ex hoc omnes*: ad ſolos Apoſtolos pertinere. Nam cùm refert huius Sacramenti inſtitutionem, quam dicit, *Se à Domino accepiſſe*, omniaque recenſet, quæ ſpectant ad omnes Chriſtianos, omittit prorſus iſta Chriſti verba, *Bibete ex hoc omnes.* quæ nequaquam omiſiſſet, ſi putaſſet ea dicta fuiſſe omnibus Chriſtianis: & quod conſequens eſt, omnibus etiam Corinthijs, ad quos ipſe ſcribebat. Et ſanè neceſſe eſt, vt aduerſarij ob omiſſionẽ horũ Chriſti verborũ, *bibete ex hoc oẽs*; ſi ea omnib. Chriſtianis dicta ſunt, inſimulẽt Apoſtolũ Paulũ magnæ inſcitiæ, aut certè malitiæ. Nã ſi Apoſt. ignorauit Chriſtũ etiã Corinthijs dixiſſe, *bibete ex hoc oẽs* (quod aduerſarij iam ſe cognoſcere iactitant) magna ſine dubio inſcitia laborauit: Si ſciuit & tacuit, magna laborauit malitia, qui illud celauit Corinthios, quod illis expreſſis verbis à Chriſto præceptũ XXIII. *Mat. 26. v. 27. 1. Cor. 11. v. 23. 1. Cor. 14 v. 25. Matth. 26. v. 27.*

 fuerat

fuerat. Verùm enimuerò vt Apoſtolum à malitia, ignorantia omnique prorſus errore liberemus, neceſſe eſt fateamur illũ diuina reuelatione planè intellexiſſe, verba quæ omiſit, non eſſe dicta Corinthijs, ſed ſolis Apoſtolis.

XXIV. Denique S. Lucas clariſſimè oſtendit verum ſenſum horum verborum, & cauſam etiam cur Chriſtus addiderit vocem (*Omnes*) cùm calicem porrexit. ſcribit enim S. Lucas Chriſtum ad hunc modum alloquutum eſſe diſcipulos: *Accipite, & diuidite inter vos*: Enimuerò ſpeciem panis fregit ac diuiſit ipſe Chriſtus; ſingulisque diſcipulis partem porrexit: at calicem non diuiſit, ſed integrum dedit: & quia omnes duodecim Apoſtoli ex eodem calice bibere debebant, admonendi erant de bibendo tam parcè & modicè, vt idem calix omnibus illis duodecim ſufficeret. Quare idem prorſus ſignificant illa verba apud S. Matthæum: *Bibite ex hoc omnes*, quod iſta apud S. Lucam: *Accipite, & diuidite inter vos*: hoc eſt, ita diuidite hunc calicem inter vos, vt quiuis ex eo bibat. Et hunc eſſe veriſſimum ſenſum verborum Chriſti, *Bibite ex hoc omnes*, agnouit etiam ipſemet Lutherus rei veritate conuictus. Martinus etiam Bucerus (cuius fidem & eruditionem inſtar Lampadis Eccleſiam perpetuò colluſtrare ſcribit ipſe Caluinus) apertè & ingenuè fatetur ex verbis Chriſti, *Bibite ex hoc omnes*, nihil cõcludi cõtra communionẽ ſub vna tantùm ſpecie; quòd iſta verba ſolis Apoſtolis ſint dicta.

Luc. 22. v. 17.

Matth. 26. v. 27.
Luc. 22. v. 17.
Luth. in maiori ſua confeſſ. de Cœna Dom. p. 2. quã edidit anno 1528.
Calu. epiſt. 177. Bucer. in li. contra Barth. Latomum.
Ita Hermã. Ham. in li de cõmu. ſub vtraq; ſpec. in fine reſp. ad 1. arg. & quidã alij.

XXV. Porrò ridicula eſt illa ratiocinatio, quam contra hanc verborum Chriſti interpretationem colligunt quidam ex aduerſarijs: nẽpe Chriſtum paulò antè dixiſſe: *quod vobis dico, omnibus dico.*

Si igitur Chriſtus dixit Apoſtolis, *Bibite ex hoc om-
nes*, idẽ dixit & omnibus. Mutila enim & decur-
tata afferunt Chriſti verba; non enim dixit Do- *Marc 13. v.*
minus, *Quod vobis dico, omnibus dico, bibite*: ſed, *Quod* *vlt.*
vobis dico, omnibus dico, Vigilate. De oratione,
igitur, vigilijs & alijs bonis operibus loquitur
Chriſtus. Et quamuis præcepta, quæ ad bonos mo-
res & vitam rectè inſtituendam neceſſaria
ſunt, non ſolis Apoſtolis, ſed & ſingulis Chriſtia-
nis tradantur; tamen præceptorum, quæ ad ſacra-
menta pertinent, alia eſt ratio: hæc enim ſolis A-
poſtolis illorumq́; legitimis ſucceſſoribus man-
dantur. Neque enim ſingulis Chriſtianis, etiã fæ-
minis, dixit Chriſtus: *Quæcũque ligaueritis ſuper ter-* *Matt. 18. v.*
rã, erunt ligata & in cælis. Quorum remiſeritis pecca- *18.*
ta, remittuntur eis, &c. Prædicate Euangelium *Ioan. 20. v.*
omni creaturæ, baptizantes eos, &c. Verùm de hac *23.* *Marc. vlti-*
re vberiùs paulò antè. *mo v. 15.*

Tertiũ argumentũ aduerſariorũ eſt tale: Chri- *Mat. vlt. v.*
ſtus iuſſit nos facere, quod ipſe fecit: *hoc facite* (in- *19.*
quit) *in meam commemorationem*: ſed Chriſtus de- *XXVI.*
dit Sacramentum ſub vtraque ſpecie omnibus, qui *Vide hoc ip-*
aderant, ergo & nos debemus dare Euchariſtiã *ſo c. 5. 9. &*
omnibus ſub vtraque ſpecie Hoc argumentũ in- *ſequent.* *Luc. 22. v.*
ter omnia aduerſariorũ argumenta maiorẽ habet *19.*
probabilitatẽ primo quidem aſpectu, ſed ſi exa-
ctiùs diſcutiatur, facit planè contra illos; noſtrã-
que ſententiã euidenter comprobat. Nam in pri-
mis etiãſi concedamus aduerſarijs Chriſtũ præce-
piſſe nos omnia facere, quæ tunc temporis ipſe fe-
cit; nunquam tamen poterunt aduerſarij vel ex
verbis vel ex exemplo Chriſti aliud probare, quã
calicem eſſe dandum ſacerdotibus; immo etiã ſo-
lis Epiſcopis: idq́; in ipſa eorum ordinatione. Ete-
nim quando Chriſtus dedit Apoſtolis corpus ſuũ,

nondum erant Apoſtoli Sacerdotes, aut Epiſcopi, ſed ſtatim poſt datum corpus ſuum, antequam porrigeret illis calicem, fecit eos Sacerdotes & E-
Luc. 22. v. 19. piſcopos illis verbis: *Hoc facite in meam commemo-*
1. Cor. 11. v. 24. *rationem.* Hæc enim verba dicta eſſe à Chriſto, antequam vel daret, vel in manus ſumeret calicem, apertè teſtantur ſanctus Lucas & ſanctus Paulus, qui ſoli recitant illa Chriſti verba: *Hoc facite, &c.* Porrò Apoſtolos eſſe factos Sacerdotes, & etiam Epiſcopos, cùm Chriſtus dixit illis: *Hoc facite, &c.* inde conſtat, quòd iſtis verbis dederit Chriſtus Apoſtolis poteſtatem conficiendi hoc Sacramentum: quod eſt proprium officium Sacerdotum: & etiam poteſtatem ordinandi & conſtituē-
1. Cor. 11. v. 26. di alios Sacerdotes, qui, donec ipſe rediret ad vltimum iudicium, conficerēt & adminiſtrarent hoc Sacramentum, quod eſt proprium munus Epiſcoporum. Atque ita ſolis Apoſtolis, quos iam Sacerdotes & Epiſcopos ordinauerat, dedit calicem: nō ſeptuaginta diſcipulis, non matri ſuæ, non vlli alteri fidelium. Nihil ergo aliud probare poſſunt aduerſarij, aut ex verbis Chriſti, *Hoc facite &c.* aut ex illis, quæ Chriſtus geſſit in cœna nouiſſima, niſi quòd Epiſcopis nuper ordinatis in eorum conſecratione dandus ſit calix. Id quod Eccleſia Catholica hactenus diligenter obſeruauit. Nam quando Epiſcopi conſecrantur, ſolent illi adhuc communicare ſub vtraque ſpecie: vt videre eſt in Pontificali Romano.

XXVII. Deinde verba illa Chriſti, *Hoc facite, &c.* maximè confirmant communionem ſub vna ſpecie:
Luc. 22. v. 19. illa enim nuſquam extant, niſi apud ſanctum Lucam & ſanctum Paulum: & ſanctus Lucas quidem ſcribit ea eſſe dicta à Chriſto ante inſtitutionem calicis, vt proinde referri non poſſint ad calicem,

qui

qui nondum inſtitutus fuerat, ſed dumtaxat ad ſolam ſpeciem panis. Poſt calicem verò nullum ponit S. Lucas mandatum Chriſti de hoc Sacramento. S. Paulus etiam poſt datum corpus Chriſti ponit hoc idem mandatum abſolutum de vna ſpecie; at verò poſt calicem ponit aliud Chriſti mandatum non abſolutum & ſimplex, vt prius, ſed conditionale & cum adiunctione quadam, ad hunc modum: *Hoc facite, quotieſcumq; bibetis, in meã commemorationem.* Quæ verba manifeſtè declarãt vſum calicis non eſſe præſcriptum abſolutè, ſed ſub conditione dũtaxat, nimirum quoties quis voluerit bibere: non præcepit igitur Chriſtus abſolutè, vt omnes biberent, ſed tantùm præcepit, vt ſi quis voluerit bibere, bibat in ipſius commemorationem. Neque enim fruſtrà mutauit Chriſtus formam loquendi, cùm vſum calicis traderet. Quemadmodum ſi quis dixerit: Age pœnitentiam, quotieſcumque peccaueris; non præcipit peccare, immò nec præcipit abſolutè pœnitentiã, ſed tantùm ſub conditione, ſi quod peccatum cõmiſſum fuerit. Ex verbis itaque Chriſti, *Hoc facite*, habemus abſolutum præceptum de communione ſub vna dumtaxat ſpecie, nimirum panis: at de calice non niſi conditionale præceptũm, nempe faciendum illud in Chriſti memoriam, quoties bibendum erit. Quare verba illa Chriſti, *Hoc facite, quotieſcumque bibetis*, declarant tantùm liberam tunc fuiſſe communionem ſub vtraque ſpecie, ſed neceſſitatem communicandi ſub vtraque ſpecie nullo pacto probant.

(Margin: 1. Cor. 11. v. 24. — 1. Cor. 11. v. 25.)

XXVIII Quartum argumentum: Calix eſt ipſum Teſtamentum Chriſti, vt teſtantur ſanctus Lucas, & S. Paulus: ergo illi, qui priuant populũ calice, priuant populum ipſo Chriſti Teſtamento. In hoc

(Margin: Luc. 22. v. 20. — 1. Cor. 11. v. 25.)

argumento valde gloriantur aduerſarij, & inprimis Lutherani. Sed facilis eſt ſolutio, calix enim iſte(id eſt, ſanguis Chriſti, qui calice continetur) eſt teſtamentum Chriſti, non quia bibitur, ſed quia funditur in remiſſionem peccatorũ, *Luc.22.v.20.* *Suprà cont.3.c.9. §.9.* *& c.12. §.6.* vt expreſſè dicit S.Lucas, id quod ſuprà fuſè declarauimus. Quare antequam potaretur calix, dum Chriſtus adhuc illum manu teneret, affirmauit illum calicem eſſe nouum teſtamentum. Eſt autem calix iſte teſtamentum Chriſti non ſolùm, quia effuſus fuit in paſſione eius, ſed etiam quia effuſus fuit in cœna, & quia adhuc quotidie effunditur in ſacrificio Miſſæ pro peccatis multorum. Quare aduerſarij dum negant Miſſæ ſacrificium offerri in remiſſionẽ peccatorum, re vera deprauant Chriſti teſtamentum, & eo priuant omnes, qui illis credũt: quemadmodum ſequenti controuerſia planum faciemus.

XXIX. Quintum argumentum: Apoſtolus ad Corinthios ſcribens affirmat annunciationem mortis Chriſti eſſe nõ poſſe, niſi populus manducet & bibat: *1.Cor.11.v.26.* debet ergo populus non tantùm manducare, ſed etiam bibere. Reſpondeo: Aduerſarij tribus modis errant in hac obiectione. Primò inuertunt verba Apoſtoli præpoſtero planè ordine; non enim dicit Apoſtolus, Quotieſcunque annunciabitis mortẽ Domini, manducabitis & bibetis; ſed cõtrà, *Quotieſcunque manducabitis & bibetis, mortem Domini annunciabitis.* *1.Cor.11.v.26.* Euimuerò nõ loquitur Apoſtolus de annunciatione mortis Domini, quæ fit ſolis verbis, quemadmodum interpretantur aduerſarij, ſed de illa annunciatione, quæ fit per immolationem incruẽti ſacrificij corporis & ſanguinis Domini, quemadmodum interpretati ſunt ante mille & ducentos ferè annos Patres Concilij

Alex-

Alexandrini in epiſtola ad Neſtoriũ, quæ approbata fuit primò à ſancto Cæleſtino Papa, & deinde à Concilio generali primo Epheſino, vt conſtat ex Epiſtola eiuſdem Concilij ad eundem S. Cæleſtinum. Quare verus ſenſus horum verborũ eſt iſte: Quotieſcunque deſideratis manducare & bibere, neceſſe eſt, vt priùs annuncietis & repræſentetis mortem Domini incruento Eccleſiæ ſacrificio: nam niſi priùs conſecrentur corpus & ſanguis Domini, non poſſunt illa manducari aut bibi. Porrò in hac cõſecratione cõſiſtit veriſſima annũciatio & repræſentatio mortis Chriſti, vti ſequenti controuerſia pleniùs declarabitur.

Secundò errant aduerſarij, cùm exiſtimãt iſta verba Apoſtoli ſingulis accõmodanda eſſe; tantùm enim abeſt, vt ſingulis conueniant, vt neque poſsint conuenire toti Corinthiorũ Eccleſiæ; immo neque toti Eccleſiæ, quæ fuit tempore Apoſtolorum; ſed neceſſe eſt, vt hęc verba referãtur ad illã vniuerſalẽ & Catholicã Eccleſiã, quę ſemper durauit à tempore Apoſtolorum huc vſque. & quę duratura eſt vſque ad finem Mundi. Affirmat enim perſpicuè Apoſtolus eos, quos dicit manducare & bibere, annunciaturos mortem Domini, donec ipſe veniat iudicare viuos & mortuos: quod nemo particularis homo aut Eccleſia, quæ breui durat tẽpore, poteſt facere, ſed illa ſola Eccleſia, quę perpetuò durauit, durabitq; à tempore Apoſtolorũ vſq; ad nouiſſimũ Chriſti aduẽtũ. In vniuerſali aũt Eccleſia & eſſe & ſẽper fuiſſe à tẽpore Apoſtolorum multos, qui comederent corpus Chriſti, & biberent eius ſanguinem annunciando eius mortem, extra controuerſiam eſt. Quibũs etiam in verbis obiter obſeruanda eſt illa locutio ſcripturis ſacris vſitata, qua præſens tempus

ponitur pro futuro ad ſignificandam rem cer-
Controu. 3. c. vlt. §. 4. & 5. tiſſimè futuram: qua de re ſuprà copioſè diſſerui-
mus, Græcè enim ad verbum ita habetur: τὸν θά-
νατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε, id eſt, *mortem*
1. Cor. 11. v. 26. *Domini annunciatis*, hoc eſt, certiſſimè annuncia-
bitis, ſeu certiſſimè futurum eſt, vt ſemper annũ-
cietis mortem Domini, quoad vſque venerit ipſe
Dominus. Quare optimè vulgaris noſter inter-
pres Latinus vertit verbũ Græcum per futurum
tempus, in hunc modum; *annunciabitis*: refertur
.n. iſta annunciatio vel maximè ad tẽpus futurũ.

Tertiò errant aduerſarij, quòd exiſtiment cõ-
XXXI. iunctionem copulatiuam, &, ſumi copulatiuè in
his verbis: *Quotieſcunque manducabitis pa-*
1. Cor. 11. v. 26. *nem hunc, & calicem bibetis*: cùm re vera diſiun-
ctiuè debeant ſumi, non copulatiuè, vt ſenſus ſit,
ſiue manducabitis, ſiue bibetis, mortem Domi-
ni annunciabitis. Nam in primis valdè rudis eſt,
qui ignorat copulatiuam particulam, &,
frequenter ſumi diſiunctiuè: quod neque igno-
ff. de verb. ſignif. l. 53. ſæpe. rarunt ipſi antiqui Iuriſconſulti: *Sæpe ita compa-*
ratum eſt, (inquit Iulius Paulus Iuriſconſultus)
Lib. 2. Phyſ. c. 1. tex. 3. *vt coniuncta pro diſiunctis accipiantur*: Neq; id igno-
rauit Philoſophorum Princeps Ariſtoteles, cũ *de-*
finit naturam eſſe principium motus & quietis, hoc eſt,
motus vel quietis. Verùm enimuerò huiuſmodi
locutio in ſacris literis præſertim vſurpatur, cùm
copulantur illa, quæ eiuſdem planè ſunt condi-
tionis & naturæ. Sic in Exodo legimus: *Percu-*
tiens Patrem & Matrem (ita enim eſt in Hebræo)
moriendo morietur. & paulò poſt: *Maledicẽs Patri &*
Exod. 21 v. 15. *Matri, &c.* Nempe quia patris & matris eadem eſt
Ibidẽ v. 17. conditio. Et noſter Latinus interpres aliquan-
do copulam vertit in diſiunctiuam particulam,
vt locis citatis: atque etiam in illis Pſalmiſtæ
ver-

Digitized by Google

verbis: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut* Pſal.49.
(Hebraicè, &)*ſanguinem hircorum potabo?* Item Heb.50.v 13
in nouo teſtamento: *In ore duorum vel tri-* 1.Cor.13.v.
um teſtium,&c. Græcè eſt, & trium teſtium. Ali- 1.
quando relinquit noſter interpres ipſam copulã, ſicuti eſt in archetypo: quòd talis forma loquendi ſatis intelligi poſſit ex alijs ſacræ ſcripturæ locis. ita videre eſt Num.30. verſ. 4. 5. 6. & 14. & in nouo teſtamento in illis verbis Sancti Matthæi: *Ex verbis tuis iuſtificaberis, &* (id eſt, vel,) Matt.12.v.
ex verbis tuis condemnaberis. Sic denique & hoc in 37.
loco: *Quotieſcunque manducabitis & bibetis*, id eſt, 1.Cor.11. v.
vel bibetis. 26.

Porrò quòd hoc in loco cõiunctio, *&*, ſumatur XXXII.
diſiunctiuè, non copulatiuè, hinc conſtat. Primò, quia Sanctus Paulus paulò ſuperiùs in hac eadem Epiſtola loquẽs de communi mãducatione & potatione Chriſtianorum, ita ſcribit: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in glo-*
riam Dei facite. Multò igitur magis, ſiue man- 1 Cor.10.v.
ducamus, ſiue bibimus Euchariſtiam, debet 31.
hoc fieri in gloriam Dei: atqui nec manducare poſſumus, nec bibere Euchariſtiam in gloriam Dei, niſi hoc faciamus in memoriam Chriſti: igitur quotieſcunque vel manducamus vel bibimus Euchariſtiam, ſemper faciendum hoc erit in Chriſti memoriam.

Deinde Apoſtolus cùm refert inſtitutionẽ hu- XXXIII.
ius Sacramenti, ante omnem mentionem calicis ponit illud Chriſti præceptum: *Hoc facite in meam commemorationem:* quod ab Apoſtolis impletum
fuiſſe, antequam biberent, non eſt dubium: non 1.Cor.11, v.
igitur à bibendo dependet præceptũ Chriſti, *Hoc* 24.
facite, &c. quod antequã biberẽt Apoſtoli, iã ab ipſis impletũ fuerat: & ex conſequẽti verba illa S.

Pauli,

1.Cor.11. v. 26. Pauli, *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*, diſiunctiuè intelligenda ſunt ad hunc modum, ſiue manducabitis, ſiue bibetis, ſemper illud facere debetis in memoriam & cõmemorationem Chriſti.

XXXIV. Denique cùm manducare & bibere *ſint* diuerſæ actiones, & tales quæ non fiunt eodem tempore, ſed diuerſis, immo aliquando ſatis longo interuallo altera actio diſtet ab alio (vt quando eſt magna communicantium multitudo) valdè abſonum eſſet affirmare illos, qui comedunt diu antequam bibant, nõ debere memoriam Chriſti habere, donec etiam biberent. Nam talis manducatio, quæ præcederet potationẽ calicis, cùm careret omni memoria Chriſti, indigna procul dubio eſſet, & iudicium manducanti afferret. Verus igitur ſenſus verborum Apoſtoli eſt, Quotieſcunque manducabitis panẽ hũc vel calicẽ bibetis, mortem Domini annũciabitis. Talis autẽ propoſitio diſiunctiua nequaquam probat communionem ſub vtraq; ſpecie, ſed potiùs inſinuat nõnullos fuiſſe tẽpore Apoſtolorũ, qui alteram dumtaxat ſpeciem Euchariſtiæ ſumerent, vt qui proinde monendi erant, vt ſiue manducarent tantùm, ſiue tantùm biberẽt; illud ſemper facerẽt in Chriſti memoriam.

XXXV. Hunc ſenſum confirmant & verba illa, quæ proximo verſiculo in omnibus libris correctis tam Græcis quàm Latinis diſiunctiuè leguntur, hunc in modum: *Itaque quicunq; manducauerit*
1.Cor.11. v. 27. *panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. In priori enim parte huius ſententiæ ponitur expreſsè particula diſiunctiua, *vel*: in poſteriori copulatiua; quæ tamen diſiunctiuè accipienda eſt: neq; enim

Digitized by Google

enim eſt ille reus ſanguinis Chriſti, qui Chriſti ſanguinem non guſtauit. Quare ſenſus eſt, Quicunque manducauerit vel biberit, reus erit corporis vel ſanguinis Domini: qui enim manducat indignè, reus eſt corporis Chriſti, etiamſi non biberit: & qui biberit indignè, reus eſt ſanguinis Chriſti, etiamſi non comedat.

Eodem modo intelligenda ſunt ea, quę habentur ſequenti verſiculo 28. *Sic de pane illo edat & de calice bibat*: hoc eſt, vel de calice bibat. Quanquam his verbis non detur vllum præceptum abſolutum de comedendo aut bibendo, ſed de ſic comedendo aut bibendo, hoc eſt, de comedendo aut bibēdo dignè, & non niſi poſtquā homo ſeipſum benè probauerit. XXXVI.

Similiter quod dicit Apoſtolus proximo verſiculo 29. *Qui enim manducat & bibit indignè*: diſiunctiuè intelligendum eſſe conſtat ex verſu 27. præcedente, in quo expreſsè loquitur Apoſtolus diſiunctiuè: *Quicunque manducauerit vel biberit indignè*. Denique & illud, quod in eodem verſiculo 29. ſequitur: *Iudicium ſibi manducat & bibit*, neceſſariò eſt etiam diſiunctiuè intelligendum, hoc modo: Iudicium ſibi manducat vel bibit: Nam ille ſolus manducat ſibi iudicium, qui indignè manducat; & ille ſolus bibit ſibi iudicium, qui indignè bibit. XXXVII.

Et ratio horum omnium eſt, quoniam par eſt & ſimilis conditio manducationis & potationis huius ſacramenti, quod attinet ad dignitatem vel indignitatem recipientis, & quando ſcriptura ſacra loquitur de rebus eiuſdem rationis & conditionis, indifferenter vtitur coniunctis pro diſ- XXXVIII.

Digitized by Google

diſiunctis, immò in eodem capite nunc copulatè loquitur, nunc diſiunctè, vt videre eſt Num. cap. 30. cùm loquitur de votis & iuramentis, quæ eiuſdem ſunt rationis, quantum ad obligationem attinet. Nam verſu tertio loquitur diſiunctè: *Qui vouerit vel iurauerit.* At ſtatim verſu quarto, quinto, ſexto, ſeptimo & octauo loquitur copulatè de votis & iuramentis, quæ tamen diſiunctè intelligenda ſunt. Rurſus verſu vndecimo diſiunctè loquitur in Hebræo textu (quamuis in vulgata editione Latina ſit copula.) Porrò verſu 12. 13. & 14. iterum copulatè loquitur eadem ſacra Scriptura. Denique verſu decimo quinto diſiunctè. Atque in hunc modum toties in eodem planè capite vtitur ſacra Scriptura coniunctis pro diſiunctis. Quare nemo mirari debet, ſi dicamus S. Paulum in eodem capite ſæpius vti coniunctis pro diſiunctis, cùm & Apoſtolus quoque de rebus illis agat, quæ ſunt eiuſdem planè conditionis & naturæ.

XXXIX. Sextum argumentum deſumunt aduerſarij ex illis Apoſtoli verbis: *Omnes in vno ſpiritu potati ſumus.* Vnde colligunt omnes Chriſtianos tẽpore ſancti Pauli bibiſſe calicem, nam hæc verba, de Euchariſtia intelligenda eſſe cõtendunt, Beza præſertim. Quibus in primis opponimus ipſorũ magiſtrum Caluinum, qui eadem verba explicans ita ſcribit: *Incertum porrò eſt de Baptiſmo ne, an de cœna hic loquatur.* Ita Caluinus. Atqui ex incertis nihil certi colligi poteſt.

1. Cor. 12. v. 13.

Beza ad eundem v 13.

Cal. in 1. ad Cor. 12. v. 13. ad fin.

XL. Verùm obſeruanda hic eſt intolerabilis audacia Bezæ in peruertendis ſacris literis, vt eas aliqua ratione ad ſuas imaginationes contorqueat. Vidit veriſſimum eſſe, quod ait Caluinus,

uinus, verba hæc, vt communiter leguntur tam in Græcis, quàm in Latinis codicibus, poſſe de ſolo baptiſmo intelligi, de quo expreſsè loquitur Apoſtolus in principio eiuſdem verſiculi; *In vno* (inquit) *ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus*. In fine verò eiuſdem verſiculi tantùm *dicit, quòd omnes in vno ſpiritu potati ſumus*, hoc eſt, cum vno ſpiritu, iuxta phraſim Hebraicam. Quod optimè etiam intelligi poteſt de Baptiſmo, vt paulò pòſt explicabimus. Beza verò vt traheret hæc verba à Baptiſmo ad Euchariſtiam, auſus eſt textui adijcere duo verba hunc in modum: *Omnes vna potione potati ſumus in vnum ſpiritum.*

XLI. Porrò quàm leuiter & inconſideratè mutauerit Beza communem lectionem, inde ſatis conſtat, quòd neminem pro hac ſua noua lectione citet, niſi Oecumenium recentem ſcriptorem, cùm non ignoret ſanctum Chryſoſtomum, Theodoretum, Theophylactum, & alios antiquiores Græcos legere communi & recepto modo. Immò Oecumenius (qui Græca illa ſcholia collegit, quæ Beza citat) eodem omninò loco interpretatur iſta verba de baptiſmo: per potum enim ſeu poculum, quo omnes rigamur, intelligit Oecumenius vnam aquam, ſeu fontem vnum baptiſmatis. Citat quidem Beza vnum codicem Græcum pro hoc ſuo additamento. Sed cùm ille aſſerat ſe nactum eſſe viginti quinque codices Græcos, valdè inſolenter facit, qui vnicum ex his præfert alijs viginti quatuor. Clementis etiam Alexandrini locum quemdam corruptum (cuiuſmodi non pauci ſunt in eius operibus) adducit, quem ipſemet approbare non audet: in eo

Beza in præfat ad Reginam Angliæ ante annotationes editas an. 1565

enim

enim nulla ſpiritus fit mentio, ſed loco ſpiritus, ponitur potus contra omnium codicum conſenſum.

XLII. Denique Beza ipſe paulò ante obitum prudentior factus, hanc ſuam nouam potionem è textu remouit, poſtquam illam iam multis annis textui inſeruiſſet. Nam in editionibus noui teſtamenti, quas anno 1565. & præcedentibus edidit, ſuam hanc vnam potationem textui adiecit; eamque argumentis iam allatis ſtabilire conatus eſt. At verò in editione anni 1590. & in vltima ſua editione anni 1598. ita hunc locum vertit: *Omnes poti ſumus in vnum ſpiritum*, nulla facta mentione vnius potionis aut potationis. Et quamquam in annotationibus eiuſdem anni 1598. ad hæc verba, rurſus repetat, quæ priùs dixerat ex Græcis Scholijs & ex ſuo illo vnico codice & ex Clemente Alexandrino, addit tamen iſta verba: *Ego receptam lectionem retineo, cùm in præcedenti membro non addatur* ἑνὶ βαπτίσματι, *vno baptiſmo. Syrus præterea & Arabs interpres illud non habent.* Ita Beza quoties ei placet, addit, quoties placet, adimit expreſſo Dei verbo, & quidem ob leuiſſimas coniecturas.

XLIII. Iam verò vt ad argumentum aduerſariorum reſpondeamus: In primis facile nobis eſt reſpondere Apoſtolum hic non loqui de Euchariſtia, ſed de baptiſmo, in quo omnes eundem ſpiritum ſanctum haurimus. Hunc enim ſenſum habent non tantùm Syrus & Arabs interpres, vt agnoſcit Beza. Sed etiam S. Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius. Nam etſi S. Chryſoſtomus & Theophylactus faciant mentionem alterius illius interpretationis, quæ eſt de Euchariſtia,

Beza loc. cit. S. Chryſ. hom. 30. in 1. ad Cor. Theophyl. & Oecumenius ad hæc verba. 1 Cor. 12. v. 13.

Digitized by Google

ſtia;tamen hanc ſecundã de baptiſmo priori prę-ferunt;eamque veriorem & certiorem vocat Theophylactus. Oecumenius verò hanc ſolam de baptiſmo ponit,alterius non meminit.

Deinde, etiamſi concedamus Apoſtolum in his verbis agere de Euchariſtia,(id quod etiã ſentire videntur quidam Patres)nihil tamẽ hinc colligi poteſt contra communionem ſub vna ſpecie. Immò in hoc ſenſu magis etiã confirmant iſta Apoſtoli verba ritum communicandi ſub vna ſola ſpecie,ſi exactè perpendantur. De vna enim ſola ſpecie vini loquitur hic Apoſtolus;de ſpecie panis ne verbum quidem: probant igitur verba hæc communionem ſub vna dumtaxat vini ſpecie. Sed dicent aduerſarij hic eſſe Synecdochen, qua pars vna Sacramenti ponitur pro integro Sacramento. Verùm non eſt confugiendum ad improprias & figuratas locutiones ſine neceſſitate, vt ſuprà ſæpius oſtendimus. Porrò hic nulla eſt neceſſitas, vt confugiamus ad figuratam locutionem. Reddi enim poteſt optima ratio,cur Apoſtolus hic meminerit ſolius potationis & non manducationis. Nam ſi loquitur de Euchariſtia,vt ponimus, loquitur ſine dubio de illa Euchariſtia,quę ſtatim poſt baptiſma dabatur nuper baptizatis: non enim loquitur tanquam de re præſenti: *Omnes baptizamur, omnes potamur*,ſed tanquam de re pręterita,*Omnes*(inquit) *baptizati ſumus, omnes potati ſumus*. In primitiua enim Eccleſia ſtatim poſt baptiſma dabatur Euchariſtia omnibus baptizatis, vt ſuprà oſtẽdimus ex ſancto Dionyſio Areop. S. Ambroſio & Sancto Cyrillo Hieroſolymitano. Cùm igitur loquatur hic Apoſtolus de Euchariſtia,quæ data fuit ſtatim poſt baptiſma, non poterat

XLIV.

Suprà Contro.3.c.8.§.2.& c.10.§.2.

Suprà c.1. huius cont. §.4.

Digitized by Google

verè dicere omnes manducaſſe, poterat tamen verè dicere omnes potatos eſſe. In his enim publicis baptiſmis multi infantes baptizabantur, qui manducare non poterant, ſed potari poterant: & re ipſa potabantur in antiqua Eccleſia, vt
Suprà c.1. huius controu.§.1. & 2. ſuprà quoque oſtendimus ex varijs autoribus. Poterat igitur Apoſtolus rectè dicere: *Omnes baptizati ſumus, omnes potati ſumus*; quia Infantes etiam baptizabantur, & potabantur; at non poterat rectè dicere: omnes manducauimus, cùm tot adeſſent infantes baptizati, qui manducare non poterant.

XLV. Ad hæc cùm in priori membro huius verſus dixit Apoſtolus: *Omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus*, certum eſt, quòd particula illa vniuerſalis. *Omnes*, includat etiam infantes baptizatos; quare vt particula, *Omnes*, in poſteriori parte includeret etiam infantes, debebat Apoſtolus de ſola potatione loqui, cuius capaces erant omnes, etiam infantes: non autem de manducatione, cuius infantes capaces non erant.

XLVI. At verò cùm Apoſtolus alibi loquitur de quotidiana communione adultorum, loquitur tanquam de re præſenti, non tanquam de re prçterita: *Participamus* (inquit) non participauimus. Et
1.Cor.10. v.17. præterea meminit ſolius panis, non calicis: *Vnus* (inquit) *panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus*: idque propterea facit, quod omnes adulti communicarent ſub ſpecie panis, ſed non omnes ſub ſpecie vini: vt ſequenti capite latiùs declarabimus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

Communionem ſub vna ſpecie fulciri varijs teſtimonijs ſacrarum li-terarum.

DIXIMVS ſuprà ſatis nobis eſſe, ſi oſtenda- I.
mus aduerſarios non poſſe conuincere ex *c.3.præced.*
ſacris literis communionẽ ſub vtraq; ſpecie § 3.
omnib' eſſe neceſſariã aut præceptã; id quod prę-
cedẽti capite præſtitimus. Iã verò hoc capite oſtẽ-
demus cõmunionẽ ſub vna ſpecie non carere te-
ſtimonijs ſcripturarum. Primũ quidem argumẽ-
tum, quo probamus communionẽ ſub vna ſpecie
ad ſalutem ſufficere, deſumitur ex ſexto capite S. *Ioan. 6. v.*
Ioannis, in quo Chriſtus quater promittit vitam 50. 51. 58.
æternam manducantibus, nullâ factâ mentione *& 59.*
potationis (vt diximus in principio præceden- *c. præced.*
tis capitis;) quæ omnes Chriſti promiſſiones falſę § 3.
eſſent, atque fallaces, ſi manducatio non ſuffice-
ret ad vitam æternam.

Secundum argumentum ſumitur ex illis A- II.
poſtoli verbis: *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus,* *1. Cor. 10.*
omnes qui de vno pane participamus; igitur vt ſi- *v. 17.*
mus vnum corpus Chriſti, ſatis eſt, quòd ex
vno pane participemus, etiamſi non bibamus
ex calice.

Scimus in quibuſdam Latinis codicibus, & a- III.
pud recentiores quoſdam Scriptores Latinos, ad-
iecta eſſe iſta verba, *& de vno calice*: ſed de-
ſunt in correctioribus Latinis exemplaribus;
in Græcis quoque & Syriacis. Sed neque audent
ipſi aduerſarij in ſuis verſionibus particulam il-
lam de calice textui adijcere. Beza quidem

in vltimis ſuis annotationibus anni 1598. ad hunc verſiculum 17. ſcribit ſe in vno codice Græco additum inueniſſe, καὶ τοῦ ποτηρίου, id eſt, *& illo poculo.* Sed non audet hanc additionem approbare. Mirum autem non eſt, ſi inter tot codices Græcos, quibus ſe vſum eſſe gloriatur Beza, vnum inuenerit deprauatum.

Obſeruandum etiam hic eſt Apoſtolum ver-
IV. ſiculo præcedente, nempe 16. expreſſam mentionem feciſſe tum calicis tum panis conſecrati, ſed in hoc ſequenti verſiculo, vbi declarat vnitatem & coniunctionem omnium Chriſtianorum cum Chriſto & inter ſe, quam efficit hoc ſacramentum, præterita calicis mentione, ſolius panis meminit: qua in re apertè docet potationem calicis non eſſe neceſſariam ad hoc, vt ſimus vnum Chriſti corpus, ſed ſufficere ſolum eſum corporis Chriſti.

V. Diſſimulat quidem hanc difficultatem egregiè Beza in ſuis annotationibus ad hunc locum Apoſtoli: At Caluinus eam diſſimulare non potuit. Nam vt ſe ab ea expediat, confugit ſuo more ad figuratam locutionem: *Solet* (inquit Caluinus) *Scriptura per fractionem panis Synecdochicè totam cœnam ſignificare.* Verùm vt omittamus alia loca ſcripturæ (de quibus paulò pòſt:) certè hoc in loco nulla ratione locum habere poteſt hæc Caluini Synecdoche, nam non fit vlla mentio fractionis panis, niſi verſiculo 16. Vbi Apoſtolus apertè diſtinguit iſtam panis fractionem à calice: *Calix,* inquit Apoſtolus, *cui benedicimus, &c. & panis, quem frangimus, &c.* quare non poteſt fractio panis hic ſignificare totam cœnam, ſed neceſſe eſt, vt vnam tantùm eius partem ſignificet,

Calu. ad v. 17. epiſt. 1. ad Cor. c. 10.

1. ad Cor. 10 v. 16.

cùm

cùm altera pars nomine calicis ſignificetur. Deinde ver.17. quem hic vrgemus, non fit vlla mentio fractionis panis, quam totam cœnam ſignificare contendit Caluinus, ſed ſolius panis meminit Apoſtolus, quem etiam dicit eſſe corpus Chriſti. Porrò nuſquã inueniet Caluinus in Scripturis calicem vocari corpus Chriſti: loquitur igitur Apoſtolus de ſolo pane conſecrato, non autem de calice: idq́ue propterea, quòd ſolius panis mãducatio ſufficeret ad hãc participationẽ & cõmunicationem, quam per ſacramentum Euchariſtiæ cum Chriſto habemus, etiamſi calix non bibatur. Alioqui enim ſi & calicis potatio fuiſſet neceſſaria ad hanc noſtram coniunctionem cũ Chriſto (vt contendunt aduerſarij,) non potuiſſet Apoſtolus ſine magno ſcelere illam prorſus omittere.

Idem magis confirmant verba, quæ ſequenti ſtatim verſiculo ſubiungit Apoſtolus: *Videte Iſrael ſecundùm carnem, nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* vbi rurſus ſolius manducationis meminit, potationis autem nullam facit mentionem. Et meritò; nam vt mox dicemus, ex ſacrificijs Moſaicæ legis comedebat nonnunquam populus, ſed ex nullo prorſus bibebat. Senſus igitur illorum verborum Apoſtoli hic eſt: Non miremini, ſi dixerim, omnes qui comedunt hunc myſticum panem, eſſe participes corporis Chriſti, etiamſi non bibant: nam ſecundùm legem quoque Moſaicam omnes qui edunt ex ſacrificio immolato, etiamſi non bibant, participes ſunt altaris, hoc eſt, ſacrificij, quod in altari offertur. Conſtat igitur Chriſtianos omnes eſſe participes corporis Chriſti, hoc ipſo quòd manducant, etiamſi non bibant; & ex conſequenti,

VI. 1. *Cor.* 10. *v.* 18.

Digitized by Google

ſolam manducationem Euchariſtiæ ſine potatione ſufficere ad ſalutem æternam.

VII. Tertium argumentum, quo probamus communionem ſub vna ſpecie, eſt, quòd Chriſtus ipſe dederit communionem ſub vna tantùm panis ſpecie duobus illis diſcipulis in Emaus, vt refert S. Lucas: quod nequaquam feciſſet Chriſtus, ſi illud illicitum fuiſſet. Hoc argumentum multis rationibus confirmant Ioannes Maldonatus & Gabriel Vaſquez; qui etiam euidenter probant SS. Auguſtinum, Hieronymum, Chryſoſtomum & alios pleroſque veteres Patres hunc locum de Sacramento Euchariſtiæ intellexiſſe. Immò nec Caluinus ipſe id negare poteſt; cuius hæc sũt verba: *Auguſtinus, & cum eo plerique alij ſenſerunt panem non in edulium à Chriſto porrectum eſſe, ſed in ſacrum corporis ſui ſymbolum; & hoc dictu plauſibile eſt Dominum in ſpirituali denique cœna ſpeculo agnitum fuiſſe.* Ita Caluinus. Ex quo illud ſaltem habemus, quòd S. Auguſtinus & cum eo plerique alij Patres ſenſerint communionem ſub vna ſpecie eſſe licitam, & ipſius Chriſti exemplũ de ea re extare. Porrò cùm Caluinus alibi fateatur vſque ad S. Auguſtini ætatem nihil in Apoſtolorum doctrina mutatum fuiſſe, neceſſe eſt, vt agnoſcat Caluinus communionem ſub vna ſpecie iuxta Apoſtolorum doctrinam licitam eſſe, quam licitam eſſe docuit S. Auguſtinus.

Luc. vlt. v. 30. Maldonat. in c. vlt. S. Luc. ad v. 30. Vaſquez tom. 3. in 3. p. S. Tho. diſp. 196. c. 3 & diſp. 216. c. 2. Calu. ad v. 30. c. vlt. S. Lucæ. Calu l. 4. Inſt. c. 2. ſect 3. ſub finem.

VIII. Sed addit Caluinus: *nullo probabili indicio coniecturam hanc Patrum niti.* Verùm non pauca extant huius rei indicia eaque valdè probabilia. Primùm S. Paulus mentione ſolius benedictionis ſacramentũ Euchariſtiæ ſatis apertè indicauit, cùm ait, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* & rurſus ſolo no-

Calu. ad v. 30. citat. 1. Cor. 10. v. 16.

lo nomine fractionis panis hoc idem Sacramentum manifeſtè ſignificauit, cùm ait: *Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Atqui hic vtrumque ponit Sanctus Lucas nimirum benedictionem Christi & fractionem panis, immo & diſtributionem quoque. *Ibidem.*

IX. Deinde, ſicut in prima inſtitutione huius Sacramenti Chriſtus accubuit menſæ, accepit panẽ, benedixit, fregit & dedit: ita hic dicitur: *dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit & porrigebat illis.* quibus verbis exprimuntur omnes actiones cœnæ Dominicæ: Verba autem conſecrationis illa voce; *benedixit*, ſatis euidenter exprimuntur: ſicut & apud Apoſtolum, cùm dicit, *Calix cui benedicimus*, &c. Non potuit igitur clariùs hoc indicari, Chriſtianis præſertim. Et certè ipſe Caluinus agnoſcit per ſolam fractionem panis ſatis manifeſtè declarari hoc Sacramentum Actorum 2. ver. 42. & Act. 20. v. 7. atqui hic non tantùm ponitur fractio panis, ſed & benedictio, & diſtributio. Item per ſolam benedictionẽ ſignificari conſecrationem; fatentur tam Caluinus quàm Beza. Hic autem præter benedictionem additur etiam fractio & porrectio, ſeu diſtributio. *Matth. 26. v. 26. Luc. vlt. v. 30. Cal. in act. Apoſt. ad v. 42. c. 2. & ad v. 7. c. 20. Calu. & Beza in c. 10. Epiſt. 1. ad Cor. ad v. 16.*

X. Porrò illud, quod præcipuè vrget Sanctus Auguſtinus in verbis S. Lucæ, eſt, quòd ille referat Chriſtum hunc panem benedixiſſe. cui argumento debuiſſet Caluinus ſatisfacere, & non tam temerè ſine vlla ratione aſſerere hanc Patrum ſẽtentiam nullo probabili indicio niti. Verba enim Sancti Auguſtini ſunt iſta: *Dominus IESVS ab eis, quorum oculi tenebantur, ne illum agnoſcerent, in fractione panis voluit agnoſci. Nouerunt fideles; ſciunt quid dicam. Nouerunt Chriſtum in fractione panis. Nõ. n. omnis panis, ſed accipiens benedictionẽ Chriſti,* *S. Auguſt. ſer. de verbis Euangelij. quem etiam citat Beda in illud 1. ad Cor. 10. v. 26. Calix benedictionis in fine.*

ſit corpus Chriſti. Ita S. Auguſtinus. Et meritò deſumit ille argumentum ex Chriſti benedictione; nã Chriſti benedictio inutilis aut euanida eſſe nõ potuit: fuiſſet autem benedictio hæc panis planè euanida, niſi in ipſo pane fuiſſet ſecuta magna mutatio & effectus quidã mirabilis atque ſupernaturalis, quemadmodum aliàs ſemper factũ eſt, cùm Chriſtus panẽ benedixit; vt videre eſt Matthæi 14. v. 19. & c. 26. v. 26. Deinde hoc S. Auguſtini argumentum firmiſſimum eſt contra aduerſarios, qui vbique docent nihil eſſe credendum in dogmatibus fidei, quod non habetur expreſsè in ſacris literis. Ex quo aduerſariorum principio tale confici poteſt argumentum: Nunquam in ſcripturis legimus Chriſtũ benedixiſſe panẽ, niſi quãdo vel multiplicauit panẽ inſigni illo miraculo, vel quãdo panem in corpus ſuũ conſecrauit: atqui iſta benedictione, quam refert S. Lucas, non multiplicauit Chriſtus panem; conſequẽs igitur eſt, Chriſtũ panem hac benedictione in corpus ſuum conſecraſſe: aut certè noua alia Chriſti introducẽda erit benedictio, quę nullum habet teſtimoniũ ex ſacris literis.

Luc. 9 v. 16. Mat. 26. v. 26.

XI. Vrget etiam S. Auguſtinus vtilitatem, quã cõſecuti ſunt hi Chriſti diſcipuli ex manducatione huius benedicti panis: nam *ſtatim aperti ſunt oculi eorum*, vt Chriſtum cognoſcerent. Sunt quidem recentiores ſcriptores nonnulli, qui affirmant Chriſtum particulari quodam modo ſolitũ fuiſſe panem frangere, & diſcipulos ex illo ritu frangendi cognouiſſe Chriſtum. Verùm hæc mera eſt fabula, quę nullum habet probatũ autorẽ: Et S. Lucas longè aliter docet, nimirum impedimentum fuiſſe ex parte oculorum ipſorũ diſcipulorũ: *Oculi*, inquit, *illorũ tenebãtur, ne eũ agnoſcerent.*

Luc. 24. v. 31.

Luc. 24. v. 16.

rent. Et antequam agnoſcerent Chriſtum, dicit Euangeliſta, quòd *aperti ſunt oculi eorũ.* Cõſtat igitur impedimentum fuiſſe in oculis ipſorũ, illudq; ſublatũ fuiſſe per manducationem huius Sacraméti. Id quod S. Auguſtinus etiã benè obſeruauit. Nam cùm dixiſſet, factum eſſe, vt aperirẽtur iſtorum oculi, ſtatim addit, *aperirentur vtique ad eius cognitionem, remoto ſcilicet impedimento, quo tenebantur, ne eum agnoſcerent.* Apparuit quidem Chriſtus, etiam in alia effigie, vt narrat S. Marcus capite vltimo verſu duodecimo: Sed per hanc fractionem, id eſt, incruentam oblationem panis benedicti, & peregrina effigies, & omne oculorum impedimentum ſublatum eſt. *Luc. 24. v. 31.* *S. Aug. to. 4. de conſẽſu Euang. li. 3. c. 25.*

XII. Denique circa hanc hiſtoriam & illud obſeruandum eſt, quòd quamuis iſti duo diſcipuli non fuerint præſentes in vltima cœna, quando Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, fuerunt tamẽ illi à Chriſto in via ſatis inſtructi & pręparati ad ſuſceptionem huius Sacramenti, idque tum charitate tũ fide. Nã charitatẽ illorum declarant verba: *Nonne cor noſtrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* De fide etiam dicit S. Lucas: *Incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Si omnia quæ de ipſo ſcripta erant in Moyſe & in omnibus Prophetis interpretatus eſt illis: ſine dubio & illa omnia explicauit, quæ de ſacrificio Melchiſedech, de agno Paſchali, de manna & alijs multis huius ſacrificij noſtri figuris ſcripſerunt Moyſes & Prophetæ in antiquo teſtamento. *Luc. 24. v. 32.* *Luc. 24. v. 27.* *Gẽ. 14. v. 18.* *Exod. 12. & 16.*

XIII. Quartum argumentum pro communione ſub vtraque ſpecie eſt exemplum primitiuæ Eccleſię. Nam cùm S. Lucas deſcribit quotidianam cõmu-

nionem primitiuæ Eccleſiæ, ſolius panis meminit, non autem calicis. Ita enim ſcribit: *Erãt au-* *Act.2.v.42.*
tem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Porrò Syriaca editio (quã magni faciunt aduerſarij) ita habet, ipſo Tremellio interprete: *Et perſeuerãtes erãt in doctrina Apoſtolorũ, & communicabant in precatione, & in fractione Euchariſtiæ.* Per fractionẽ autẽ Euchariſtiæ non poteſt rectè intelligi calix, qui nequaquam frangitur, ſed ſpecies panis, quę verè & propriè frangitur. Sed neque poteſt hic locũ habere Synecdoche illa Caluini, qua fractio panis denotat totã cœnam, omneſque eius actiones: Nã nonnullæ actiones cœnæ hic ſeorſim à S. Luca recenſentur, videlicet, *doctrina Apoſtolorum* & *orationes*, quæ fiebãt, dũ fractio iſta panis peragebatur: non poteſt igitur fractio panis ſignificare totam cœnam & omnes eius partes, ſed certam aliquam eius partem & actionem; panis nempe conſecrati oblationem & diſtributionem.

XIV. Adhæc quòd fractio panis ſignificet etiam calicem, cùm tribuitur huic Sacramento, nullo loco ſacræ ſcripturæ conuinci poteſt: Sed quòd fractio iſta panis ſignificet ſolius panis vſum, non autẽ calicis, euidenter probatur duobus ſcripturæ teſtimonijs. Eſt igitur noſtra hæc interpretatio potius ſequenda, quæ teſtimonijs ſacræ ſcripturæ nititur; quàm aduerſariorum, quæ omni

1.Cor.10. v.16. Scripturæ teſtimonio caret. Sunt enim duo teſtimonia, quibus probamus fractionem panis non poſſe calicem ſignificare. Primum eſt S. Pauli,

Suprà hoc ipſo c.§.5. cùm ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* quibus in verbis fractio panis opponitur calici (vt ſuprà etiam oſtendimus:) Non poteſt igitur nomine fractionis panis intelligi

ſigi calix. Alterũ teſtimoniũ eſt illud,quod ſcribit S. Lucas de duobus diſcipulis in Emaus: *Cognouerũt* (inquit)*eum in fractione panis*.Enimuerò in Emaus certum eſt Chriſtum non dediſſe calicem illis duobus diſcipulis: quia ſtatim vbi porrexiſſet illis benedictum panem, & illũ agnouiſſent, *euanuit ex oculis eorum* ante porrectum vllum calicem. Vnus eſt dumtaxat locus,ex quo aduerſarij poſſunt cum aliqua probabilitate probare ſuam Synecdochem,nempe Actorum 20.v.7. Sed incertum eſt,an ibi agatur de hoc Sacramento,& incertius,an frangere panem ibi ſignificet etiam bibere calicem Domini;vt paulò pòſt oſtẽdemus.Noſtra autem teſtimonia,quibus probamus fractionem panis non ſignificare calicem, ſunt certiſſima & euidentiſſima.

Luc. vlt. v. 35.

Luc. vlt. v. 31.

Infrà hoc ipſo c. §. 23.

XV. Præterea nõ debemus relinquere literalem & proprium Scripturæ ſenſum,& confugere ad improprias locutiones ſine vlla neceſſitate; atqui hic nulla alia eſt neceſſitas, cur aduerſarij cõfugiãt ad Synecdochẽ, niſi vt mordicus defendãt ſuũ errorẽ; quæ omniũ hæreticorũ vetus eſt conſuetudo. omnes enim hæretici ſolent aperta ſcripturæ teſtimonia detorquere ad improprios & alienos ſẽſus,vt illudant Catholicorum argumenta;& quia hac in re ſæpe peccant aduerſarij, ſæpius eſt & hoc fidei principium contra illorum tam pernicioſum errorem inculcandum. Quod etiam ſuprà ſemel atque iterum fecimus. Vbi etiam oſtendimus nullam planè relinqui certitudinem ſacrarum literarum,niſi hoc principium integrum & ſartum tectum conſeruetur.

Vide ſuprà cont. 3. c. 8. §. 2. & c. 10. §. 2.

XVI. Fuerunt præterea aliæ duæ conſuetudines primitiuæ Eccleſiæ,quæ valdè perſuadent loca iſta,in quibus S. Lucas meminit *fractionis*

panis,

Act.2.v. 24 & Act. 20.v.7. *panis*,de communione ſub vna panis ſpecie intelligenda eſſe. Prior conſuetudo erat Nazaræorum, quibus & vinum,& quicquid ex vinea erat,& denique omne illud,quod inebriare poterat, ſeuerè *Num.6.v. 3.& 4.* fuit lege Moſaica interdictum. Erant autem Iu*Act.21.v. 20.* dæi ad Chriſtum conuerſi diligentiſſimi obſeruatores legis Moſaicæ, *Vides frater* (inquit ſanctus Iacobus ad ſanctum Paulum) *quot millia ſunt in Iudæis,qui crediderunt,& omnes æmulatores ſunt legis.* Et inter hos Iudæos conuerſos non pauci fuerunt Nazaræi,vt conſtat ex Actis Apoſtolorũ, *Act.21.v. 23.& 24. Act.2.v. 42.* qui nihilominus quotidie communicabant , vt refert ſanctus Lucas. Non eſt autem probabile, quòd Iudæi Nazaræi , qui legem tam exactè & ſcrupuloſè obſeruabant,quotidiè biberent publicè contra præſcriptum legis illud, quod ex vinea erat,& inebriare poterat (eiuſmodi enim ſunt ſpecies vini in Sacramento Euchariſtiæ.) Quare cùm Apoſtoli ſcirent Chriſtum non præcepiſſe ſingulis communionem ſub vtraque ſpecie, valdè conſonum eſt Apoſtolos conceſſiſſe Nazaræis,vt ſub vna tantùm ſpecie communicarent,atque ob hanc cauſam S.Lucam ſolius fractionis panis mẽtionem feciſſe.

XVII. Poſterior conſuetudo Iudæorum erat, quòd iuxta ritum legis Moſaicæ comedebant quidem Iudæi ex ſacrificijs quibuſdam, ſed ex libaminibus ſacrificiorum nunquam bibebant : imò apud Iudæos bibere ex ſacrificijs, erat nota quædam certiſſima idololatriæ. Gentiles enim, qui immolabant idolis , bibebant vina libaminum, *Leuit.3.v. vlt.& Leuit.7.v.25.* quemadmodum & comedebant adipem victimarum , quod in Leuitico prohibitum etiam erat Iudæis. Atque hinc eſt,quòd ſacrificia illorum,

qui

qui à vero Deo ad idola defecerant, ita deſcribat Moyſes: *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Proprium enim erat illorum, qui idolis immolabant, comedere adipes victimarum, & bibere ex libaminibus Sacrificiorum. Hinc etiam eſt, quod Regina Eſther in ſua oratione ad Deum, cùm vellet oſtendere ſe immunem eſſe ab idololatria, dixerit ſe *non bibiſſe vinum libaminum.* Et contrà, Moyſes cùm vellet manifeſtiùs deſcribere idololatriam populi, in medium profert hunc ritum, non tantùm comedendi, ſed etiam bibendi ex ſacrificijs, tanquam certiſſimam notam idololatriæ: *Surgenteſque manè* (inquit) *obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare & bibere.* Quæ verba poſtrema ſatis manifeſtè declaraſſe illorum idololatriam, notat ſanctus Paulus, cùm ita ſcribit: *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere* ex ſacrificijs, nimirum more Gentilium, qui non tantùm comedebant, ſed etiam bibebãt. Hinc denique eſt, quòd Apoſtolus paulò pòſt in eodem capite, cùm agit de ſacrificijs legis Moſaicæ, totam participationem ſacrificij ponat in ſola manducatione, nulla facta mentione potationis: *Nonne qui edunt hoſtias* (inquit) *participes ſunt altaris?* Et meritò quidem: nam nec ipſi Sacerdotes legis bibebant vnquam libamina ſacrificiorum, ſed illa effundebant ſuper altare, & ſuper victimas, atque libamina vnà cum victimis comburebant ſuper altare victimarum: vt videre eſt in diuerſis locis Numerorum. Iſta namque libamina ex vino fiebant, vt habetur Exodi vigeſimo nono, verſu quadrageſimo, atqui interdictum planè fuit Sacerdotibus ſub pœna mortis, ne biberent vi-

Deuter. 32. v. 38.

Eſth. 14. v. 17.

Exod. 32. v. 6.

1. Cor. 10. v. 7.

1. Cor. 10. v. 18.

Num. 15. v. 5. 7 & 10. & Num. 28. v. 7. & 14.

vinum, quamdiu erant in tabernaculo teſtimonij, Leuitici decimo, verſu nono. Cùm igitur tam inſolitum atque profanum fuerit apud Iudæos bibere ex ſacrificijs, mirum non eſt, ſi Apoſtoli ipſis indulſerint, vt ſola manducatione participarent ex Chriſtianorum ſacrificio. Apud Gentes quidem ad Chriſtum conuerſas in vſu fuit etiam communio ſub vtraque ſpecie. Nam cùm Gentes in ſacrificijs idolorum etiam ex libaminibus biberent, ne viderentur Chriſtiani minùs participare ex ſacrificio Chriſtianorum, quàm antea participabant ex ſacrificijs Dæmoniorum, etiam calix illis permittebatur. Hinc illa Apoſtoli verba ad Corinthios Gentiles: *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum.* (1.Cor.10.v.20.) Itaque quamuis apud Gentes conuerſas frequentior fuerit tempore Apoſtolorũ cõmunio ſub vtraq;:tamẽ apud Iudęos longè frequentior fuit communio ſub vna tantũ ſpecie panis, tum propter Nazaræos, tum etiam propter veterem illam participationem ſacrificiorum legis, quæ erat per ſolam manducationem ſine potatione vlla.

XVIII. Verùm vt finem imponamus teſtimonijs ſacrarum literarum, neceſſe eſt, vt diluamus dubitationem vnam, quæ oritur ex illis, quæ diximus de fractione panis tam in Emaus, quàm in Actibus Apoſtolorum. (*Luc.24.v.30. Act.2.v.42. & Act.10.v.7.*) Eſt autem dubitatio talis: veriſimile non eſt Chriſtum voluiſſe illa, quæ in vltima cœna de hoc Sacramento conſtituerat, tam citò mutare & infirmare ſuo exemplo: atqui in cœna ordinauit conſecrandum eſſe hoc Sacramentum ſub vtraque ſpecie: in Emaus autem ſi Sacramentum dediſſet, non conſecraſſet, niſi ſub vna tan-

tantùm ſpecie; quod omnes fatentur illicitum eſſe. Hinc conantur aduerſarij probare fractionem panis in Actibus Apoſtolorum per Synecdochen ſignificare etiam calicem. Nam cùm ſanctus Lucas agat de confectione ſeu conſecratione huius Sacramenti, neceſſe eſt, vt conſecrationem calicis intelligamus nomine fractionis panis. Et ſanè fractionem hanc panis ſignificare non tantùm diſtributionem Sacramenti, ſed etiam conſecrationem & oblationem illius, probabilius eſſe oſtendemus ſequenti controuerſia. Ad dubitationem hanc reſpondemus: Si inſtitutionem primam huius Sacramenti diligenter perpendamus, perſpicuum erit, primò quidem Chriſtum confeciſſe & conſecraſſe, atque etiam obtuliſſe hoc Sacramentum ſub vna tantùm ſpecie panis: deinde Chriſtum & Apoſtolos conſumpſiſſe hoc ſacrificium corporis, antequam inſtitutum eſſet ſacrificium calicis; tum Chriſtum adieciſſe verba illa: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. v. 19.
(vt apertè ſcribunt ſanctus Lucas & ſanctus Paulus:) quibus verbis dedit Chriſtus Apoſtolis 1. Cor. 11. v. 24.
præceptum & poteſtatem non tantùm communicandi, ſed & conſecrandi, & conficiendi hoc Sacramentum: quemadmodum definitum Trid. ſeſſ. 22 can. 2.
eſt in Concilio Tridentino; & res ipſa loquitur, neque enim alijs verbis, quàm iſtis, *hoc facite*, &c. 1 Cor. 11. v. 25.
datam eſſe poteſtatem miniſtris Eccleſiæ conficiendi & conſecrandi hoc Sacramentum, oſtendi poteſt ex ſacris literis. Denique poſt hæc omnia Chriſtum conſecraſſe calicem, & poſt conſecratum calicem aliud adieciſſe mandatum, non illud quidem abſolutum, vt prius, ſed conditionale: *Hoc facite, quotieſcumque bibetis*,

tis, in meam commemorationem. Prius itaque præceptum de conſecrando pane abſolutum erat; poſterius de conſecrando calice conditionale, vt ſuprà fuſiùs declarauimus.

c.3.præcedẽti §.23.

XIX. Ex quibus duo colligimus. Primum eſt, in conſecratione & ſumptione vnius ſpeciei panis, eſſe perfectam memoriam Chriſti, mortisq́; eius. Nam cùm Chriſtus dixerit de vna ſola ſpecie panis, antequam inſtituiſſet calicem, *hoc facite in meam commemorationem*, & Chriſtus his verbis perfectam ſui commemorationem, non imperfectam mandaſſet atque inſtituiſſet; negari non poteſt, quin ante inſtitutionem calicis in ſola conſecratione vnius ſpeciei panis fuerit tota & perfecta commemoratio mortis Chriſti. Id quod res ipſa quoque atteſtatur: nam corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſt modo planè mortuo, eodem videlicet modo, quo fuerat poſt mortem in cruce & in ſepulcro; neque enim videt, aut audit, aut loquitur, aut alias actiones corporis viuentis exercet, prout eſt in hoc ſacramento; cùm in eo ſit indiuiſibili & ſpirituali modo. Dici quidem poteſt iſta commemoratio, quæ fit per conſecrationem & oblationem vnius tantùm ſpeciei, imperfecta ad hunc ſenſum, quòd ſit minùs perfecta quàm illa in qua ambæ ſpecies conſecrantur. Item imperfecta poteſt dici integraliter, ſed non eſſentialiter: nam duæ iſtæ ſpecies ſũt partes integrantes ſacrificij potius, quàm eſſentiales, vt benè obſeruauit Bellarminus. Porrò minùs perfectam iſtam repræſentationẽ mortis Chriſti (quæ fit per vnius tantùm ſpeciei conſecrationem) ſupplet & perfectam reddit fractio hoſtiæ; nã illa fractione apertè ſignificatur mors Chriſti violenta, qua vna pars eius (anima videlicet)

Bellarm. lib.4. de Euch. c. 24. ſub finem.

cet)ab alia, nempe corpore violéter ſeparata fuit. Proinde quoties calicis nulla fit mentio in ſacris literis,toties fit expreſſa mentio fractionis panis. Quare propriè & abſolutè loquendo, perfecta eſt commemoratio mortis Chriſti, etiam in oblatione vnius tantùm ſpeciei panis; perfectam enim commemorationem & inſtituit,& præcepit Chriſtus ante calicis conſecrationem,cũ dixit: *hoc facite in meam commemorationem:* perfectam ſine dubio, non imperfectam exigebat *Luc.22.v.* Chriſtus ſui commemorationem. *19.*

Secundum,quod ex inſtitutione Euchariſtiæ XX. colligimus,eſt, quòd confectio atque conſecratio huius ſacramenti ſub ſpecie panis fuerit abſolutè à Chriſto præcepta illis prioribus verbis, quæ ante inſtitutionem calicis protulit Chriſtus,cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Conſecratio autem ſub ſpe- *Luc.22.v.* cie vini non fuerit abſolutè præcepta, ſed *19.* tantùm conditionaliter, ſi bibendum eſſet; vt ſuprà de communione ſub ſpecie vini oſtendimus.Eadem enim eſt ratio communicandi ſub vtraque ſpecie,& conſecrandi ſub vtraque ſpecie, quantum attinet ad primam inſtitutionem huius ſacramenti; nam vtrumque ijſdem omninò verbis & præcepit, & inſtituit Chriſtus, cùm *c.3.præcedēti §.23.* dixit, *Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in* *1.Cor.11.v.* *meam commemorationem*. Enimuerò quoti- *25.* eſcunque bibendum erit, neceſſe eſt, vt priùs fiat conſecratio etiam ſanguinis ſub ſpecie vini. Quòd ſi propter iuſtam & legitimam cauſam bibendum non erit, ſed tantùm comedendum; ex vi ſolius inſtitutionis Chriſti non videtur neceſſariò colligi, quòd obligatur Sacerdos conſecrare vinum: quanquã de pręcepto Eccleſiaſtico

 alia

alia ſit ratio, vt paulò pòſt dicemus.

XXI. Ad difficultatem ergo propoſitam reſpondemus Chriſtum de ſua inſtitutione in cœnâ nouiſſimâ factâ nihil derogaſſe, cùm conſecrauit ſub vna tantùm ſpecie in Emaus; quandoquidem in cœna nouiſſima non præcepit abſolutè conſecrationem vini, ſed tantùm ſub conditione, ſi bibēdum eſſet: Panis autem conſecrationem abſolutè præcepit, quam in Emaus nequaquā omiſit. Fecit igitur Chriſtus in Emaus totum illud, quod in priori parte cœnæ fecerat, & abſolutè præceperat; omiſit autem conſecrationem tantùm calicis, quam abſolutè non præceperat.

XXII. Idem fecerunt & Apoſtoli, ſi (quod probabilius nobis videtur) non tantùm dederunt ſacramentum ſub vna ſpecie, ſed etiam conſecrarunt ſub vna ſola panis ſpecie; idque vt ritus legis Moſaicæ plenè obſeruarent. Certè de S. Iacobo, qui Hieroſolymorum fuit Epiſcopus, narrat Sanctus Hieronymus ex Egeſippo Apoſtolorum temporum vicino, illum toto vitæ ſuæ tempore fuiſſe Nazaræum. Et quamuis ille in cœna nouiſſima parum biberit cum cæteris Apoſtolis, Chriſto ita præcipiente, cùm dixit, *bibite ex hoc omnes*: (id quod fortaſſe propter illum maximè dixerat Chriſtus) quòd tunc pauci adeſſent, nec timendum eſſet ſcandalum Iudæorum: tamē non eſt veriſimile, quòd Sanctus Iacobus coram multitudine Iudæorum quotidie conſecrauerit vinum, & vini ſpecies biberit. Nam Iudæi, qui tam ſuperſtitioſè obſeruabant legem, valdè offenſi fuiſſent, ſi vidiſſent S. Iacobum, qui Nazaræus erat, quotidie bibentem id, quod ex vite erat, & inebriare poterat, contra ex-

Hieronym. de Scriptorib. Eccleſ. in Iacobo.

Mat. 26. v. 27.

expreſſum legis præceptum. Quare veriſimilius eſt S. Iacobum, cùm ſciret nihil de hac re eſſe à Chriſto præceptum, ne Iudæos ſcandalizaret, à conſecratione etiam vini abſtinuiſſe, quamuis ipſe, vt Epiſcopus loci, quotidie celebraret. Atque hinc eſt, quòd celebratio illa & conſecratio myſteriorum, quam Hieroſolymis peragebat S. Iacobus, rectè & ſine vlla Synecdoche appellata ſit fractio panis à S. Luca, hoc eſt, incruenta oblatio panis: & communicatio, qua populus ex tali fractione communicabat, rectè vocatur à S. Luca *communicatio fractionis panis*, hoc eſt, communicatio incruenti Sacrificij panis.

Num. 6. v. 3. & 4.

Act. 2. v. 42.

Act. 2. v. 42.

XXIII.

Eodem planè modo loquitur S. Lucas, cùm ita ſcribit: *Vna autem Subbathi cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* Vbi Syrus habet, *ad frangendam Euchariſtiam*. De Euchariſtia etiam hic agi obſeruauit olim S. Auguſtinus & poſt illum Beda & alij recentiores. Id quod Caluinus quoque ipſe negare non poteſt. Porrò Apoſtolum Paulum in vna tantùm ſpecie panis tunc etiam conſecraſſe probabilius eſt. Conſtat enim S Paulum & tunc temporis, & diu antea ſuſcepiſſe votum Nazaræorum; quo iuxtà legem aſtringebatur abſtinere ab omni, quod ex vite naſcebatur aut inebriare poterat: Obligauerat enim ſe hoc voto Apoſtolus, dũ adhuc eſſet Cenchris duobus tribuſue annis antea: ita enim de eo ſcribit Sanctus Lucas: *Qui ſibi totonderat in Cenchris caput, habebat enim votum.* Hoc autem votum non reddidit, niſi diu pòſt, cùm venit Hieroſolymã, vt narrat idem Lucas cap. ſequenti, hoc eſt, c. 21. Act. v. 24.

Act. 20. v. 7.

S August. to. 2. epiſt. 86. ad Caſul. ſub fine. Beda in c. 20. Act. ad v. 7. Caluin. ad eundem v. 7.

Num. 6. v. 3. & 4.

Act. 18. v. 18.

XXIV.

Quod vt meliùs intelligatur, obſeruandum

 eſt,

eſt, quòd quamuis capite ſexto Numerorum non fiat mentio certi temporis, quo debebat hoc votum Nazaræorum durare: tamen poſtea ſtatutum fuit & conſuetudine receptum, vt triginta diebus minimũ duraret hoc votũ; ita videlicet, vt triginta ſaltem diebus, antequam Nazaræi votum ſoluerent, voto illo ſeſe aſtringerent. Poterant quidem diutius; poterant & toto vitæ tempore ſe hoc voto obligare; vt fecerunt Samſon & S. Iacobus: ſed neceſſe erat, vt ſaltem triginta diebus ſuſciperent votum, antequam illo liberarentur. Præterea etſi Numerorum ſexto fiat tantùm expreſſa mentio raſuræ capitis, quando votum ſoluebatur, aut quando aliquis caſu mortuus fuiſſet coram Nazaræo; tamen ex ſtatuto & conſuetudine antiquæ Eccleſiæ & hoc additum fuit, vt cùm quis primò ſuſciperet hoc votum & genus abſtinentiæ, tunc etiam raderet caput ſuum: tum vt iſtud eſſet ſignum ſuſcepti voti; tum vt Nazaræus inpoſterum faciliùs ferret comam, quæ poſtea radi non poterat, donec votum ſoluiſſet, Numerorum ſexto, verſu decimooctauo: tum denique vt cæſaries iſta Nazaræi, quæ poſtea offerebatur Domino, non eſſet ex veteri illa coma, quæ creuerat, antequam homo Deo conſecraretur; ſed eſſet tota noua, & orta ex homine Nazaræo iam Deo conſecrato.

Iudicũ 13. & 5. S. Hier. de ſcrip. Eccleſ. in Iac.

XXV. Duos hos ritus apud Iudæos receptos fuiſſe teſtatur Ioſephus, cùm ita ſcribit: *His enim, qui morbo vel alijs neceſſitatibus implicantur, mos eſt orare per triginta dies, antequam immolent beſtias: abſtinere quoque vino, & capillos radere.* Hæc Ioſephus. Atque hoc

Ioſephus de bello Iud. li. 2. c. 15.

eſt,

eſt, quod ſcribit Sanctus Lucas de Sancto Paulo, illum *caput Cenchris raſiſſe, propterea quòd haberet votum:* nam cùm primò Nazaræus ſuſcipiebat votum, radebat ſibi caput. Porrò Sanctus Paulus diu hoc votum ſeruauit, nimirum donec illud perſoluiſſet Hieroſolymis, Actorum 21. verſu 24. Non enim poterat Nazaræus hoc voto liberari niſi Hieroſolymis, nec ſine oblatione victimarum & aliarum etiam rerum, vt videre eſt Numerorum ſexto, verſu decimotertio & ſequentibus. Id quod etiam præſtitit S. Paulus Actorum vigeſimo primo, verſu vigeſimo ſexto. Denique cùm S. Paulus non niſi biduò aut triduò fuiſſet Hieroſolymis, nõ potuiſſet ſacrificia illa & vota ſoluere, niſi triginta ſaltem diebus antea, & raſiſſet ſibi caput, & abſtinuiſſet à vino. ſed cùm vtrumque iamdiu antea perfeciſſet, cùm adhuc eſſet Cenchris, facilè poterant Chriſtiani, qui Hieroſolymis erant, ei perſuadere, vt ſtatim (poſterâ nimirum die) intraret templum cum alijs quatuor Nazaræis, & votũ ſolueret: vt expreſſè refert S. Lucas.

Act.18.v. 18.

Act.18.v. 18.

XXVI.

Ex quibus omnibus & illud conſtat Sanctum Paulum Act. 20. v. 7. cùm nondum veniſſet Hieroſolymam, voto Nazaræorum obſtrictum fuiſſe, ac proinde probabilius eſſe, quòd tunc conſecrauerit ſub vna tantùm ſpecie panis. Neq; enim veriſimile eſt, quòd Iudæi (qui omnes S. Pauli actiones diligenter obſeruabant) non aliquando indignati fuiſſent, aut ſaltem ſemel illi obieciſſent, quòd legem Moſaicam profanaſſet; qui dum Nazaræus exiſteret, biberet ferè quotidie per quatuor aut quinque annos id, quod lege prohibitum fuerat. Quare probabilius eſt Sanctũ Paulum, qui ſciebat nihil de conſecranda ſemper

Act.21.v. 26.

vtraque ſpecie à Chriſto præceptum fuiſſe, ſub vna ſola panis ſpecie conſecraſſe, ne Iudæos
Rom.14. v. 21. ſcandalizaret; qui & alibi ſcribit: *bonum eſſe non bibere vinum, aut quicquam aliud, in quo frater offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.*

Ex his ſequitur non improbabile eſſe & illud, quod referunt Raphael Volaterranus &
XXVII. *Volater. lib. 7. Geogr. in c. de Saxonia. Onuphrius in chrō. an. 1490.* Onuphrius: *Noruegiæ Innocentij Octaui Pontificis conceſſione permiſſum, ſine vino in calice ſacrificare: quòd ob immenſa frigora vinum in ea regione importatum aceſcat. Eiuſque rei gratia legationem miſſam, dum Chriſtiernus Daciæ, Sueciæ & Noruegiæ regnis imperaret.* Hunc Chriſtiernum paulò antea Sixti Quarti tempore (qui Innocentium præceſſit) ſe vidiſſe teſtatur idem Volaterranus, *Voti reum Romam venientem ibidemque honorificè exceptum.* *Volater. loc. cit.*

XXVIII. Ex his etiam ſequitur rectè & prudenter conſtitutum eſſe in Regulis Romani Miſſalis reformati, vt poſſet aliquando ſacrificium in vna ſola ſpecie panis perfici propter alterius ſpeciei defectum. *Ita c. 4. de defect. vini in fine.*

XXIX. Poſtremò ex his ſequitur Catholicos ſcriptores à veritate non aberraſſe, qui exiſtimarunt conſecrationem vini neceſſariam eſſe præcepto Eccleſiaſtico, non diuino; & conſequenter ſummum Pontificem diſpenſare poſſe, vt in vna tantùm ſpecie panis fiat conſecratio, vbi vinum haberi non poteſt, aut quando adeſſet alia legitima cauſa. Cuius ſententiæ fuerunt Albertus Magnus, Alexander Halenſis, Adrianus Papa Sextus, Ioannes Maior, Ioannes de Turrecremata, Gabriel, Angelus, Ioannes Heſſelius, Claudius de Sainctes, Guil-

Albertus tract. de officio Miſſæ Alex. & qui illū citat Adrianus in 4. Sentent. in tract. de Sacrā. Euch. q. An cibus aut potus impediat

Guillelmus Alanus Cardinalis, Henriquez, S. Antoninus, vt alios omittamus.

Saltem hoc ex prædictis conſtare euidens eſt, aduerſarios neutiquam probare poſſe ex ſolis ſacris literis communionem aut conſecrationem ſub vna ſola ſpecie à Christo interdictam eſſe. Quare de ſacris ſcripturis hactenus.

communionem. Maior 4. Sent. diſt. 9. q. 1. Turre crem. in can. comperimus de conſecratione diſt 2. Gab in can. Miſſæ lect. 53. dub. 3. in fine. Angel verbo Eucharist. 1. §. 20. Heſſelius in lib. de communione ſub vna ſpecie Sainctes repet. 10 de Euch. c. 3. Alanus lib. 2. de Euch. cap. 20. Henriq. lib. 8. c. 13. S. Anto. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 1.

CAPVT V.

Totam antiquitatem agnoſcere communionem ſub vna ſpecie eſſe licitam.

ADVERSARII plerumque ſolent multa loca Patrum congerere ſine vllo delectu, quę nihil aliud probant, quàm communionem ſub vtraque ſpecie vſitatam fuiſſe in antiqua Eccleſia: quod nemo negat. Sed nullum locum authenticum adducere poſſunt, in quo Patres dicant communionem ſub vna ſpecie eſſe contra Chriſti inſtitutionem, aut communionem ſub vtraque ſpecie diuino præcepto omnibus eſſe mandatam. 1.

11. Caluinus quidem principio iactitat totam antiquitatem pro ſe ſtare, & interea paucos citat, & nihil planè ad propoſitum. Primus quē citat, eſt Tertullianus; ſed verba Tertulliani faciunt potius pro nobis. Non enim dicit Tertullianus, quòd caro noſtra bibit ſanguinem Chriſti, ſed ita ſcribit: *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur.* Hoc

Calu. li 4. Inſtit. c. 17. ſect. 48. in fine & 49. Tertull. de reſurrectione carnis c. 8.

Digitized by Google

autem fit, quando ſumitur vna ſpecies panis: in vna enim ſpecie panis caro noſtra tam corpore quàm ſanguine Chriſti veſcitur, cùm totus Chriſtus ſit in ſola panis ſpecie. Hoc etiam Tertulliani teſtimonium planè aduerſatur Caluinianis, qui contendunt ſolam animam noſtram veſci carne & ſanguine Chriſti per fidem, non autem carnem noſtram. Sed neque fideliter citat hunc locum Caluinus; nã cùm Tertullianus dicat carnem noſtram veſci corpore & ſanguine Chriſti, ille tranſmutat *veſci* in *paſci*: hoc modo, *Caro corpore & ſanguine Chriſti paſcitur:* nempe vt omnia à carne ad animam trahat; paſcitur enim & anima, ſed veſcitur ſola caro.

111. Citat deinde Caluinus S. Ambroſium, ſanctum Hieronymum, ſanctum Chryſoſtomum, S. Cyprianum & S. Gregorium; quæ teſtimonia nihil aliud probant, niſi quòd olim in antiqua Eccleſia fuerit conſuetudo communicandi ſub vtraque ſpecie; quod extra controuerſiam eſt. Verùm nullus illorum, quos adducit Caluinus, dicit Communionem ſub vtraque ſpecie eſſe neceſſariam ad ſalutem, aut præceptam à Chriſto. Et ſanè veriſimile eſt Caluinum nunquam legiſſe loca Patrum, quæ citat, nam omnia ferè malè citat. Enimuero ſanctum Cyprianum citat in ſermone 5. de lapſis, cùm ea verba non habeantur in ſermone de lapſis; ſed libro primo Epiſtolarum, Epiſtola 2. S. Ambroſium citat ex tertio lib. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theodoreti, cùm illa verba habeantur lib. quinto, non tertio. Denique S. Hieronymum citat in caput 2. Malachiæ, cùm illa verba extent apud S. Hieronymum in caput 3. Sophoniæ ad v. 4.

Por-

Porrò cùm ſatis animaduerterit Caluinus, hæc quæ adducit, nullius eſſe roboris, confugit tandem ad Decretum Gratiani, ex quo affert verba quædam cuiuſdam Gelaſij Papæ (nam quiſnam fuerit iſte Gelaſius, non certò ſcitur) quæ extant apud Gratianum, in quibus vnicè exultant omnes aduerſarij noſtri. Scribit enim Gelaſius *integra Sacramenta ſumenda eſſe* : (hoc eſt, tam corpus quàm ſanguinem Chriſti) *quia diuiſio vnius eiuſdemqúe myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire*. Verùm hac in re non ſatis ſyncerè nobiſcum agit Caluinus; nam verba dumtaxat canonis ex Gratiano affert, ſed titulum, quem canoni præfixit Gratianus, & ex quo facilè intelligi poteſt verus illius canonis ſenſus, aſtutè ſuppreſſit. Titulus enim canonis à Caluino prætermiſſus huiuſmodi eſt: *Corpus Chriſti ſine eius ſanguine ſacerdos non debet accipere*. Loquitur igitur Gelaſius de ſacerdotibus, qui conſecrãt Chriſti ſanguinem, nam hi ſine grandi ſacrilegio non poſſunt abſtinere à potu calicis quem iam conſecrarunt. Enimuerò etſi conſecrare etiam calicem non exiſtimemus eſſe de iure diuino (vt præcedenti capite probauimus;) tamen Sacerdotem ſumere calicem quem iam conſecrauit, diuino iure aſtringi non dubitamus. De ſacerdote igitur ſolo, qui calicem conſecrauit, loquitur Gelaſius: vt rectè interpretatur Gratianus in titulo canonis. IV. *Caluin. ſect. 49. cit.* *Gratian de conſecratione diſt. 2. can. 12. comperimus.*

Hoc cùm non ignoraret Caluinus, poſt interiecta S. Cypriani verba tandem rediens ad verba Gelaſij ita ſectionem illam concludit: *Quòd ad ſacerdotes* (inquit) *reſtringunt Canoniſtæ illud Gelaſij decretum, magis puerile eſt* V. *Caluin. ſect. 49. cit. in fine.*

 cauil-

Digitized by Google

cauillum, quàm vt refutari debeat. Ita enim ſolet Caluinus eludere noſtra reſponſa, cùm aliter illa refutare non poteſt. Verùm puerile potius eſt illud, quod ait Caluinus: nam non ſoli Canoniſtæ, ſed & omnes etiam antiqui Scholaſtici Doctores (& nominatim S. Thomas) hunc canonem interpretantur de ſolis Sacerdotibus ſacrificantibus.

S. Thom. 3. p. q. 80. art. 12. ad 1.

VI. Adhæc cùm Caluinus non alium teſtem huius Canonis adducat quàm Gratianum; ſi credit Gratiano citanti hunc canonem, debet & eidem credere aſſerenti Gelaſium de ſolis Sacerdotibus loqui.

VII. Præterea cùm non extet iam iſta Gelaſij epiſtola, nec certò ſcitur quiſnam fuerit iſte Gelaſius, nullo firmo argumento conuincere poſſunt aduerſarij, Gelaſium de laicis loqui.

VIII. Sed neque deſunt alia argumenta, quibus confirmatur hæc Gratiani interpretatio de ſolis Sacerdotibus. Nam & Iuo Carnotenſis, qui præceſſit Gratianum, dum canonem hunc citat, eum collocat inter illos, qui ad ſolos Sacerdotes pertinent: tam præcedentes enim canones, quàm ſubſequentes ſpectant ad ſolos Sacerdotes.

Vide Iuonẽ 2. parte decreti c. 89.

IX. Idem etiam Iuo alibi affert canonem quemdam Concilij Rothomagenſis, in quo apertè reprehenditur abuſus quorundam Sacerdotum, qui poſtquam conſecraſſent calicem, illum non ſumebant. Quæ eſt etiam alia velut explicatio huius canonis Gelaſij, atque etiam confirmatio interpretationis Gratiani; nam tam Iuonem quàm Gratianum vidiſſe epiſtolam illam Gelaſij probabile eſt, ex qua facile erat

Iuo eadem parte 2. c. 129.

erat colligere, num de ſolis Sacerdotibus illud dictum fuiſſet, an non.

Denique etiamſi verum eſſet, quod Caluinus contendit, nempe verba hæc Gelaſij ad omnes pertinere, nihilominus ex his contra noſtram ſententiam nihil euincent aduerſarij. Non deſunt enim Catholici Scriptores, qui exiſtimant iſta verba eſſe S. Gelaſij Primi Pontificis, eaque de Chriſtianis omnibus intelligi, qui nolebant in publica Eccleſia tempore ſancti Gelaſij communicare ſub vtraque ſpecie. Nam ſanctus Gelaſius paucis annis poſt ſanctum Leonem Primum Papam accepit ſedem Apoſtolicam. Porrò ſanctus Leo ad detegendos Manichæos (quemadmodum mox dicturi ſumus) præceperat, vt omnes Chriſtiani communicarent ſub vtraque ſpecie in publicis Eccleſijs, ſaltem ſemel in anno, nempe ad feſtum Paſchatis: quo præcepto iam ab omnibus recepto, non poterat ſine grandi ſacrilegio calix ab vllo recuſari; nam qui illum recuſabat contra Eccleſiæ ſtatutum, indignè accedebat ad hoc ſacramentum; & iudicium ſibi manducabat: quod eſt valdè graue ſacrilegium. Hanc ſecundam interpretationem latè proſequitur & confirmat Baronius. Neque tamen improbanda eſt prior ſolutio, vt benè obſeruarunt Bellarminus, Suarez & Vaſquez.

X. *§. 14. ſeq. Baron. tom. 6. Annal. an. 496. n. 21. & 22. Bellarm. l. 4. de Euch. c 26 Suarez to. 3. in 3. p. S. Thomæ diſp. 71. ſect. 1 ad 1. arg. Vaſquez tom. 3. in 3. p. S. Tho. diſp. 216. cap. 6.*

Hæc ſunt omnia argumenta, quæ Caluinus affert ex Patribus antiquis. Lutherani quidem plurima alia coaceruant ſine vllo delectu aut iudicio: quæ prolixè refutant Ioannes Heſſelius, Bellarminus & Gregorius de Valentia: quos qui voluerit conſulere, poterit; Nam in his refutandis nulla eſt diffi-

XI. *Heſſel. l. de communione ſub vna ſpecie. Bell loco cit. Valent. tom. 4. in S Thom. diſp. 8. q. 8. punct. 5. §. 8 & 9.*

difficultas, ſi modò benè perpendantur ea quæ præcedunt & ſequuntur ijſdem in locis.

XII. Sed longè plura, clariora & efficaciora ſunt teſtimonia Patrum antiquorum, quæ planè conuincunt communionem ſub vna ſpecie vſitatam valdè fuiſſe in antiqua Eccleſia, idque à tempore Apoſtolorum vſque ad noſtram ætatem: quæ diligenter collegerunt Heſſelius, Bellarminus & Coccius.

Heſſ. l loc. cit. Bellar. lib 4. cit c. 24 Coccius tõ. 2. theſauri l. 6 art. 3.

XIII. Idem confirmant & ritus varij antiquæ Eccleſiæ; cuiuſmodi ſunt domeſtica communio, aſſeruatio diuturna Sacramenti, communio ægrotorum, deportatio Sacramenti in itineribus, de quibus ſuprà controuerſia 4. capite 3. §. 4. 5. & 6. Item communicatio infantium, de qua in primo capite huius ſextæ controuerſiæ §. 2. Præterea communio laica, cuius ſæpe fit mentio in antiquis Canonibus; & communio ex præſanctificatis; de quibus accuratè & copioſè Bellarminus.

Bellarm. c. 24. cit.

XIV. Illud porrò, quod nobis obijcere ſolent aduerſarij de edicto S. Leonis Papæ, qui ſtatuit, vt omnes in publica communione Paſchatis tempore communicarent ſub vtraque ſpecie, non ſolùm non aduerſatur nobis, ſed etiam maximè confirmat vſum antiquiſſimum communicandi ſub vna panis ſpecie; idque duplici de cauſa. Prima eſt, quòd Manichæi (propter quos editum fuit illud edictum Sancti Leonis) nunquam ſolebant communicare ſub vtraque ſpecie, ſed tantùm ſub vna panis ſpecie, vt eodem loco teſtatur ſanctus Leo: tum quòd negarent Chriſtum habere verum ſanguinem, tum quòd non auderent guſtare vinum, aut ſpecies vini, vt teſtis eſt ſanctus Auguſtinus: & ta-

S. Leo Ser. 4 de quadrageſima.

S. Leo Ser. 4. cit. c. 5.

S. Aug. to. 6. lib. de hæreſ. hæreſi 46.

& tamen nemo eſt antiquorum Patrum, qui inter illorum hæreſes recenſeat, quòd communicarent ſub vna tantùm ſpecie, cùm tamen Patres illi omnes Manichæorum hæreſes diligenter enumerent. Neque enim S. Auguſtinus, qui eorũ hæreſes accuratè recenſet, neque ſanctus Epiphanius, neque Theodoretus, neque vllus alius antiquus Scriptor hoc in illis notauit, vt hæreſim aut errorem, quòd communicarent ſub vna ſpecie. Conſtat igitur antiquos Patres non exiſtimaſſe communionem ſub vna ſpecie eſſe contra Chriſti præceptum, aut vllo modo illicitum. *S. Aug. loc. cit.* *S. Epiph. hæreſ. 66.* *Theod. to. 2. lib. 1. hæret. fabul. c. vl.*

XV. Deinde ſanctus Leo eodem loco dicit Manicheos, vt faciliùs ſe occultarent, acceſſiſſe ad communionem cum Catholicis, *ſed quòd ita in Sacramentorum communione ſe temperarent, vt interdum tutiùs laterent. Ore* (inquit) *indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omninò declinant.* Ita S. Leo. Porrò niſi conſuetudo multorum Chriſtianorum tunc fuiſſet communicare ſub vna tantùm ſpecie, non potuiſſent ſe occultare Manichæi, nec tutiùs latere communicando ſub vna tantùm ſpecie, ſed potiùs ſeſe palàm prodidiſſent, abſtinendo à calice, quem omnes accipiebant. Sed quia non pauci erant inter Catholicos, qui calicem non bibebant, coactus fuit S. Leo omnibus Catholicis iniungere, ne abſtinerent à calice, *vt hac ratione deprehenderetur ſacrilega ſimulatio Manichæorum, & vt illi notati & proditi à Sanctorum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellerentur:* quemadmodum eodem loco loquitur S. Leo. Ex eo igitur, quòd ante hoc edictum ſancti Leonis laterent Manichæi, etiamſi communicarent ſub vna tantùm ſpecie, perſpicuum eſt non omnes Catholicos ſub vtraque ſpecie communicare *S. Leo loco cit. c. 5.* *S. Leo loco cit c. 5.*

mu-

municaſſe, ſed pleroſque ſub vna tantùm panis ſpecie. Et meritò hanc legem edidit ſanctus Leo contra Manichæos, nam inde magnum conſecutum eſſe fructum declarat idem ſanctus Leo epiſtola ſua 2. decretali: quæ eſt ad omnes Epiſcopos per Italiam conſtitutos.

XVI. Poſtremò mouere poteſt aliquem Canon ille Concilij Claromontani, quod Anno Domini 1095. præſente Vrbano Papa II. celebratum eſt. Nam canone vigeſimo octauo illius Concilij ita ſtatutum fuit, teſte Baronio, *Ne quis communicet de altari, niſi corpus ſeparatim, & ſanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſsitatem, & per cautelam.* Verùm ſi canon iſte benè intelligatur, confirmat magis ea, quæ ſuprà diximus de communione ſub altera ſpecie: non enim agitur in eo canone de abroganda communione ſub vna ſpecie, ſed de tollendo abuſu quodam, qui in quibuſdam locis irrepſerat circa modum communicandi ſub vtraq; ſpecie. Nam olim cùm ritus communicandi ſub vtraque ſpecie adhuc in vſu eſſet, vt magna hominum multitudo communicaret ſine periculo effuſionis ſanguinis Chriſti, Sacerdotes quidam excogitarunt alium modum communicandi ſub vtraque ſpecie: Corpus enim Domini tinctum ſanguine porrigebant, vt hac ratione & corpus, & ſanguinem Domini ſimul acciperet populus, abſque periculo effuſionis ſanguinis. Qui error olim damnatus fuerat à S. Iulio Papa I. & pòſt à tertio Bracarenſi Concilio: omnibuſque Sacerdotibus ſeriò interdictum fuit, ne corpus Domini ſanguine tinctum populo porrigerent, ſed his, qui communicabant ſub vtraque ſpecie, *ſeparatim darent corpus, & ſeparatim ſanguinem Chriſti.*

Baron. to. 11. Annal. an. 1095. nu. 27. in fin.

Vide can. 7. cùm omne crimen *de conſecratione, diſt. 2. & Concil. 3. Bracar. can. 1.*

Poſt

Digitized by Google

Poſt multos autem annos, non diu ante Concilium Claromontanum, reuixit idem error: Cuius rei teſtis eſt Micrologus, qui ſub Gregorio Septimo ſcripſit, paucis annis ante Concilium Claromontanum: *Non eſt authenticum* (inquit Micrologus) *quòd quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt: nam ordo Romanus contradicit.* Ita Micrologus, qui deinceps hoc idem probat Decreto ſancti Iulij Papæ. Concilium itaque Claromontanum, vt hunc errorem recèns ortum aboleret, conſtituit, *vt ſeparatim daretur corpus Domini, & ſeparatim ſanguis* (quibus verbis vtuntur etiam ſanctus Iulius ſuprà, & Doctores Concilij Bracarenſis;) non autem corpus ſanguine intinctum. XVII. *Micrologus de Eccleſiaſticis obſeruationibus c.19.*

Quod autem addit Concilium Claromontanum, *niſi per neceßitatem, & per cautelam*: iſtud clariùs explicatur in epiſtola quadam Paſchalis Papæ Secundi. Nam cùm adhuc poſt obitum Vrbani Secundi, ſub quo celebratum eſt Concilium Claromontanum, duraret in quibuſdam locis mos iſte tingendi, Paſchalis Secundus, qui Vrbano Secundo proximè ſucceſſit, coactus eſt epiſtolam etiam ſcribere contra hunc errorem ad Pontium Cluniacenſem Abbatem (qui ſucceſſit ſancto Hugoni Cluniacenſi Abbati) in qua cùm dixiſſet non intinctum corpus, ſed corpus per ſe, & ſanguinem per ſe dandũ eſſe, vt Chriſtus ipſe facit, ſubiungit ſtatim hæc verba; *Quem morem ſic ſemper in ſancta Eccle-* XVIII. *Extat hæc epiſtola apud Baron. to.12.an. 1118.nu.3.*

cleſia conſeruandum docemus, atque præcipimus, præterquam in paruulis, ac omninò infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt, quibus ſatis eſt communicare in ſanguine. Ita Paſchalis. Quod igitur dicitur in Concilio Claromontano; *niſi per neceſſitatem*, intelligendum eſt de infantibus & infirmis, qui nō poſſunt ſumere ſpeciem panis. Illud verò, *per cautelam*, additur; quia huiuſmodi hominibus dabatur Euchariſtia ſub ſola ſpecie vini, in qua porrigenda opus erat cautela, ne ſanguis Chriſti indiligentia aliqua funderetur: Quæ confirmant ea, quæ ſuprà diximus de communione ſub vna duntaxat vini ſpecie in communione infantium olim vſitata.

Suprà hac contro. c. 1. §. 2.

XIX. Porrò, vt hic indecorus tingendi mos prorſus tolleretur, idque ſine vllo periculo effuſionis ſanguinis Chriſti, (ad quod periculum euitandum præcipuè introductus fuerat) ſalubriori conſilio reuocata eſt antiqua conſuetudo communicandi ſub vna panis ſpecie, quòd in hac nullum poſſit eſſe periculum effuſionis ſanguinis, & quòd illa non iure diuino, ſed Eccleſiaſtico duntaxat interdicta fuerat, propter Manichæorum hæreſim, quę iam ceſſauerat.

XX. Atque hinc factum videmus, quòd à tempore ſancti Leonis Papæ (qui primus præcepit, vt in publica & ſolemni illa Paſchali communione ad detegendos Manichæos, omnes ſub vtraque ſpecie communicarent) vſque ad tempora Berengarianæ hæreſis obſeruata fuerit diligenter conſuetudo communicandi ſub vtraque ſpecie in ſolemni Paſchatis communione: alijs tamen temporibus in priuata cōmunione licitus erat vterque cōmunicādi ritus, nempe ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie, vt ſuprà probauimus, præſertim verò cùm in-

Cap. 5 huius contro. §. 13.

Digitized by Google

infirmis, aut infantibus porrigebatur Euchariſtia, vt canon Concilij Claromontani allatus, & epiſtola citata Paſchalis II. apertè declarant.

XXI. Nam etſi non raro in publicis Communionibus contingeret effuſio ſanguinis Domini ex negligentia porrigentis, aut ſumentis, tamen quandiu fides realis præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti certa & indubitata apud omnes eſſet, non erat valdè timendum, ne populus Chriſtianus multum offenderetur hac ſanguinis Chriſti effuſione, quòd omnes ſcirent, eam non ex induſtria, aut contemptu, ſed ex mera negligentia euenire; ſatiſque ſcirent fideles omnes ſanguinem Chriſti non eſſe carnali modo in Euchariſtia, ſed ſupernaturali, inuiſibili & diuino, ita vt ab omni læſione in ſe immunis omninò eſſet.

XXII. At verò cùm poſtea exorti fuiſſent Berengariani, qui naturalibus præſertim rationibus, deſumptis ex abuſibus, qui ex indiligenti cuſtodia Euchariſtiæ contingebant, ſuos errores conabantur ſtabilire, vel certè infirmos in fide nō parum concutere (vt proinde coacti fuerint Guitmundus & Algerus, qui contra Berengarianos erudìtè ſcripſerunt, eorum rationes naturales ſigillatim refutare) animaduerterūt Catholici Paſtores, indecoram effuſionem ſanguinis Domini, quæ in porrigendo calice contingebat, & Berengarianos in ſuo errore confirmare, & ſimpliciores Catholicos multùm offendere. Quare, vt huic incommodo remedium adhiberetur, quidam nō adeò prudenter ritum illum intingendi olim damnatum renouarunt: Alij verò prudentiùs communionē ſub vna ſpecie in publicis etiam communionibus Paſchalibus introduxerunt; ita tamen, vt liberum relinquerent ſingulis priuatim, vel ſub vna, vel

Guitmūdus l. 2. in principio
Algerus lib. 2. cap. 1.

Digitized by Google

ſub vtraque communicare. Nam periculum illud effuſionis vix euenire ſolebat, niſi in publicis cō-munionibus, vbi magna aderat ſimplicium & rudium turba. Atque hac ratione adeò inualuit breui iſta conſuetudo communicandi ſub vna ſpecie, vt paucis poſt annis, hoc eſt, ætate S. Thomæ ea multarum Eccleſiarum vſu confirmata fuerit, quemadmodum teſtatur ipſe S. Thomas.

S. Thom. 3. par. quæſt. 80. ar. 12.

XXIII. Porrò libertas iſta communicandi ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie manſit vſque ad tempora Cō-cilij Conſtantienſis: Sed cùm paulò ante Concilium Conſtantienſe orta eſſet in Bohemia hæreſis Huſſitarum, qui docebant illicitam omninò eſſe communionem ſub vna ſpecie, & communionē ſub vtraque omnibus Chriſtianis neceſſariam eſſe ad ſalutem: Concilium vt huic tam pernicioſo errori obuiam iret, nouum edidit præceptum, quo omnes Laicos aſtrinxit ad vnam ſpeciem ſumendam, & miniſtris Eccleſiæ prohibuit, ne darent populo vtramque ſpeciem, vt hac ratione omnes intelligerent falſam eſſe Huſſitarum doctrinam. Quod decretum nouiſſimè confirmatū eſt per Tridētinum Concilium, propterea quòd Lutherani & Caluiniani hæreſim hanc Huſſitarum amplecterentur.

Conc. Conſtan. ſeſſ. 13.

Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2.

XXIV. Ex his omnibus ſatis conſtat, Eccleſiam Catholicam non interdixiſſe Laicis communionem ſub vtraque ſpecie, niſi poſtquam ad id iam coacta fuiſſet hæreſi, & falſa doctrina Huſſitarum, Lutheranorum & Caluinianorum, quam videbat nulla alia efficaciori ratione extirpari poſſe, quàm ſi aſtringerentur omnes non ſacrificantes ad accipiendam communionem ſub vna ſola ſpecie: hoc enim facto apertiſſimè declaratur, & quòd communio ſub vna ſpecie licita ſit, & quòd com-

Digitized by Google

communio ſub vtraque nequaquam ſit ſingulis neceſſaria ad ſalutem æternam conſequendam.

NONA

CONTROVERSIA

DE SACRIFICIO MISSAE.

CAPVT I.

Quid ſacrificium, quot ſacrificiorum genera, & quis verus ſtatus huius controuerſiæ.

SACRIFICIVM externum eſt 1.
cultus ſolius Dei proprius: nam ei ſoli debetur, & præterea nulli creaturæ. *Maximè* (inquit S. Auguſtinus) *ſacrificium eſt, quod præcipuè debetur Deo, nam obſequia cætera, quæ diuinitati exhibentur, auſi ſunt ſibi etiam ſuperbiæ faſtu homines arrogare. Rariſſimi autem commemorantur, qui ſibi vt ſacrificaretur, cùm regia poteſtate poſſent, auſi fuerint imperare. Quicunque tamen auſi ſunt, per hoc ſe Deos haberi voluerunt.* Ita S. Auguſtinus. Cùm igitur non ignorarent dæmones ſacrificium vni ſoli veroque Deo deberi, ante aduentum Chriſti perſuaſerunt hominibus, vt hunc diuinum cultum illis exhiberent, eoſque tanquam veros Deos ſacrificijs colerent, quemadmodum ſæpiùs monet S. Auguſtinus.

S. Aug. to. 6. lib. 1. contra aduerſarium legis & Prophet. cap. 18.

S. Aug. loco cit. & to. 2. epiſt. 49. ad Deogratias q. 3.

Digitized by Google

Verùm poſt aduentum Chriſti, cùm iam
II. per promulgationem Euangelij detectæ fuiſſent fraudes Dæmonum, nec poſſent illi vlteriùs hominibus perſuadere ipſis ſacrificandũ eſſe: conati ſunt ſaltem perſuadere hominibus hunc præſtantiſſimum & ſupremum Dei cultum vero Deo denegare. Id quidem primò multis perſuaſit Diabolus per Pſeudoprophetam Mahometem, cæteroſque Mahometanos, qui omnia Chriſtianorum ſacrificia abolere conantur. Poſtea noſtra ætate idem conatus eſt efficere Sathan per Lutheranos & Caluinianos. Tandem per Antichriſtum illud ipſum perficere tentabit; nam Antichriſtum ablaturum iuge Chriſtianorum ſacrificium (quanquam ad breue dumtaxat tempus) prædixit olim Propheta Daniel.

Daniel. c. 11. v. 31. & c. 12. v. 11.

III. Sed vt euidentiùs conſtet, qua in re præcipuè conſiſtat hic controuerſia, tum etiam vt varia aduerſariorum argumenta refutentur, multipliceſque illorum calumniæ cum inſcientia coniunctæ detegantur, antequã diſputationẽ ipsã aggrediamur, nõnulla præmittẽda erunt.

Primum eſt, quòd voces ſacrificij & ob-
IV. lationis duobus modis vſurpentur in ſcripturis ſacris: nam aliquando ſignificat rem oblatam ſeu ſacrificatam, aliquando ipſam actionem, qua res ſacrificatur ſeu offertur. Prior acceptio eſt magis vſitata in ſcripturis: nam ſiue conſideremus voces Hebræas זבח Zébach, מנחה Minchà, קרבן Corban; ſiue Græcas, *θυσία, δῶρον, προσφορά*, omnes hæ voces ſignificant potius rem oblatam, quàm actionem offerendi. Præſens autem controuerſia non eſt de ſacrificio, vt ſignificat rem obla-

oblatam, hoc eſt, hoſtiam ipſam, ſeu victimã. Nam cùm iam ſuprà probatum ſit corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, inde neceſſariò ſequitur in Miſſa eſſe rem ſacrificatam, ſeu victimam, & hoſtiam: ipſum nimirùm corpus & ſanguinem Chriſti. Id quod Lutherani etiam omnes nobiſcum agnoſcunt. Sed diſputatio præſens eſt de ſacrificio, vt ſignificat actionẽ, qua res Deo offertur; quærimus enim, an corpus Chriſti debeat Deo offerri; quod negant etiã Lutherani, quamuis agnoſcant realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Ex hac duplici acceptione Sacrificij facilè diluuntur varia aduerſariorum ſophiſmata, quæ alioqui videntur difficultatem parere. Obijciunt enim contra ſacrificium Miſſæ Apoſtolum aſſerere, quòd *Chriſtus vnam pro peccatis obtulit hoſtiam*, (Græcè θυσίαν). Item, *quòd vna oblatione* (Græcè προσφορᾷ) *conſummauit in æternum ſanctificatos*. Et rurſus, quòd *vbi eſt peccatorum remiſſio, iam non eſt oblatio* (προσφορὰ) *pro peccato*. Denique quòd *voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hoſtia* (θυσία.) In omnibus enim his locis hoſtia ſeu oblatio ſignificat rẽ oblatã ſeu victimam ipſam: Id quod olim benè obſeruauit S. Chryſ. in fin. hõ. 17. in ep. ad Hebr. porrò aliam victimã pro peccatis præter corpus Chriſti non eſſe & nos quoque fatemur, ac certiſſimè credimus. Fruſtra igitur cõtra nos afferuntur hæc Scripturæ loca. V.

ad Hebr. 10. v. 12.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 26.

Enimuerò verus ſenſus horum locorum eſt, quòd *illi, qui deſerunt noſtram collectionem*, (vt eodem loco loquitur Apoſtolus) hoc eſt, veram Chriſti Eccleſiam: & reijciunt VI.

Ibid. v. 25.

Digitized by Google

hoſtiam, quæ eſt Chriſtus, nunquam inuenient aliam victimam aut hoſtiam, cuius vi peccata deleri poſſunt. Sed illi, qui veniunt ad Chriſtum, Chriſtique Eccleſiam, abſque dubio ſemper inuenient hoſtiam, quæ copioſiſſimè ſufficiat pro peccatis non tantùm ipſorum, ſed etiam totius mundi. *Si quis* (inquit Sanctus Ioannes neminem excipiens) *peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem IESVM Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio (ſeu ſacrificium propitiatorium) pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Si pro totius mundi peccatis, certè nemo, dum in mundo viuit, ab hac Chriſti propitiatione excipiendus eſt.

1. Ioan. 2. v. 1. & 2. de hoc loco S. Ioan. vide infrà c. 4. huius Controu. §. 11.

VII. Quare quod Caluiniani quidam ex iſtis poſtremis Apoſtoli verbis, *voluntariè peccantibus nobis*, &c. perperam colligunt peccatum, neſcio quod planè inexpiabile, & quod remitti nunquam poteſt; perridiculum eſt, & à mente Apoſtoli alieniſſimum; quin potiùs ab antiqua illa Nouatianorum hæreſi depromptum. Nullum enim eſt peccatum, quod in Eccleſia expiari non poſſit & remitti, & nullum eſt extra Eccleſiam expiabile. Porrò Apoſtolus in his verbis de illis dumtaxat loquitur, qui Eccleſiam deſerunt, & hoſtiam veram, quæ Chriſtus eſt, reijciunt, vt aliam pro peccatis inueniant. Et hanc interpretationem veriſſimam eſſe, agnoſcit ipſe Caluinus. Iam verò quod ad nos attinet, in ſacrificio Miſſæ non aliam dicimus eſſe hoſtiam, quàm ipſum Chriſti corpus & ſanguinem, imò ipſum totum & integrum Chriſtum, verum Deum & verum hominem: quare loca illa adducta nihil contra nos continent.

ad Heb. 10. v. 26.

1 Ioan. 20. v. 23. Matt. 18. v. 18.

Calu in 10. c. ad Hebr. ad v. 26.

VIII. Secundum hic præmittendum eſt, ſacrificium, de

de quo hic diſputamus (illud nẽpe, quod denotat actionem) tribus diuerſis modis in ſacris literis vſurpari; nam primò ſignificat ſolam interiorem & inuiſibilem mentis actionem, qua noſipſos Deo offerimus & quaſi ſacrificamus, in qua ſignificatione *Spiritus contribulatus, ſeu contritus* vocatur *ſacrificium*, in Pſalmis. 2. Sacrificij vox ſignificat externam & viſibilem quamcumque actionem piam, qua interior illa actio repræſentatur; & hac ratione omne pium opus externum vocatur ſacrificium. 3. Sumitur vox ſacrificij propriè, & in ſpeciali ſignificatione pro externa oblatione rei ſenſibilis Deo facta, quæ non tam ex ſua propria natura, quàm ex Dei inſtitutione vim & valorem habet. Quo modo tempore legis Moſaicæ interſectio bouis aut agni vocabatur ſacrificium. Non eſt hic quæſtio de ſacrificio in prima ſignificatione, aut etiam in ſecunda; Nam aduerſarij negare non poſſunt, quin huiuſmodi ſacrificia, eaque non pauca, debeant adeſſe, dum Sacramentum Euchariſtiæ rectè adminiſtratur & ſumitur; cùm huiuſmodi ſacrificia conſiſtant in pijs cogitationibus, & alijs bonis operibus: Sed diſputatio eſt de ſacrificio in tertia ſignificatione, nempe vt diſtinguitur à pijs operibus, quare omnia illa ſacræ Scripturæ teſtimonia. quæ vel ex ſpiritualibus ſeu inuiſibilibus ſacrificijs, aut etiam ex viſibilibus generaliter acceptis deſumunt aduerſarij contra ſacrificium Miſſæ, nihil ad rem faciunt; de proprio enim & peculiari ſacrificio hic diſputamus, non de improprio aut generali; cuiuſmodi eſt omne opus pium.

Pſal. 50. v. 19.

Tertium hic præmittendum eſt, quod ad- IX.

uerſarij negare non poſſunt, quin fuerint huiuſmodi propria & peculiaria ſacrificia tam in lege naturæ, quàm in lege Moſaica; nam tempore legis naturæ Cain & Abel huiuſmodi ſacrificia obtulerunt. Sic & Noe, Abraham quoque, & Iacob & Iob, qui ante legem Moſaicam vixerunt in lege naturali. Tempore autem legis Moſaicæ multa & diuerſa ſacrificia à Deo inſtituta fuiſſe perſpicuum eſt ex Leuitico. Negare etiam non poſſunt aduerſarij, quin Chriſtus ſaluator noſter proprium & peculiare ſacrificium obtulerit Deo Patri, cùm ille pro nobis mortuus eſt in cruce. Sed quæſtio eſt, an præter generalia illa ſacrificia bonorum operum remaneat adhuc in noua lege aliquod quotidianum & iuge ſacrificium proprium & ſpeciale; hoc enim negant aduerſarij. Nos verò affirmamus ſpeciale hoc & proprium atque iuge ſacrificium Deo offerri, cùm Chriſtus in Miſſæ ſacrificio offertur.

Gen. 4. v. 3. & 4. Gen. 8. v. 28. Gen. 22. v. 13. Gen. 46. v. 1. Iob 1. v. 5. Leuit. 1. 2. 3. & ſequẽtibus.

X. Quartum hic præmittendum eſt, quòd diuiſio illa ſacrificij in ſacrificium viſibile & inuiſibile (quam nonnulli ponunt poſt ſanctum Auguſtinum) non ſit diuiſio generis in ſpecies, ſed totius in partes integrantes; nam ſicut homo conſtat ex anima inuiſibili & corpore viſibili, tanquam ex partibus integrantibus, ita omne ſacrificium verum & perfectum conſtat ex inuiſibili ſacrificio, quod eſt in mente; & ex viſibili, quod eſt ſignum viſibile inuiſibilis ſacrificij, iuxta illud ſancti Auguſtini, *Sacrificium viſibile inuiſibilis ſacrificij Sacramentum, id eſt, ſacrum ſignum, eſt.* Niſi enim adſit in anima inuiſibile ſacrificium, quo Deus agnoſcitur vt ſupremus omnium Dominus ac Redemptor, ſacrificium externum erit ſignum fictum, ſimulatum & fal-

S. Auguſt. tom. 5. l. 10. de ciu. Dei, c. 5. & 6.

S. Aug. c. 5. cit.

Digitized by Google

falſum. Et niſi inuiſibili ſacrificio accedat ſacrificium viſibile, non poteſt ſacrificium ſolius mentis ab hominibus agnoſci: perfectum igitur ſacrificium, quod ab hominibus videtur, & quo homines fidem ſuam exteriùs profitentur, vtrumque neceſſariò includit, viſibile nempe ſacrificium & inuiſibile.

Quintum hic præmittendum eſt, quòd cùm XI.
aduerſarij contendunt definire ſacrificium, illudque à ſacramentis diſtinguere, in errorem non diſſimulandum incidunt. Et primò quidem Lutherani hunc errorem docuerunt, ſed eundem poſtea auidè amplexi ſunt Caluiniani, nempe duo eſſe diſcrimina inter ſacramentum & ſacrificium; primum quòd ſacramentum ſit actio Dei, & ſacrificium actio hominis. Alterum quòd in ſacramento Deus det aliquid hominibus, in ſacrificio homo det Deo. Ita Philippus Melanchthon in ſua Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, & poſt illum Beza & Miniſtri illi Caluiniani, qui adfuerunt Colloquio Pariſienſi anno 1566. Sed neutrum diſcrimen eſt verum; nõ primum, quia in lege naturali & Moſaica tam ſacramenta quàm ſacrificia erant actiones hominum: homines enim erant, qui circumcidebant, homines, qui ſacrificabant. In noua autem lege ſacrificium non minùs eſt actio Chriſti quàm Sacramenta; conſtat enim ſacrificium Chriſti in cruce fuiſſe Chriſti actionem, non autem noſtram: Similiter ſacrificium Miſſæ eſt ipſius Chriſti ſacrificiũ & actio, & nõ tantùm hominis, vt benè declarat Conciliũ Tridẽt. Qua in re multùm falluntur aduerſarij, vt alibi fuſiùs explicandũ erit.

Apolog cõf. Aug. tit. quid ſit ſacrificium. Beza vol. 3. tractatio nũ Theolog. tract. 7 quæ eſt de Cœna Domini aduerſus Iodocum Harchium Mõtenſem ſub finem pag. 184. edit. an. 1582. Miniſtri Pariſienſes in vltimo ſcripto, quod miſerunt ad Doctores Catholicos. Concil. Trid ſeſſ. 22 c. 1. & 2.

Sed neque eſt verum ſecundum diſcrimen; quia in noua lege idem Chriſtus eſt, qui nobis XII.

dat tam in ſacramentis quàm in ſacrificijs, ſed in ſacramentis dat nobis gratiam & alia dona ſpiritualia; in ſacrificijs dat ſeipſum tum Patri, tum nobis in remiſsionem peccatorum.

XIII. Hinc diluuntur duæ aliæ aduerſariorum calumniæ. Prima eſt, quòd affirment nos docere ſacrificium Miſſæ conſiſtere in cæremonijs, & actionibus ſacerdotum. Quod planè falſum eſt; nam conſiſtit in actione ipſius Chriſti, qua Chriſtus ſeipſum offert Patri in remiſsionem peccatorum noſtrorum. Altera calumnia eſt, quòd docent nos affirmare ſacrificium Miſſæ placere Deo, & prodeſſe hominibus, ſine vllo bono motu offerentis. Quod etiam prorſus falſum eſt; nam quãtumuis ſceleratus ſit homo, Miniſter Chriſti, qui in Chriſti perſona offert, tamen CHRISTVS ipſe, qui principaliter offert hoc ſacrificium, nunquam caret quamplurimis bonis & pijs motibus; cuius oblationi proinde obeſſe non poteſt malitia Miniſtri: quod etiam in Baptiſmo & alijs Sacramentis euenit, quæ ſimiliter ſunt actiones Chriſti.

XIV. Sextum hic præmittendum eſt, quòd cùm controuerſia iſta in eo maximè ſit poſita, vtrum in Miſſa ſit proprium & ſpeciale ſacrificium an non; neceſſe eſt vt diligenter inueſtigemus, quot & quænam ſint differentiæ inter ſacrificium generale, & ſacrificium proprium ſeu ſpeciale. In his enim conſtituendis multum errant aduerſarij; ſolentque ſubinde confundere ſacrificium generale cum ſpeciali. Denique niſi iſtæ differentiæ accuratè obſeruentur, conſtare non poterit, an in Miſſa ſit proprium ſacrificium an non. Porrò differentiæ iſtæ non poſſunt rectiùs colligi quàm ex ſacrificijs legis naturalis & Moſaicæ, quæ aduerſarij

Digitized by Google

uerſarij ipſi agnoſcunt, fuiſſe propria ſacrificia. Nam & ipſe Caluinus fatetur, *quòd ſub vmbris ſacrificiorum legis Moſaicæ vniuerſam ſacrificiorum veritatem populo ſuo repræſentare voluit Dominus*. Sunt autem vel minimum octo differentię, quibus generalia ſacrificia à proprijs ſecernuntur. *Caluin. lib. 4. Inſt. c. 18. ſect. 13.*

Prima eſt, quòd generale ſacrificium ſua natura ſit actio alicuius virtutis; cuiuſmodi eſt, inuocare DEVM, confiteri fidem, ſubuenire & opitulari patriæ, parentibus, aut alijs in neceſsitate conſtitutis, aut alia opera miſericordiæ exercere. At verò proprium ſacrificium ex ſe, & ſemota DEI inſtitutione & voluntate, nec eſt actio virtutis, nec vllam habet laudem; ſed totam ſuam bonitatem ac laudem accipit à Dei inſtitutione. Verbi gratia, ſemota Dei inſtitutione non magis laudabile eſt occidere ouem quàm canem; aut vitulum quàm porcum; imò laudabilius eſt occidere lupum quàm agnum. Verùm occiſio vitulorum & agnorum propter DEI inſtitutionem longè præſtantior erat, tum in lege naturæ, tum in lege Moſaica, quàm occiſio porcorum aut luporum. XV.

Atque hinc eſt, quòd ſacrificia iſta propria in ſcripturis nonnunquam opponantur bonis operibus, vtpote quæ ſua natura non ſint bona opera: *Melior eſt* (inquit Propheta Samuel) *obedientia, quàm victimæ*. & Oſeas Propheta: *Miſericordiam volui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei, pluſquam holocauſtum*. At verò ſacrificia generalia opponi non poſſunt bonis operibus, cùm ipſamet ſint bona opera. XVI. *1. Reg. 15. v. 22.* *Oſeæ 6. v. 6.*

Hinc etiam eſt, quòd ſacrificia iſta propria mutari poſsint, & ex bonis fieri profana & illi- XVII.

cita,

cita, eo ipſo nimirum, quòd deſinat & finem habeat Dei inſtitutio & voluntas; quēadmodum in ſacrificijs illis legis naturalis & Moſaicæ factum iam videmus; hæc enim, ſi iam fierent, illicitè & impiè fierent.

XVIII. Denique adeò certa eſt hæc differentia, vt neque ipſa mors & paſſio Chriſti (quæ eſt præcipuum & maximè proprium ſacrificium) ſi ſecundùm ſe dumtaxat conſideretur, ſemota Dei volūtate, poſſit dici actus virtutis. Sunt quidem in paſſione Chriſti, poſitâ voluntate, inſtitutione & mandato Dei, perfectiſſimæ multarum virtutum actiones; ſed ſi paſſio Chriſti iuxta ſolam ſuam naturam conſideretur ſeorſim à voluntate Dei, non inuenietur in ea virtutis actio.

Porrò huius rei tres rationes aſſignari poſſunt.

XIX. Prima eſt: Si ſolam rationem naturalem conſulamus, ea ſuadet ęquum eſſe, vt iuſtus vitam ſuam defendat, ſi modò poſſit, tū quia homo eſt cuſtos vitæ ſuæ, tum etiam quia hac ratione impedit peccatum alterius: Chriſtus autem ſi voluiſſet, facillimè potuiſſet vitam ſuam tueri, & Iudæos impedire, ne tantum ſcelus committerent: quod tamen ille nequaquam fecit. Secunda ratio eſt, quia ordo iuſtitiæ non patitur, vt innocens puniatur pro nocētibus: at Chriſtus innocentiſſimus pro nocentiſſimis paſſus eſt. Tertia ratio: Neque permittit æquitas, vt quis longè grauiora patiatur ſupplicia, quàm meritus eſt; ſed vna gutta ſanguinis Chriſti propter vnionē hypoſtaticam illius cū verbo ſufficere potuiſſet pro peccatis totius mundi, vt rectè docet Clemēs Papa VI. verùm hęc omnia, quæ alioqui rationi naturali videbantur minimè conſona, acceperūt ſuā boni-

Clē. in Extra. 2. de pœnit. & remiſſ.

bonitatem à Dei inſtitutione & voluntate: quare cùm dixiſſet Chriſtus ſe poſiturum animam ſuam, ſtatim rationem hanc addit; *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* *Ioan. 10. v. 18.*

XX. Ad eundem etiam modum voluntas illa immolandi proprium filium, quam declarauit Abraham, & quæ etiam præſignificabat futuram Chriſti immolationem; non à natura rei, ſed à Dei præcepto bonitatem omnem ſuam accepit; cùm alioqui interficere proprium filium innocentem magnum fuiſſet flagitium. *Gen. 22. v. 10.*

XXI. Secunda differentia inter ſacrificium generale & ſpeciale eſt, quòd generale ſacrificium à quouis iuſtificato offerri poteſt & debet. *Obſecro vos fratres* (inquit Apoſtolus,) *vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Sed ſpeciale ſacrificium non debet à quouis offerri, ſed tantùm ab illo, qui eſt ſpecialiter à Deo vocatus & conſtitutus ad offerendum ſpeciale ſacrificiũ; *Nec quiſquam,* inquit Apoſtolus, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* *Ad Rom. 12. v. 1.* *Heb. 5. v. 4.*

XXII. Tertia differentia eſt. Ex ſpeciali Sacrificio & ſacerdotio pendet etiam lex; *Translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt vt legis translatio fiat,* teſte Apoſtolo: ſed generale ſacrificium commune eſt omni legi, tam naturali & Moſaicæ quàm Chriſtianæ, opera enim pia in omni lege neceſſaria fuerunt. *Hebr. 7. v. 12.*

XXIII. Quarta differentia. Tota efficacia generalis ſacrificij pendet à dignitate offerentis; inde enim pendet efficacia bonorum operum; ſed efficacia ſpecialis ſacrificij dependet præcipuè à Dei inſtitutione & ordinatione. Atque hinc eſt, quòd ſacrificia legis Moſaicæ etiam ab impijs oblata mundabant homines ſecundùm carnem ab immunditijs legalibus; hic enim erat

pro-

Digitized by Google

Heb. 9. v. 10. & 13. propriùs illorum effectus, in quantum erant legalia ſacrificia, vt declarat Apoſtolus.

XXIV. Quinta differentia. Sacrificium generale poteſt etiam hominibus offerri, cùm illud comprehendat rei cuiuſuis oblationem; ſed ſacrificium proprium & ſpeciale non debet niſi ſoli Deo offerri. Imò neminem etiam Gentilium vnquam obtuliſſe ſacrificium, niſi illi, quem DEVM aut ſciuit, aut putauit, aut finxit, non ſemel affirmat S. Auguſtinus. Hinc ſequitur, quòd neque diſtributio Euchariſtiæ, nec vllum aliud ſacramentum ſit ſacrificium propriè acceptum, quia hæc omnia conferuntur & dantur hominibus & non Deo. Similiter neque Conciones ſunt ſacrificia, nam hæ fiunt populo & non Deo: Sicut neque decimæ, quæ dabantur Leuitis, erant ſacrificia, illæ enim Sacerdotibus immediatè dabantur, non ipſi Deo.

Aug Tom. 5. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 4. in fine, & tom. 6 lib. 1. contra aduerſ. legis & prophet. c. 18.

XXV. Sexta differentia eſt. In generali ſacrificio opus non eſt, vt res, quæ offertur, ſit viſibilis aut permanens; ſed ſatis eſt actio etiam inuiſibilis animæ: nam & contritio cordis generali appellatione vocatur ſacrificium in Scripturis: Sed in ſacrificio propriè dicto neceſſe eſt, vt adſit res viſibilis & permanens, quæ offeratur. Hinc illud Apoſtoli, *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur*. Quare definitio illa ſacrificij proprij, quam excogitauit Philippus Melanchthon, nempe: *Sacrificium eſt cæremonia vel opus, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus*: non tantùm à Catholicis, ſed etiam ab ipſo Caluino improbatur tanquam nimis ampla & patens: abſurdum enim eſſet affirmare, aperire caput, flectere genua & alia huiuſmodi ſigna honoris, quæ hominibus ſine vlla culpa exhibentur, eſſe

Pſal. 50. v 19.

Hebr. 8. v. 3.

Melancht. in apologia Confeſſ. Aug tit. Quid ſit ſacrificium. *Caluin. lib. 4. Inſtit. c. 18. ſect. 13.*

Digitized by Google

eſſe vera ſacrificia; nam hac ratione oporteret dicere omnes illos committere idololatriam, qui talia ſigna venerationis hominibus exhibent; cum magna ſit idololatria ſacrificium proprium aut ſpeciale alteri quàm Deo exhibere, vt modò ex S. Auguſtino diximus. *Suprà hoc cap. §. 24.*

XXVI. Septima differentia eſt, quòd ad generale ſacrificium conſtituendum ſatis ſit oblatio cuiuſuis rei viſibilis & permanentis; ſed proprium ſeu ſpeciale ſacrificium, præter oblationem rei viſibilis & permanentis, requirit etiam interitum ſeu deſtructionem illius rei, quæ Deo offertur, vt poſt S. Thomam benè notat Bellarminus. Quare nimis ampla eſt illa definitio ſacrificij, quam adducit Caluinus, cùm ait, *perpetuo ſcripturæ vſu ſacrificium appellari, quicquid omninò Deo offertur.* Enimuerò multa in antiqua lege offerebantur Deo in cultum Templi, vt aurum, argentum, æs, hyacinthus, pelles, oleum, aromata, aliaque multa, quæ non erant ſacrificia, ſed dona & oblationes, de quibus multa in Exodo. Et hæc quidem Hebraicè vocantur תרומה Terumà, hoc eſt, eleuatio: nam cùm offerebantur Deo, eleuabantur ſurſum verſus cælum, & ſtatim deponebantur deorſum verſus terram; quæ cæremonia ſignificabat, quòd ille, cui iſta offerebantur, erat Dominus cæli & terræ, vt notant etiam ipſi Iudæi, de qua re plura paulò pòſt. Verùm iſta non erant propria ſacrificia, ſed tantùm generalia; quia non deſtruebantur in Dei honorem. *S. Tho. 2. 2. q. 86. a. 1. Bellar. lib 1. de Miſſa, c. 2. in fine. Caluin. ſect. 13. cit. Exodi 25. v. 3. & c. 35. v. 5. Hoc c. §. 37.*

XXVII. Fuit autem neceſſaria hæc deſtructio rei oblatæ in ſacrificio ſpeciali, propter duas cauſas. Prior eſt, vt ſignificaretur, quòd ille, cui offertur ſacrificiũ ſit abſolutus & perfectus Dominus omnium rerum, vtpote à quo ipſa ſubſtantia & ipſum eſſe

eſſe rei pendet; ac proinde non vſus dumtaxat rei illi offerebatur, ſicut in alijs oblationibus, quæ non erant ſacrificia, ſed etiam ipſa ſubſtantia & eſſe rei, atque adeo quicquid in re illa erat: quare hac actione declaratur, quòd ille, cui ſacrificatur, ſit auctor vitæ & interitus: & quòd poſſit rem ad nihilum redigere, & ex nihilo eandem rurſus creare. Atque hinc eſt, quòd ſoli Deo & præterea nulli debeat offerri ſacrificium, quia ſolus Deus eſt, qui poteſt iſta præſtare.

XXVIII. Poſterior cauſa, quia ſpeciale ſacrificium vel eſt ipſa Chriſti paſſio, vel certè repręſentatio quędam viua illius, vt mox dicemus. Porrò paſſio, & mors Chriſti non poteſt meliùs repræſentari, quàm morte rei viuentis, vel deſtructionę rei non viuentis: atque ita videmus factum eſſe in omnibus proprijs ſacrificijs veteris legis; nam quando animal viuum offerebatur in ſacrificium, ſolebat illud interfici, & poſtea manducari aut comburi in altari: & quando offerebatur res inanimata, ſolebat illa vel comburi, vel manducari, vel frangi, vel effundi, vt videre eſt in Leuitico.

Leuit. 1. *v.* 5. & 11. *Leuit.* 2. *v.* 2. 6. 9 14. & 15

XXIX. Octaua differentia eſt, quòd ſacrificium generale aliquando nihil aliud ſignificet; vt quando eſt actio inuiſibilis animi aut cõtritio cordis, aut alius interior animi actus pius. Quòd ſi aliquid repræſentet (vt quando eſt actus externus & viſibilis alicuius virtutis,) non repræſentat neceſſariò aliud quàm interiorem animi actum eiuſdem virtutis, à quo externus ille actus procedit, verbi gratia, exterior actus iuſtitiæ repræſentat interiorem iuſtitiam animi: & externus actus temperantiæ interiorem temperantiam. At verò omne ſpeciale ſacrificium eſt vel ipſa

ipſa Chriſti paſſio, vel Chriſti paſſionem & mortem perfectè & accuratè repræſentat.

Atque hinc eſt, quòd ſpeciale ſacrificium requirat rem aliquam ſenſibilem; quæ offeratur, teſte Apoſtolo; requirat etiam altare, ſuper quod victima offeratur, vt videre eſt in ſacrificijs tam legis naturalis, quàm Moſaicæ; requirat denique ſpecialem Sacerdotem, qui à Deo vocetur, vt atteſtatur idem Apoſtolus. Quæ omnia propterea requiruntur in ſpeciali ſacrificio, vt paſſio Chriſti exactè repræſentetur; nam re oblata repræſentatur corpus Chriſti, quod oblatum fuit in cruce. Altari repræſentatur crux, in qua oblatus fuit Chriſtus. Et Sacerdote ſpeciali repræſentatur Chriſtus ſpecialis Sacerdos à Deo vocatus. Sed in ſacrificio generali nihil horum eſt neceſſarium. XXX. *Hebr. 8. v. 3.* *Hebr 5. v. 4.*

Inde etiam factum eſt, quòd tantùm tribuerint his ſacrificijs Patres tam legis naturalis, quàm Moſaicæ, quòd tanta fiducia ad ea recurrerint, vel ad impetrandam peccatorum remiſſionem, vel ad alia dona temporalia obtinenda. Item quòd Deus ipſe tantoperè his ſacrificijs delectaretur, atque etiam placaretur; vt videre eſt in varijs ſacræ Scripturæ locis: neque enim erat mors pecudum, quæ placabat Deum, ſed mors filij ſui, quæ his victimis repræſentabatur. Sed neque placebant Deo antiqua illa ſacrificia propter res, quę offerebantur: *Nunquid manducabo* (inquit Dominus per Prophetam) *carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* ſed placebant Deo propter ſignificationem, quia nimirum his ſacrificijs repræſentabatur ipſa paſſio & mors futura Chriſti; idque ex ipſa Dei inſtitutione, & ordinatione; vt ſæpè monet ſanctus Auguſtinus: Ex his octo XXXI. *Gen. 8. v. 20.* *Iob 1. v. 5.* *Leuit. 16. v. 10. 33. & 34.* *1. Reg. 26. v. 19.* *2. Reg. c. vl. v. vlt.* *Pſal. 49. v. 13.* *S. Aug. to. 2. epiſt. 49.*

Digitized by Google

q.3.& to.5. lib.10 de ciuit. Dei, c.5.& 20. & to.6.cōtra Fauſtū Manich l. 20.c.18. & eodem tom 6.lib.1.contra aduerſ. legis & Prophet.c. 18.

differentijs facilè eſt diſcernere inter ſacrificium generale & ſpeciale, ſeu inter ſacrificium improprium & proprium.

XXXII. Septimum & vltimum hic præmittendum eſt, tres eſſe præcipuas diuiſiones ſacrificiorum illorum, quæ ſunt propria & ſpecialia ſacrificia. Prima diuiſio eſt in ſacrificium principale, ſeu abſolutum, & in ſacrificium repræſentatiuum ſeu commemoratiuum. Principale ſeu abſolutum ſacrificium eſt cruentum illud ſacrificium Chriſti, quod in ara crucis obtulit, hoc enim eſt principale ſacrificium, cætera autem omnia ſacrificia ſiue legis naturalis, ſiue legis Moſaicæ, ſiue nouæ legis, pendent & vim ſuam accipiunt à ſacrificio illo crucis, ſuntq; illius cruenti Chriſti ſacrificij repræſentationes quædam ſeu commemorationes. De ſacrificio crucis non eſt præſens controuerſia, ſed de ſacrificio commemoratiuo.

XXXIII. Porrò ſacrificium commemoratiuum, de quo hic diſputamus, ita poteſt definiri: *Sacrificium cōmemoratiuum eſt oblatio rei ſenſibilis Deo facta, Dei ſupremum dominium, & Chriſti paſſionem ex diuina inſtitutione repræſentans.* Nam oblatio rei ſenſibilis Deo facta, eſt genus ſacrificij: differentia autem, qua ſacrificium differt ab alijs oblationibus, quæ non ſunt propriè ſacrificia, eſt, quòd ex diuina inſtitutione repræſentet tam ſupremum Dei dominium, quàm Chriſti paſſionem. Et quia ſolus Deus præſcius erat futuræ paſſionis Chriſti, eius ſolius erat ſigna inſtituere, quibus Chriſti paſſio rectè & ſine vllo errore præſignificaretur. Hinc ſacrificia legis Moſaicæ, quæ tam manifeſtè repræſentabant ſacrificium futurum crucis, non ab alio, quàm ab ipſo Deo inſtitui potuerunt.

Se-

Secunda diuiſio ſacrificiorum deſumitur ex XXXIV.
ritu & modo offerendi, & ita ſacrificia diuidun-
tur in ſacrificium cruentum & incruentum: Cru-
entum eſt, cùm res viuens interficitur cum cruē-
ta ſanguinis effuſione. Incruentum eſt, quando
non eſt talis interfectio cruenta. Cruentum He-
braicè vocatur זבח *Zebach* à radice זבח *Zabach*;
quod ſignificat mactare, interficere: Græcè in
ſcripturis hoc genus ſacrificij vocatur θυσία à ver-
bo θύω, quod eſt occido, Matthæi vigeſimo ſecū-
do, verſu quarto, Lucæ decimoquinto, verſu 23.
& 27. Ioan. 10. verſu 10. & Actor. 10. v. 13. Incruen-
tum ſacrificium Hebraicè vocatur מנחה Min-
chà. Græcè δῶρον aut προσφορά. Diuiſio hæc ſu- *Hebr. 5. v.*
mitur ex Apoſtolo ad Hebræos (id quod agnoſ- *1. & c. 8. v.*
cit etiam ipſe Beza) eiuſdem etiam diuiſionis me- *3.*
minit & S. Hieronymus. Ratio huius diuiſionis *Beza ad 1.*
eſt, quia Chriſtus duobus modis obtulit ſeipſum *verſ. c. 5.*
Patri, nempe cruentè in cruce, & incruentè in cę- *Hebræor.*
na nouiſſima; atque ob hanc cauſam à principio *S. Hier. in*
mundi fuerunt ſemper ſacrificia cruenta & in- *c. 45. Eze-*
cruenta. Nam Abel obtulit ſacrificium cruentū; *chiel. ad v.*
Cain incruentum: Noe cruentum obtulit ſacrifi- *15. & 17.*
cium in lege naturali, Melchiſedech incruentum: *Gen. 4 v. 3.*
Iacob verò nunc incruentum offerebat ſacrifi- *& 4.*
cium, nunc cruentum. In lege autem Moſaica *Gen 8. v.*
multa fuerunt cruenta ſacrificia, de quibus Le- *20.*
uitici primo, & tertio: fuerunt & varia incruenta, *Gen. 14. v.*
de quibus Leuitici ſecundo per totum ca- *18.*
put. *Gen. 35. v. 14. Gen. 46. v. 1.*

Obſeruandum quoque hic eſt, quòd vox illa
מנחה Minchà (qua ſignificantur ſacrifi- XXXV.
cia incruenta) aliter legebatur olim à Sep-
tuaginta Interpretibus, quàm nunc legitur à

Digitized by Google

Iudæis. Nam ſeptuaginta pronunciabant illam vocem per triplex A ſine aſpiratione hoc modo: τὸ μάναα : aſpirationem .n. illã duriorẽ Hebræorum, quæ vocatur חית *Cheth*, ſæpè omittebant Septuaginta, cùm verterent nomina propria Hebræorum in linguam Græcam, vt ſuauior eſſet pronunciatio; quemadmodum videre eſt in nominibus proprijs Euæ, Aggæi, Nahum, Abacuc, &c. Atque hac ratione pro מנחה Manachà, poſuerunt in Græco textu τό μαναὰ. Cùm igitur Septuaginta Interpretes aliquoties in Græco textu reliquiſſent vocem hanc Hebræam *Manaa*, tanquam proprium nomen ſacrificij incruenti, Scriptorum negligentia, qui vocem Hebræam ignorabant, factum eſt, vt pro *Manaa* ſcriberetur Manna; id quod olim etiam obſeruauit ſanctus
S.Hier.in c. 17.Ierem. ad v.26.ſeu penult. Hieronymus in caput decimũ ſeptimũ Ieremiæ; nam eo loco ſeptuaginta Interpretes reliquerunt vocem Hebræam *Manaà*. Et idem error adhuc remanet in capite primo Prophetæ Baruch, verſu decimo, tam in Latinis, quàm in Græcis codicibus: vbi tamen Theodoretus Græcè legit, τὸ μάναα, quamuis Latinus Interpres Theodoreti deprauatè ſcribat Manna. Imò non tantùm in caput decimum ſeptimum Ieremiæ, ſed etiam in alijs locis veteris Teſtamenti ſeptuaginta Interpretes reliquerunt vocem Hebraicam, *Manaà*, vt videre eſt in editione Romana Græca Septuaginta Interpretum capite quadrageſimo octauo Ieremiæ iuxta Græcum textum, quod eſt caput quadrageſimum primum Ieremiæ iuxta vulgatam editionem; nam verſu 5. illius capitis habetur etiam *Manaà*; ſimiliter Ezechielis cap. 45. v. vltimo, & cap. 46. verſu 20. Denique eodem capite 46. in vno & eodem verſu 14. bis poſuerunt Septua-

tuaginta vocem *Manaa*, vt teſtis eſt etiam S. Hieronymus in idem caput Ezechielis.

Eſt denique & hoc obſeruandum circa iſta incruenta ſacrificia, quòd & illa quoque repræſentauerint ſupremum Dei dominium, & Chriſti paſſionem. Nam ſi in aridis rebus conſiſtebant, frangebantur, vel etiam ſecabantur in fruſta, & comedebantur vel comburebantur. Si in liquidis erant, fundebantur ſuper altare, vt videre eſt in Leuitico, & libro Numerorum. Porrò deſtructio hæc rerum, quæ offerebantur, ſignificabat illum, in cuius honorem deſtruebantur, habere ſupremum dominium omnium rerum; ſignificabat etiam Chriſtum Dominum noſtrum aliquando deſtruendum & interficiendum eſſe pro peccatis noſtris.

XXXVI.

Leuit 2. v. 2. 3. 6. 9. 10. Num. 28. v. 7.

XXXVII.

Addebantur etiam his ſacrificijs incruentis alij duo ritus: nam primò quidem res, quæ offerebatur Deo, eleuabatur in altum, & rurſum deponebatur; deinde mouebatur verſus quatuor mundi plagas, hoc eſt, in orientem & occidentem, & iterum in meridiem & ſeptemtrionem. Prior agitatio vocatur Hebraicè תרומה terumà. Secunda תנופה tenuphà. Prima agitatio ſignificabat illum, cui ſacrificium offerebatur, eſſe Dominum cœli & terræ. Secunda ſignificabat illum dominari per totum mundum. Ita notant omnes Rabini. Sed & hi duo ritus optimè ſignificabant etiam futura Chriſti myſteria; nam eleuatio illa in altum ſignificabat Chriſtum pro nobis in cruce eleuandum; ſecunda agitatio verſus quatuor partes mundi apertè exprimebat ſignum crucis, qua præſignificabatur, quòd Chriſtus debebat mori in cruce. Vtraq; vox Hebraica habetur in eodem verſu, Exodi 29. v. 27. & rurſus Leuitici

Rabini in radice נוף *N-ph. & in radice* רום *Rum.*

ſeptimo,verſu 34. Sed de his plura paulò pòſt, cũ agemus de ceremonijs Miſſæ, vtraque enim agitatio iſta myſtica adhuc obſeruatur in ſacrificio Miſſæ.

XXXVIII. Tertia diuiſio ſacrificiorum ſumitur à fine, ſeu ab effectu ſacrificiorum; & iuxta hanc diuiſionem multiplicia fuerunt ſacrificia tam in lege naturali, quàm Moſaica: quia tam multi & tam varij effectus paſſionis Chriſti non poterant niſi multis & diuerſis ſacrificijs deſignari. Hinc erant ſacrificia pro conſecratione Sacerdotum, pro Nazaræis, pro leproſis, pro parturientibus, pro zelotypia, pro alijs varijs rebus, vt videre eſt in Exodo & Leuitico.

XXXIX. Sed inter alia præcipua & maximè vſitata fuerunt tria ſacrificiorum genera, tam cruenta, quàm incruenta. Primum offerebatur in honorem & recognitionem diuinæ maieſtatis, atque etiam in profeſſionem fidei, quam habebant in Deum, & in futurum Meſſiam; & hoc ſacrificium, quando erat cruentum, vocabatur עלה Ola, hoc eſt, aſcenſio, nam tunc tota hoſtia conuertebatur in ignem & fumum aſcendentem; & à Septuaginta vocatur ὁλόκαυςον, quaſi ὅλον καυςὸν, totum combuſtum; nam totum comburebatur excepta pelle, quæ cedebat Sacerdoti ſacrificanti. De hoc Leuitici primo per totum caput, & Leuitici ſeptimo, verſu octauo. Quando autem huiuſmodi ſacrificium erat incruentum, vocabatur אשה *Iſſchè*, id eſt, igneum, quia pars illius igne comburebatur, ita appellatur Leuitici ſecundo, verſu ſecundo, nono & decimoſexto.

XL. Secundum genus ſacrificiorum vocabatur pacificum, quia offerebatur ad ineundum aut confirmandum fœdus cum Deo, aut ad aliquid à

Deo

Deo impetrandum, aut denique in gratiarum actionem pro obtentis beneficijs. Porrò hoc ſacrificium, quando erat cruentum, Hebraicè vocabatur communiter זבח - שלמים Zebach, Schelamim, hoc eſt, hoſtia pacificorum, & aliquando abſolutè vocabatur שלם Schélem, hoc eſt, pacificatio, vt Amos quinto, verſu vigeſimo ſecundo. Sed quando offerebatur in gratiarum actionem, vocabatur etiam זבח תודה Zébach, todà, id eſt, ſacrificium laudis. Quando erat incruentum ſacrificium, vocabatur ſine additione תודה todà, vt videre eſt Leuitici ſeptimo, verſu duodecimo.

Hoc ſacrificium pacificum diuidebatur in tres partes. Vna comburebatur in altari; ſecunda dabatur Sacerdotibus; tertia dabatur offerentibus, quam illi comedere debebant; ac proinde qui tale ſacrificium offerebant, debebant eſſe mundi, nam ſi immundus ex eo comediſſet, reus erat mortis, Leuitici ſeptimo, verſu vigeſimo & vigeſimo primo. Et de hac manducatione ſacrificij pacifici loquitur Apoſtolus, cùm ait: *Videte Iſrael ſecundùm carnem, nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* De hoc genere ſacrificij agitur per totum caput tertium Leuitici. Item capite ſeptimo, verſu vndecimo, & ſequentibus. XLI. 1. Cor. 10. v. 18.

Tertium genus ſacrificiorum offerebatur ad impetrandam remiſſionem peccatorum, & Hebraicè vocabatur חטאת Chattàt, id eſt, peccatum. De hoc agitur Leuitici quarto, quinto, ſexto & ſeptimo. Et hoc quoque erat aliquando incruentum ſacrificium, vt videre eſt Leuitici quinto, verſu vndecimo, duodecimo & decimotertio. XLII.

Porrò hoc ſacrificium diuidebatur in duas
LXIII. dumtaxat partes; vna comburebatur in altari: aliam comedebant Sacerdotes, vt videre eſt Leuitici 6. verſ. 26. & 29. Hinc illa verba Dei, cùm loquitur de Sacerdotibus legis apud Oſeam Prophetam: *Peccata populi mei comedent.* Vbi in Hebræo ponitur vox חטאת Chattat, id eſt, *peccatū*, proprio nempe nomine huius ſacrificij, quod pro peccatis offerebatur. Vocatur etiam hoc ſacrificium alio nomine כפר Cuppàr, id eſt, *expiatio* ſeu *propitiatio*: Ita Exodi vigeſimo nono, verſu trigeſimo tertio. Erat enim hoc ſacrificium expiatorium ſeu propitiatorium pro peccatis; vt videre eſt in varijs locis Leuitici. His itaque & alijs ſimilibus ſacrificijs profitebantur Iudæi ſe nō poſſe vel honorem Deo debitum exhibere, vel fœdus cum Deo inire, vel peccatorum remiſſionem à Deo obtinere, vel gratiarum actiones Deo acceptas referre, vel denique quodcunque aliud donum à Deo impetrare, niſi per Chriſti merita, paſſionem & mortem, quæ tot diuerſis ſacrificijs præſignificabatur.

Oſe. 4. v. 8.

Leuit. 4. v. 20. & c. 16. v. 24.

Porrò, an verum & proprium fuerit ſacrifi-
LXIV. cium, quando Melchiſedech protulit panem & vinum; & in qua re conſiſtebat propria ratio iſtius ſacrificij, commodiùs infrà capite tertio explicabitur. Nam ibi tractamus ex profeſſo de ſacrificio Melchiſedech.

Gen. 14. v. 18.

Vide c. 3. ſequ § 33. & 34.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

In Miſſa offerri Deo verum & proprium ſacrificium, probatur ex ipſis verbis inſtitutionis Euchariſtiæ.

ADuerſarij conuicti multis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, & veterum Sanctorum Patrum, fatentur aliquando in Miſſa offerri Deo ſacrificium, ſed improprium & generale, non enim admittunt ipſum Sacramentum Deo offerendum eſſe, ſed preces dumtaxat, aut alia pia opera Sacramento coniuncta. Nunc igitur probandum nobis erit, quòd ipſum Sacramentum Deo ſit offerendum; & quòd in oblatione ipſius Euchariſtiæ Deo facta conſiſtat vera & propria ratio ſacrificij: & conſequenter quòd ſacramentum hoc Euchariſtiæ debeat non tantùm diſtribui hominibus tanquam ſacramentum, ſed etiam offerri Deo, tanquam verum & proprium ſacrificium. I.

Prima probatio huius rei ſumitur ex ipſis verbis, quibus vſus eſt Chriſtus in inſtitutione huius ſacramenti; rectè enim dicit S. Auguſtinus, quòd *Sacrificium corporis & ſanguinis Domini diffuſum toto orbe terrarum norunt fideles, & qui Euangelium legerunt.* In ipſa enim inſtitutione huius ſacramenti tria ſunt, quæ hoc apertè conuincunt. II.

S. Aug. to. 8. conc. 1. in tit. Pſalm. 33.

Primum eſt Lucæ 22. verſ. 19. non tantùm dixit Chriſtus illud, quod porrigebat diſcipulis, eſſe corpus ſuum, ſed ſtatim etiam addidit, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, *quod pro vobis datur.* non ait, quod vobis datur tanquam ſacramentum, ſed quod pro vobis datur tanquam verum ſacrificium; III.

nam *dari pro nobis*, ſignificat ſacrificari pro nobis.
Ad Gal. 1. v. 4. *Chriſtus* (inquit Apoſtolus) *dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris.* Et iterum, *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Denique: *dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Certiſſimum igitur eſt his verbis, *quod pro vobis datur*, in ſacra ſcriptura ſignificari ſacrificium, quo corpus Chriſti offertur pro nobis. Cùm igitur Chriſtus in præſenti tempore loquatur; non enim dicit *dabitur* in futuro tempore, ſed, *datur*, in præſenti, neceſſariò colligimus Chriſtum non tantùm in cruce, ſed etiam in nouiſsima cœna dediſſe & obtuliſſe Deo Patri ſuum corpus in ſacrificium pro nobis.

1. Tim. 2. v. 6. *Ad Tit. 2. v. 14.*

IV. *Luc. 22. v. 19.* Adhæc Chriſtus ſtatim poſt verba illa: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, addidit præceptum, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex quo euidenter ſequitur Chriſtum dediſſe Apoſtolis præceptum & poteſtatem offerendi corpus ſuum pro nobis: nam cùm pronomen *hoc* in verbis Chriſti, *Hoc facite*, demonſtret tòtam eſſentialem actionem cœnæ, negari non poteſt, quin demonſtret illam Chriſti actionem, quæ proximè antecedit verba illa, *Hoc facite*, atqui Chriſtus ſtatim vbi dixiſſet, *quod pro vobis datur*, adiecit, *Hoc facite.* Quare ſenſus verborum, *Hoc facite*, eſt iſte: Hoc facite, quod ego iam feci. Chriſtus autem corpus ſuum dederat pro nobis in cœna, vt oſtenſum eſt, iuſsit igitur & inſtituit, vt Apoſtoli eorumque ſucceſſores ſimiliter offerrent corpus ſuum pro nobis.

V. His accedit, quòd in omnibus Græcis codicibus, & Syriacis, imò in omnibus etiam aduerſariorum translationibus, ſiue Latinâ, ſiue vulgari lingua editis, ita habetur in verbis Chriſti, quæ

refert

Digitized by Google

refert S. Paulus, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*: quibus verbis conſtat apud omnes ſacrificium ſignificari: & tamen in præſenti tempore dixit Chriſtus *frangitur*, non autem, frangetur; & ſtatim poſt iſta verba addit præceptum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Præcepit igitur Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, vt frangerent, hoc eſt, incruentè immolarent corpus ſuum pro nobis. *1. Cor. 11. v. 24.*

VI. Ad eundem modum, S. Matthæus, & S. Marcus, cùm referunt verba inſtitutionis Calicis, teſtantur Chriſtum in præſenti tempore dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur*: eodemque modo vertunt aduerſarij hæc verba ex Græco: nam in Græco textu habetur participium præſentis temporis, tam apud Sanctum Matthæum, quàm apud Sanctum Marcum: igitur non ſolùm in cruce cruentè, ſed & in cœna incruentè effuſus fuit pro multis ſanguis CHRISTI. *Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24.*

VII. Denique Sanctus Lucas non tantùm vtitur eodem participio præſentis temporis ἐκχυνόμενον, cùm refert verba Chriſti de calice, ſed etiam participium hoc refert ad calicem, vt neceſſariò fatendum ſit, calicem, hoc eſt, contentum in calice, effuſum fuiſſe pro nobis in cœna, quemadmodum ſuprà latius probauimus. In cruce autem ſanguis Chriſti non fuit in calice, ſed in cœna calice continebatur: neceſſe eſt igitur, vt iſta effuſio calicis, de qua loquitur S. Lucas, intelligatur de incruenta effuſione ſanguinis Chriſti, quæ tempore cœnę facta eſt, cùm ſanguis Chriſti eſſet in calice, non autem de cruenta effuſione, quæ extra omnem calicem in cruce facta eſt. *Luc. 22. v. 20.* *Suprà Controu. 3. cap. 12. § 6.*

Secun-

VIII. Secundum argumentum, quod colligimus ex ipſis verbis inſtitutionis Euchariſtiæ, eſt huiuſmodi: Chriſtus in cœna nouiſsima inſtituit atque dedicauit nouum teſtamentum per ſanguinem ſuum, vt apertè teſtantur S. Lucas, & S. Paulus, qui referunt Chriſtum ita locutum fuiſſe, cùm calicem traderet diſcipulis: *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, ſeu per meum ſanguinem, vt vertunt aduerſarij; ſed nouum teſtamentum dedicari non poterat ſine ſacrificio pacifico, quo fœdera feriebantur, nec ſine ſanguinis effuſione, vt teſtatur Apoſtolus ad Hebræos: Fuit igitur in cœna & ſacrificium pacificum à Chriſto oblatum, & vera ſanguinis Chriſti effuſio; quæ duo veram & propriam ſacrificij rationem conſtituere conſtat.

Luc.22.v. 20. 1.Cor.11. v.25.

Hebr.9.v. 18.& 22.

IX. Verùm quia iſta duo argumenta non tantùm probant Chriſtum in cœna obtuliſſe verum ſacrificium, ſed etiam conuincunt ſacrificium iſtud, quod Chriſtus in cœna obtulit, fuiſſe propitiatorium, quod aduerſarij maximè negant; plura de his duobus argumentis dicenda erunt infrà, cùm probabimus hoc ſacrificium etiam eſſe propitiatorium.

X. Interea ſatis erit hic obſeruare veriſsimum illud eſſe, quod ſæpe admonuimus in omnibus quæſtionibus controuerſis, Catholicos pro ſua parte habere expreſſa & clara ſacræ Scripturæ verba; aduerſarios ſuas ſolas deprauationes, quas idemtidem cõminiſcuntur & mutant; quod ſi cuiuis liberè concedatur, nihil vnquam certi ex ſacris literis colligi poterit; facile enim eſt apertiſſima Spiritus ſancti verba per metaphoras & alias figuratas locutiones ad alienos ſenſus detorquere. Et ſanè hæc argumenta adeo ſunt euidentia, vt ad-

Digitized by Google

aduerſarij ab illis ſe expedire non poſsint, niſi confugiant ad figuratas, & improprias locutiones; quod eſt nouiſsimum omnium hæreticorum perfugium, cùm ſe vident apertis Spiritus ſancti verbis impugnari.

Porrò diuerſas horum verborum deprauationes & ſtrophas, quibus vtuntur aduerſarij, cùm conantur his argumentis reſpondere, paulò pòſt diluemus, cùm iiſdem argumẽtis vtemur ad probandum ſacrificium hoc etiam eſſe propitiatorium. XI.

Tertium argumentum, quod deſumimus ex verbis cœnæ, eſt iſtud: In legitima celebratione myſterij Euchariſtiæ eſt vera & viua commemoratio, annuntiatio, & repræſentatio cruenti illius ſacrificij, quod Chriſtus pro nobis in cruce obtulit, vt teſtes ſunt S. Lucas, & S. Paulus; ſed ſi Euchariſtia eſſet ſacramentum dumtaxat, & non etiam ſacrificium, non eſſet illa perfecta repræſentatio mortis Chriſti, idque propter tres rationes: prima eſt, quia ſicut ſacramentum non poteſt perfectè repræſentari niſi per aliud ſacramentum, ita neque ſacrificium niſi per aliud ſacrificium, neceſſe eſt enim, vt in ipſa ratione repræſentandi ſit ſimilitudo inter illud, quod repræſentat, & illud, quod repræſentatur, non enim repræſentat homo equum, nec equus hominem. XII.

Luc.22.v.19.
1.Cor.11.v.24.& 26.

Secunda ratio eſt, quia cruentum Chriſti ſacrificium in eo præcipuè conſiſtebat, quòd Chriſtus ſeipſum obtulerit Patri; at in ſacramento nihil offertur Deo, ſed hominibus dumtaxat, vt omnes agnoſcunt; non poteſt igitur ſacramentum, quod hominibus datur, repræſentare ſacrificium, quod Deo datur & offertur. XIII.

Tertia ratio. Duo ſunt in omni ſacrificio, XIV.

nempe

nempe ipſa eſſentia ſacrificij, & eius effectus, qui eſt ſanctificatio populi. Eſſentia autem ſacrificij in eo conſiſtit, quòd aliquid Deo offeratur: ſacramenta autem pertinent tantummodò ad effectũ ſacrificij, nimirum ad ſanctificationem populi; his enim ſanctificabatur ſemper populus, vt conſtat ex omnibus ſacramentis tam legis naturalis quàm Moſaicæ, quod & ſæpius inculcat Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos. Quare ſi Euchariſtia eſſet ſacramentum dumtaxat & non ſacrificium, non aliud ſignificaret, quàm effectum paſsionis & mortis Chriſti in nobis, nempe ſanctificationem noſtram, & refectionem noſtram ſpiritualem, ſed non ſignificaret ipſam mortem & paſsionem Chriſti. Noſtra enim ſanctificatio & ſpiritualis refectio, ſunt effectus dumtaxat mortis & paſsionis Chriſti, non ipſa eius mors & paſsio.

Hebr. 9. v. 13. 14. & c. 10. v. 29. & c. 13. v. 12.

XV. Nec verum eſt, quod aliqui ex aduerſarijs dicunt; baptiſmum etiamſi ſit ſacramentum, & non ſacrificium, nihilominùs repræſentare mortem Chriſti; nam baptiſmus non repræſentat mortem Chriſti, ſed mortem & reſurrectionem illius qui baptizatur: baptiſmus enim ſignificat, quòd ille qui baptizatur, moritur peccatis, & reſurgit ad nouam vitam, vt Apoſtolus apertè declarat; iſta autem mors & reſurrectio noſtra eſt effectus mortis Chriſti, non ipſa mors Chriſti. Atque hinc eſt, quòd Chriſtus non dicatur mori in baptiſmo, ſicut dicitur immolari in celebratione Euchariſtiæ, teſte S. Auguſtino; ſed baptizatus ipſe eſt, qui dicitur mori in baptiſmo. Quemadmodum etiam manducatio & potatio ſola Euchariſtiæ ſignificat alium dumtaxat effectum mortis Chriſti in nobis, nimirum refectionem ſpiritualem animi; quæ nõ eſt ipſa Chriſti mors, ſed eius effectus.

Rom. 6. v. 3. 4. & ſequentibus.

S. Aug. to. 2. epiſt. 23. ad Bonifaciũ.

Neque

Digitized by Google

Neque ſatis eſt dicere, quòd in concione debet repræſentari mors Chriſti; quia in inſtitutione huius ſacramenti non dixit Chriſtus, Concionamini in meam commemorationem, ſed dixit, *Hoc facite in meam commemorationem:* iuſsit ergo Apoſtolis hoc ipſum facere, quod ipſe tempore cœnæ fecerat: quidnam autem fecerit Chriſtus tempore cœnæ, oſtendunt S. Lucas, & S. Paulus: nam S. Lucas refert Chriſtum dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, & ſtatim addidiſſe, *Hoc facite in meam commemorationem:* quare neceſſe eſt, vt *Hoc facite* referatur ad illud, quod proximè antecedit, nempe, *quod pro vobis datur*. Et ſimiliter S. Paulus ita refert verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur; Hoc facite*, &c. Quare neceſſe eſt, vt *Hoc facite,* apud S. Paulum, referatur ad hanc myſticam fractionem corporis Chriſti pro nobis; quæ nihil aliud eſt, quàm incruenta oblatio corporis Chriſti: quemadmodum paulò pòſt oſtendemus. XVI. *Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24.*

Eſt & hic diligenter obſeruandum, quòd inter omnes Apoſtolos, qui ſcribunt de cœna vltima Chriſti, hi duo ſoli, nempe S. Lucas, & S. Paulus, referant illa Chriſti verba, *Hoc facite in meam cõmemorationem:* demonſtrant igitur neceſſariò illa verba, *Hoc facite*, oblationem, & fractionem corporis CHRISTI, quæ proximè antecedunt verba illa Chriſti, *Hoc facite*, apud S. Lucam, & S. Paulum. XVII.

Ad eundem modum Apoſtolus de hoc ſacramento loquitur, & non de nuda concione, cùm dicit, *Mortem Domini annũciabitis, donec veniat:* hinc enim probat Apoſtolus, eos qui indignè ſumunt hoc ſacramentũ, *eſſe reos corporis, & ſãguinis Domini:* XVIII. *1. Cor. 11. v. 26. 1. Cor. 11. v. 27.*

at

at illi, qui indignè audiunt concionem, non ſunt propterea rei corporis & ſanguinis Chriſti: de ipſa igitur Euchariſtia loquitur Apoſtolus, non de nuda Miniſtri concione.

XIX. 1. Cor. 11. v. 26. Porrò verborum illorum Apoſtoli Pauli: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, verus ſenſus eſt iſte: Fieri non poteſt, vt manducetis panem hunc aut calicem bibatis, niſi priùs annuncietis mortem Chriſti conſecratione atque incruenta immolatione corporis, & ſanguinis Chriſti. Hoc enim modo ante multos annos interpretati ſunt Patres antiqui verba iſta; idque in tribus œcumenicis Concilijs contra Neſtorianos, eorumque ſectatores: primò quidem in Epheſina prima Synodo, ſecundò, in Chalcedonenſi, poſtremò in quinta Synodo Conſtantinopolitana.

Vide principium Epheſini I. Conc in præfat. ante epiſt. Concilij Alexandrini ad Neſtorium.

XX. *Cal. lib. 4. Inſtit. cap. 18 ſect. 12.* Denique adeò perſpicuum eſt ſolum ſacrificium repræſentare mortem Chriſti, non autem Sacramentum, vt iſtud cogatur ipſemet Caluinus fateri: hoc enim ponit diſcrimen inter ſacrificia Moſaica & noſtram Euchariſtiam, quòd illa cùm fuerint vera ſacrificia, repræſentauerint ipſum ſacrificium, quod peracturus erat Chriſtus in cruce; noſtra autem Euchariſtia (quam vult eſſe ſacramentum dumtaxat & non ſacrificium,) repræſentet tantùm fructum ſacrificij Chriſti oblati in cruce, non ipſum Chriſti ſacrificium, & mortem.

XXI. Verùm error iſte Caluini non tantùm anteponit ſacrificia Moſaica noſtræ Euchariſtiæ, cùm longè excellentius ſit ipſum Chriſti ſacrificium repræſentare, quàm ſolum eius effectum aut fructum; ſed præterea aduerſatur inſtitutioni huius

ſacra-

Digitized by Google

ſacramenti, Chriſtus enim in inſtitutione huius
ſacramenti præcepit Apoſtolis, vt hoc facerent in *Luc.22.v.*
commemorationem, memoriam & repræſenta- *19.*
tionem ſuiipſius, ſuæque mortis & paſsionis, & *1.Cor.11.*
non ſolius effectus mortis ipſius. *v.24.*

Falſum etiam eſſet illud Apoſtoli: *Mortem Do-* XXII.
mini annunciabitis, donec veniat, ſi effectus tantum- *1.Cor.11.*
modò mortis Domini, & non ipſa eius mors, hoc *v.26.*
myſterio repræſentaretur. Veriſsimum igitur
eſt Euchariſtiam nunquam potuiſſe repręſentare
mortem Chriſti, niſi illa eſſet non tantùm ſacra-
mentum, ſed & verum Sacrificium.

CAPVT III.

In Miſſa offerri verum, & proprium ſacrificium probatur ex ſacrificio Melchiſedech.

RECTE ſcribit S. Auguſtinus: *Sacrificium, quod* 1.
iam nos Chriſtiani offerimus, non ſolùm Euangeli- *S.Aug.to.2.*
cis, verùm etiam Propheticis literis demonſtrari. Dixi- *epiſt. 49. ad*
mus de Euangelicis literis: reſtat vt dicamus de *Deogratias*
Propheticis. Primus locus ex Propheticis literis *q.3. ſub fi-*
eſt ille Geneſeos, in quo refertur, quòd Melchi- *nem.*
ſedech obtulerit panem, & vinum in ſacrificium. *Gen.14.v.* *18.*
Porrò Melchiſedech iſte non tantùm fuit figura
& typus Chriſti, ſed Chriſtus etiam eſt verè ſa-
cerdos ſecundùm ordinem, & ſimilitudinem
Melchiſedech & non ſecundùm ordinem Aaron, *Heb.7.v.*
teſte Apoſtolo: Neceſſe eſt igitur, vt Chriſtus *11.& 15.*
præter illud cruentum ſacrificium, quod in cruce
obtulit, obtulerit etiam incruentum panis & vini
in ipſa vltima cœna; alioqui non fuiſſet Sacerdos
ſecundùm ordinem & ſimilitudinem Melchi-

ſedech, nam ritus ſacrificandi eſt illud, quod præcipuè pertinet ad ſimilitudinem Sacerdotij.

II. Adhæc ſi in illis etiam, quæ tacet hiſtoria Geneſeos, debebat eſſe ſimilitudo inter Melchiſedech & Chriſtum, Apoſtolo teſte, verbi gratia,
Heb. 7. v. 3. *quòd Melchiſedech eſſet ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*, quæ tamen non affirmantur, ſed tantùm celantur in Geneſi; quantò magis debebat eſſe ſimilitudo inter Chriſtum & Melchiſedech in illis, quæ expreſsis verbis de Melchiſedech narrat ſacra ſcriptura? nimirum, quòd ille panem & vi-
Gen. 14. v. 18. num Deo ſacrificauerit.

III. Hoc argumento, quod deſumitur ex ſimilitudine ſacrificij CHRISTI & Melchiſedech, ſæpe vtuntur Patres antiqui, cùm diſputant contra Iudæos: quorum verba extant apud Bellarminum & Coccium; id, quod aduerſarios minimè latet. Hoc enim apertè fatentur Caluinus & Beza, & cæteri, quotquot inter aduerſarios vel parum in ſcriptis Patrum verſati ſunt.

Bellar. lib. 1. de Miſſa cap. 6. Coc. tom. 2. lib. 6. art. 5. Caluin ad verſ. 18. cap. 14. Geneſ. Beza in c. 7. ad Heb. v. 1.

IV. Non ignoramus Tertullianum & alios quoſdam Patres antiquos affirmare Melchiſedech diſtribuiſſe Abrahæ & ſocijs eius panem & vinum; quod veriſimilius eſt; tùm, quia hac ratione ſacrificium Melchiſedech perfectiùs repræſentabit ſacrificium Miſſæ, in quo Euchariſtia non tantùm offertur Deo, ſed etiam diſtribuitur populo; tum etiam, quia ſacrificium hoc Melchiſedech fuit ſacrificium pacificum ſeu Euchariſticum; oblatum enim fuit in gratiarum actionem pro victoria, quam Deus dederat Abrahæ contra hoſtes ſuos: vt olim etiam obſeruauit Philo Iudæus: & in huiuſmodi ſacrificijs pacificis vna pars hoſtiæ ſolebat diſtribui populo, vt diximus præcedenti capite.

Tertul. lib. contra Iudæos, c. 3. iuxta editionē Pamelij. Philo in lib. de Abrahā ſub finem.

Cap. præcedenti, §. 41.

capite. Sed nullus eſt Patrum, qui neget Melchiſedech etiam Deo obtuliſſe panem & vinum; obtulit enim primò Deo; deinde Abrahæ & alijs panem & vinum diſtribuit.

V. Aduerſarij dum vident ſe multùm vrgeri hoc argumento; Patreſque omnes antiquos hoc argumento frequenter vti contra ipſos Iudæos (adeo erat olim hæc res omnibus etiam ipſis Iudæis certa & euidens,) ne videantur ſine cauſa non tam nos quàm antiquos Patres oppugnare, conantur varijs modis deprauare verba illa Geneſeos.

VI. Verùm vniuerſas eorum deprauationes atque etiam argumenta omnia, quæ obijciunt contra hæc verba Moyſis, doctiſsimè & copiosè refutat Illuſtriſsimus Cardinalis Bellarminus, vt proinde eadem repetere ſit omninò ſuperuacaneum. *Bellar. lib. 1. de Miſſa c. 6.*

VII. His igitur omnibus omiſsis, quæ ex eo peti poſſunt, alia hic afferemus ex ſolo textu Hebræo, quæ Catholicorum ſententiam non parùm confirmant. Aduerſarij namque contendunt perſuadere ignaris nihil de ſacrificio Melchiſedech extare in textu Hebræo. Vt igitur omnibus planè conſtet id falſum eſſe, & etiam vt planum faciamus, quantum pro nobis faciat veritas Hebraica, ſex obſeruanda hic erunt in ipſo textu Hebræo.

VIII. Primum eſt. Si verbum è verbo exprimenda eſt ſententia illa Geneſeos, non poteſt rectiùs exprimi Latinis verbis, quàm ſi hoc modo trãsferatur: *Et Melchiſedech eduxit panem & vinum*: עליון והוא כהן לאל, Vehù cohèn leèl eliòn, hoc eſt, *Et ipſe ſacrificans Deo altiſsimo*, ſeu, *Et ipſe eo tempore ſacrificabat Deo altiſsimo*; quo nihil *Gen. 14. v. 18.*

clariùs dici poteſt pro noſtra ſententia. Porrò hanc eſſe veriſsimam tranſlationem horum verborum, ita oſtendimus ex ipſa Grammatica Hebræa. Vocem Hebræam, כהן cohèn, habere propriam formam participij actiui, præſentis temporis, primæ coniugationis, (quod ab Hebræis vocatur בינוני benoni) manifeſtius eſt, quàm vt probatione indigeat, nulla enim eſt alia forma participij, *Benoni*, vſitatior iſta, vt norunt omnes, qui vel primoribus labris guſtarunt Hebræa. Conſtat etiam nullum aliud participium huius verbi, præter iſtud, inueniri in tota ſcriptura ſacra. Quare ſi ad verbum vertenda erit hæc ſententia ex Hebræo, dicendum potius erit: *Et ipſe ſacrificans Deo altiſsimo*, quàm ita: *Et ipſe ſacerdos Dei altiſsimi*. Quamuis enim idem ſit ſenſus, ſiue dicamus, *Sacrificans Deo*, ſiue, *ſacerdos Dei* (ſi re-
Heb. 8. v. 3. ctè intelligatur, quiſnam ſit ſacerdos, cùm *neceſſe ſit Sacerdotem habere aliquid quod offerat*, teſte Apoſtolo;) tamen participium *ſacrificans*, quod habetur in Hebræo textu, clariùs explicat præſentem actum Sacerdotij; probatque manifeſtè Melchiſedech tunc ſacrificaſſe, cùm protulit panem & vinum.

IX. Nec verò ſumus inſcij, participium *Benoni* ſępè tranſire in naturam nominis, quod Hebræi vocãt: תואר Tóar; verùm etſi non ita facilè ſit diſcernere an *Benoni* ſit nomen vel participium, quando ponitur abſolutè ſine vllo caſu, tamen quando regit poſt ſe aliquem caſum, facillimè cognoſcitur, ſitne nomen an participium. Nam certa ac recepta regula eſt apud Hebræos, quòd *Benoni* ſit ſemper nomen, quando regit genitiuum caſum; at verò quando non regit genitiuum, ſed alium caſum, quem regit verbum, à quo deſcendit, (v.g.

datiuum

datiuum, vel accuſatiuum) ſemper ſit participium præſentis temporis. Quod etiam in Latino ſermone videre eſt. Nam amans patriæ, idem eſt, quod amator patriæ, qui videlicet actu vel habitu amat patriam; ſed, amans patriam, ſignificat illum, qui actu amat patriam. Sic differunt amans ſapientiæ, & amans ſapientiam, &c. Hanc regulã etiam probant quamplura exempla ſcripturæ ſacræ; quædam exempli cauſa afferemus, vt omnibus conſtare poſsit regulam hanc eſſe certiſsimam.

Primum exemplum. Verbum Hebræum רפא Raphà, ſignificat ſanitatem dare (ex quo deſcendit nomen illud Angeli Raphaelis, quod ſanitatem Dei ſignificat.) Participium verò Benoni huius verbi eſt רפא Rophè, quod quando regit genitiuum caſum, eſt nomen ſignificans medicum, vt videre eſt Iob 13. verſu 4. Sic quando abſolutè ponitur, ſignificat medicum: Ieremiæ 8. verſu vlt. Sed quando regit caſum verbi, à quo deſcendit, nempe datiuum, eſt ſemper participium præſentis temporis, & non nomen, idem ſignificans quod ſanans vel dans ſanitatem. Sic in Exodo dicitur: *Ego Dominus dans ſanitatem tibi.* Et in Pſalmis, *dans ſanitatem omnibus infirmitatibus tuis.* Et iterum: *Dans ſanitatem contritis corde.* Denique in libris Regum, *Ecce ego dans ſanitatem tibi,* hoc eſt, Ecce ego ſano te. In omnibus enim iſtis locis ponitur hoc participium cum litera Lamèd ſequenti, quod eſt ſignum datiui caſus. X.

Exodi 15.v. 26.in fine. Pſal.102. (vel 103.) v.3. Pſal. 146.(vel 147.) v.3. 4.Reg.20. v.5.

XI.

Secundum exemplum. Verbum אמן Amàn, quod ſignificat nutrire, in *Benoni* habet אמן Omèn, quod cum genitiuo ſignificat nutritorem,

Digitized by Google

4.Reg.c.10. vt videre eſt in libris Regum: ſed cum accuſatiuo
v.1. caſu, quem regit verbum, à quo deſcendit, ſigni-
Num.11.v. ficat nutrientem, ſeu illum, qui actu nutrit, vt vi-
12 Eſth.2. dere eſt in libris Numeri & Eſther.
v.7.

XII. Tertium exemplum. Participium *Benoni* גאל Goél, cùm regit genitiuum, ſignificat Redemptorem aut proximum, Numerorum 35. verſu 19. Sed cùm regit accuſatiuum caſum ſui verbi, ſignificat redimentem, ſeu illum, qui actu redimit, aut eruit è periculis. Geneſis 48. verſ. 16.

XIII. Quartum exemplum. Participium *Benoni* שמר ſchomèr cum genitiuo idem eſt, quod cuſtos, Geneſis 4. verſ. 9. ſed cum accuſatiuo, qui eſt caſus ſui verbi, idem eſt, quod cuſtodiens vel obſeruans, 1. Regum 1. verſ. 12.

XIV. Quintum exemplum. Participium *Benoni* זבח Zobeach, cum genitiuo ſignificat ſacrificatorem, Pſalmo 49. (vel 50.) ver. vltimo; ſed cum datiuo, qui eſt caſus ſui verbi, ſignificat ſacrificantem, Exodi 1[illegible]. verſ. 15. & Exodi 2[illegible]. v. 20.

XV. Porrò participium *Benoni* כהן Cohèn, de quo hic diſputamus deſcendere à radice ſeu verbo, quod regit datiuum caſum, manifeſtum eſt ex cap. 28. Exodi verſu 1. 3. 4. 41. & multis alijs ſcripturæ locis. Conſtat etiam ex Hebræo textu participium hoc in iſtis verbis Geneſeos non regere genitiuum caſum, vt faciunt participia illa, quæ induunt naturam nominum, ſed regere datiuum caſum, qui eſt proprius caſus ſui verbi, non enim dicitur in Hebræo, כהן האל cohèn hael, hoc eſt, ſacerdos Dei, ſed ita, כהן לאל cohèn leèl, hoc eſt, ſacrificans Deo; nam literam Lamed notam eſſe datiui caſus ſciunt omnes.

XVI. Hoc autem adeo euidens eſt in Hebræo textu,

vt

Digitized by Google

vt non tantùm Pagninus, Arias Montanus, Vatablus & alij Catholici, qui ad verbum vertunt hanc ſententiam ex Hebræo ſermone, ſed ipſi etiam aduerſarij Caluinus, Beza & Tigurini rei veritate conuicti cogantur verba iſta vertere in caſu datiuo & non in genitiuo, ad hunc modum; *Deo altiſsimo*, ex quo facilè eſt videre ad *verbum potius* vertendum eſſe. *Sacrificans Deo altiſsimo*, quàm, *Sacerdos Deo altiſsimo*, quemadmodum vertunt aduerſarij.

XVII. Secundum obſeruandum in textu Hebræo eſt, linguam Hebræam carere præterito imperfecto verbi; ac proinde, quando ſacra ſcriptura Hebræa ſignificat rem imperfectè præteritam, hoc eſt, adhuc durantem, ſolet tempus præteritum imperfectum denotare per participium præſentis temporis, vt agnoſcunt non modò Catholici in Hebræis verſatiſsimi, ſed ipſe quoque Antonius, Rodolphus, Ceuallerius Caluinianus. *Ceualler. in ſua grãmatica Hebraica, tract. 2. cap. 1. cùm agit de Benoni verbi perfecti.*

XVIII. Sed neque opus eſt procul huius rei exempla quærere, cùm ipſo eodem cap. 14. Geneſeos, quo continetur hiſtoria Melchiſedech, duo extent huius rei exempla. Nam verſu 12. de Loth ita loquitur Scriptura: והוא ישב בסדם vehù, ioſchèb biſdòm, ad verbum, *Et ipſe ſedens in Sodòm* (hoc eſt, Et ipſe eo tempore morabatur in Sodomis) Et rurſus, verſ. 13 ſequenti, de Abrahamo dicitur: והוא שכן vehù Schochèn, *Et ipſe habitans*, (hoc eſt, Et ipſe eo tempore habitabat) *in conualle Mambre*.

XIX. Ad eumdem planè modum cùm hic dicitur de Melchiſedech: *Et ipſe ſacrificans Deo altiſsimo*, verus ſenſus iuxta Hebraicã phraſim eſt iſte: *Et ipſe eo tempore ſacrificabat* Deo *altiſsimo*, id quod *Geneſ. 14. v. 18.*

Suprà §.8. huius capitis. ſuprà etiam attigimus, cùm hanc Hebræam locutionem totidem verbis tranſtulimus.

XX. Tertium hic obſeruandum eſt, aduerſarios aut alios in Hebræis non adeo verſatos admirari non debere, quòd aſſeramus vocem Hebræam, *Cohèn,* in his verbis Moyſis participium eſſe, non nomen: enimuerò eadem vox Hebręa non ſolùm in hoc loco, ſed & in alijs locis ſacræ Scripturæ, quando conſtruitur cum litera Lamech ſigno datiui caſus, per participium potiùs quàm per nomen eſt transferendum, ſi Hebraica ad verbum transferantur. Cuius rei non deſunt exempla in ſacris literis; vt & alia quoque de genitiuo caſu; quæ manifeſtè probant regulam illam, *Suprà §.9. huius capitis.* quam ſuprà adduximus de genitiuo caſu poſt participium, & de alio caſu verbi, à quo participium deſcendit, in hoc participio *Cohèn* locum etiam habere. Participium namque, *Cohen,* cùm regit genitiuum caſum, in naturam nominis tranſire & Sacerdotem ſignificare his locis manifeſtum eſt, 1. Reg. 14. verſ. 3. & 4. Reg. 11. verſ. 18. & 2. Paralipomen. 23. verſ. 13. denique Amos 7. verſ. 10. Quibus omnibus teſtimonijs euidenter probatur participium, *Cohen,* cùm mutatur in nomen, *Toar,* conſtrui cum genitiuo caſu, non cum datiuo.

XXI. Exempla de regimine datiui caſus, ſequente Lamed, vbi vox Hebræa, *Cohen,* per participium potius quàm per nomen transferenda eſt, ſunt iſta. Primum exemplum extat 1. Reg. cap. 1. v. 3. in fine, vbi Latina verſio habet: *Erant ibi* (nimirum in Silo, vbi erat arca Domini) *duo filij Heli, Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini.* In Hebræo ad verbum habetur: *duo filij Heli ſacrificantes Domino*; nam quotidie ſacrificabant & mini-

Digitized by Google

miniſtrabant Domino coram arca Teſtamenti. Quod benè intellexit Chaldæus Interpres, qui eo loco ponit nomen, quod ſignificat Sacerdotes, nimirum כהניא Cahanaija, quod tamen ponit 1.Reg.22.v.17.& v.21. Sed ponit participium. Ita .n. vertit hæc verba Chaldæus: משמשין קדם Meſchammeſchin Cadam Adonai, hoc eſt, *miniſtrantes coram Domino*.

Secundũ exemplum habetur 3.Reg.2.v.27. vbi XXII.
nos habemus Latinè: *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini.* Hebraicè ad verbum habetur, *ab eſſe*, (hoc eſt, ne eſſet) *ſacrificans Domino*. Certum enim eſt, quòd Abiathar manſerit ſemper verus Sacerdos, ſed non poterat ampliùs ſacrificare Domino, nec vti officio ſacerdotali; quod clariùs explicatur his verbis: *Eiecit Abiathar, ne eſſet ſacrificans Domino*, quàm ſi dixeris, *Ne eſſet Sacerdos Domini*; remanſit enim Sacerdos, ſed non remanſit ſacrificans. Hinc Chaldæus paulò clariùs vertit hæc verba ad hunc modum: Ne eſſet Sacerdos miniſtrans ante Dominum.

Tertium exemplum habetur 2.Paralip.cap.13. XXIII.
v.9. in fine, vbi Latinè eſt: *Fit Sacerdos eorum, qui non ſunt dij*; Hebraicè ad verbum ita habetur, & erit ſacrificans non dijs, hoc eſt, ſacrificabit illis, qui non ſunt Dij.

Quartum exemplum 2.Paralip.c.26.v.17. vbi XXIV.
Latinè eſt: *Sacerdotes Domini octoginta*; in Hebręo ad verbum eſt: *Sacrificantes Deo octoginta*. Nam Sacerdotes illi, qui manebant continuò in templo, & quotidie fungebantur ſacerdotio, vocabantur ſacrificantes, vt diſtinguerentur ab alijs Sacerdotibus, qui eo tempore non fungebantur ſacerdotio, quemadmodum etiam ſuprà in primo exemplo diximus de Ophni & Phinees. Conſtat

Suprà hoc cap. §.21.

 au-

Digitized by Google

aũt hos octoginta tunc fuiſſe occupatos in ipſo quotidiano miniſterio tẽpli, alioqui nõ potuiſſẽt tã citò ad auxilium Sacerdotis Azariæ cõuolaſſe.

XXV. Denique & hoc animaduerſione dignum eſt, quòd ſcriptores noui Teſtamenti, illi præſertim, qui Hebraicè ſcripſerunt, (nempe ſanctus Matthæus, & ſanctus Paulus) phraſem etiam Hebraicam aliquãdo vſurpauerint, cùm vterentur Hebræa hac voce *chohen*, quæ cùm abſolutè & ſine vllo caſu ponitur, tam Sacerdotem, quàm ſacrificantem promiſcuè ſignificat. Ex quo etiam factum eſt, vt in nonnullis locis noui Teſtamenti vox Sacerdotis obſcuriorem reddat totam ſententiam, quæ longè erit dilucidior, ſi in eius locum ſubſtituatur vox ſacrificantis. Huius rei duo afferemus exempla, vnum ex ſancto Matthæo, aliud ex epiſtola ad Hebræos.

XXVI. Apud S. Matthæum ita legimus: *Non legiſtis in lege, quia ſabbathis Sacerdotes in templo ſabbathum violant, & ſine crimine ſunt?* Quæ ſententia longè clarior erit, ſi ita legatur: *Non legiſtis in lege, quia ſabbathis ſacrificantes in templo ſabbathum violant?* Enimuerò cùm diebus feſtis longè plures hoſtię ſacrificarentur in templo, quã alijs diebus, & idcircò ſacrificãtes boues & oues innumeras mactarent in ipſo templo, hiſque omnibus pelles detraherent, eaſque in multas partes ſecarent, coquerent, comburerẽt, aliaque multa opera planè mechanica, imò lanionum propria exercerent, ſacrificantes ſabbathis in templo violaſſe ſabbathum, euidentiſſimum eſt, quod de Sacerdotibus in genere non eſt ita euidens. Porrò S. Matthæum, qui Hebraicè ſcripſit, vſum eſſe voce Hebræa כהנים chohanim, (quæ abſolutè poſita, vel Sacerdotes ſignificat, vel ſacrificantes) nulli dubium eſſe poteſt,

teſt, cùm ſacra Scriptura Hebræa hac voce vbique vtatur ad ſignificandum Sacerdotes.

In epiſtola ad Hebræos ita loquitur Apoſtolus: *Et omnis quidem Sacerdos præſtò eſt quotidie miniſtrans*: quod obſcuriùs dicitur, cùm dubium nõ ſit multos tunc fuiſſe Sacerdotes legales extra Hieruſalem, qui non miniſtrabant quotidie, verùm ſi loco Sacerdotis ponamus ſacrificantem, quę eſt alia ſignificatio vocis, *chohen*, hunc in modum: *Omnis quidem ſacrificans præſtò eſt quotidie miniſtrans*, ſublata erit omnis difficultas: conſtat enim omnem ſacrificantem quotidie miniſtraſſe in templo: ſacrificantes enim vocabantur illi, qui quotidiè in templo fungebantur ſacerdotio, vt modò diximus §. 24. XXVII. *Heb.* 10. *v.* 1.

Cùm olim in diſputatione quadam vrgerem aduerſarios argumento hoc deſumpto à voce *Chohen*, inuentus eſt tandem vnus, qui cùm Hebræa lingua ſe cæteris præſtare arbitraretur, negauit vocem, *Chohen*, ſequente Lamed, ſigno datiui caſus ſignificare ſacrificantem: & vt hanc ſuã aſſertionem tueretur, produxit locum quemdam libri Iudicum, in quo affirmabat vocem *Chohen* ſequente Lamed, ſignificare Sacerdotem, & non ſacrificantem: locus autem erat Iud. 18. verſu 19. XXVIII *Iudic.* 18. *v.* 19.

Verùm exceptio hæc neque eſt ad propoſitũ, nec quicquam probat. Ad propoſitum quidem non eſt: Nam noſtra diſputatio eſt dumtaxat de illa litera Lamed, quę eſt ſignum datiui caſus; non autem de litera Lamed, quæ non eſt indicium caſus datiui, ſed præpoſitio aliud longè diuerſum ſignificans. Nam & literam Lamed non ſemper eſſe ſignum datiui caſus, ſed ſæpè etiam ſignificare idem quod, *in*, vel, *pro*, norunt omnes Grammatici Hebræi. XXIX.

Porrò

Porrò littera Lamed, cùm bis ponitur poſt cho-
Vide Pagnium lib. 1. Gramm. Hebr. c. 19. hen in eo loco libri Iudicum, & ſimiliter cùm po-
nitur tertiò in fine eiuſdem capitis, nequaquam
eſt ſignum datiui caſus, ſed eſt præpoſitio idem ſi-
gnificans, quod *in*, vt benè animaduertit vulga-
ris noſter Interpres Latinus, qui rectiſſimè ea lo-
Iudic. 18. v. 19. ca ita vertit: *Quid tibi melius eſt, vt ſis Sacerdos in do-
mo vnius viri, an (Sacerdos) in vna tribu & familia in*
Iudic. 18. v. 30. *Iſrael?* Et iterum: *Poſuerunt Ionatham, & filios eius
Sacerdotes in tribu Dan.* Sic dicitur in Pſalmo: *Tu*
Pſal. 109. (vel 110.) v. 4. *es Sacerdos in æternum*, vbi conſtat ex ſententia o-
mnium *Lamed* non eſſe ſignum datiui caſus, ſed
Eſdr. 2. v. 63. & 2. Eſdr. 7. v. 65. idem ſignificare, quod præpoſitio, *in*, apud Lati-
nos. Sic denique in libris Eſdræ, *Sacerdos in doctri-
na & imperfectione*, idem ſignificat, quòd Sacerdos
doctus & perfectus, vt habet noſtra vulgaris Latina
verſio. Verùm hæc omnia loca extra propoſitum
ſunt, cùm in his littera *Lamed* non ſit ſignum da-
tiui caſus.

XXX. Idem planè eſt iudicium de illis Scripturæ lo-
cis, in quibus litera *Lamed* poſt *Chohen* idem valet,
2. Paral. 11. v. 5. quod præpoſitio *pro* apud Latinos, verbi gratia,
quando dicitur in libro 2. Paralip. quòd *Ieroboam*
2. Reg. 10. v. vlt. *conſtituit Sacerdotes pro excelſis*, (vt ad verbum ex
Theod. in illa verba 2. lib. Reg. Hebræo vertit Pagnius) hoc eſt, Ieroboam con-
ſtituit Sacerdotes, qui ſeruirent in excelſis ſeu
templis idolorum. Sic dicitur, *Ira Iairites Sacer-
dos pro Dauide*, quia pro illo ſpeciatim ſacrifica-
bat teſte Theodoreto. Sic etiam ſecundùm ali-
Iudic. 18. v. 19 & 30. quos ſumitur litera *Lamed* in libro Iudicum lo-
cis citatis, vt ſenſus ſit: *Sacerdos pro domo vnius viri.
Sacerdos pro vna tribu & familia. Sacerdotes pro tri-
bu Dan.* Sed cùm in his locis litera *Lamed* non ſit
ſignum datiui caſus, ad noſtrum propoſitum ni-
hil pertinent loca iſta.

Iam

Digitized by Google

Iam verò quòd exceptio illa aduerſariorum deſumpta ex libro Iudicum neque probet quicquam contra noſtram ſententiam, ita oſtendimus. Nihil ſanè prohibet, quò minùs poſſit vox *chohen* in illis locis Iudicum transferri per participium: Imò rectius verti poteſt per participium quàm per nomen: rectius enim ita verti poſſunt loca illa Iudicum, *vt ſit ſacrificans in domo, vel pro domo vnius viri.* Item, *ſacrificans in vna vel pro vna tribu; denique ſacrificantes in tribu, vel pro tribu Dan.* Nam in omnibus his locis ſignificatur quotidianum miniſterium Sacerdotij, quod per participium apertiùs ſignificatur, quàm per nomen; vt ſuprà diximus. XXXI.

Iud. 18. *v.* 19. & 30.

Suprà hoc c. v. 24. & 26.

Quartum hic obſeruãdum in Hebraica phraſi eſt, quòd vbi in vulgari Latina editione habetur participium, *proferens*, in Hebræo ponitur verbum הוציא *Hotſi*, cuius radix ſeu verbũ primitiuum, à quo deſcendit, eſt יצא *Iatsà*, quod ſignificat exire ſeu egredi. Hinc in coniugatione, quam vocant Hebræi *Hiphil*, habet הוציא *Hotſi*, quod ſignificat facere exire, ſeu proferre, aut educere. Verùm iuxta propriam & germanam ſuam acceptionem ſignificat non quouis modo educere, ſed propalàm & publicè, ita vt res educta omnium oculis aut ſenſibus exponatur: atque hinc eſt, quòd ille, qui alium publicè infamat, dicatur *educere malum nomen ſuper eum*, Numerorum decimo quarto, verſu 36. & 37. Deuteron. 22. v. 19. Item in Pſalmo res dicitur educi *tanquam lumen, & tanquam meridies*, nam lumen & meridies omnium oculis ſunt expoſita. Sic Ieremias dicit *Deum educere ventum de theſauris ſuis*: quia ventus ab omnibus ſentitur. Sic denique apud Ezechielem Prophetam eductio rerum, quæ debebat XXXII.

Pſal. 36. (*vel* 37.) *v.* 6.

Ier. 10. *v.* 13.

Ezech. 12. *v.* 4. & 5.

fieri

fieri in conſpectu totius populi, hoc verbo ſignificatur.

XXXIII. Quare iuxta vim & proprietatem Hebraicæ locutionis iſta eductio panis & vini ſignificat, quòd Melchiſedech ita eduxerit panem & vinũ, vt illa etiam toti populo publicè oſtenderet. In eo enim conſiſtebat ratio ſacrificij Melchiſedech (quæ poſita erat in repræſentatione mortis Chriſti, vt ſuprà diximus) quòd panis ſeorſim oſtendebatur, quo repræſentabatur corpus Chriſti, & ſeorſim vinum, quo ſanguis Chriſti repræſentabatur, quibus proinde præſignificabatur violenta mors Chriſti futura per ſeparationem ſanguinis Chriſti à corpore. Quemadmodum & hoc tempore præteritam mortem Chriſti repræſentari per ſpecies externas panis & vini in Sacramento Euchariſtiæ negare non poſſunt noſtri aduerſarij. Imò iſta eductio panis & vini, quam exhibuit Melchiſedech cum publica oſtenſione, non tantùm prænunciabat futuram Chriſti mortem, ſed & illam etiam publicam Sacramenti Euchariſtiæ oſtenſionem, quæ fit toti populo in ſacrificio Miſſæ.

Suprà c. 1. huius controu § 28. & 29.

XXXIV. Adhæc credibile eſt Melchiſedech etiam in hoc ſacrificio vſum eſſe duabus illis agitationibus panis & vini, quæ Hebraicè vocantur טה- תנו & תנופה Tenupha & Teruma, quas diximus adhibitas olim fuiſſe in ſacrificijs incruentis, cuiuſmodi fuit ſacrificium Melchiſedech. Et credibile eſt, quòd etiam combuſſerit partem aliquam panis & vini: nam & olim pars vna ſacrificij incruenti igne comburebatur, vt habetur in Leuitico. Certè panem fractum atque comeſum eſſe, vt vinum potatum, ſaltem ab ipſo Melchiſedech, dubium non eſt: in his autem actionibus con-

Cap. 1. huius contro. § 37.

Leuit. 2. v. 2. 9. & 16.

conſiſtere veram rationem ſacrificij incruenti ſupràoſtendimus. *Suprà cap. 1. huius*

Sed neque ex his ſequitur ſacrificium Melchiſedech, & incruentum legale, nulla in re inter ſe diſcrepare. Nam etſi in generali ratione ſacrificij, quæ conſiſtit in rei deſtructione, ſit ſimilitudo, tamen in hoſtijs, quæ offerebantur, magna erat diſſimilitudo: quia in ſacrificijs legis non offerebatur purus panis, ſed genus quoddam placentæ, in qua cum farina miſcebatur etiam oleũ, thus & alia quædam, vt videre eſt Leuitici 2. verſ. 1. 4. & 5. & Leuitici 7. v. 12. vel offerebatur pura farina nondum cocta, vt Leuit. 5. v. 11. aut certè ſolus panis fermentatus ſine vllo vino, vt Leuitici 23. v. 17. Similiter non offerebatur purum vinum, ſed mixtum cum farina & oleo, vt videre eſt Numerorum 15. verſ. 4. 5. & 7. item c. 28. ver. 5. 7. & 14. Sed Melchiſedech purum panem, & purũ vinum obtulit, & præterea nihil, eodem modo, quo iam offerimus in ſacrificio nouæ legis. *contro. 5. 36. & 39. in fin.* XXXV.

Porrò friuolum omninò eſt illud, quod aduerſarij obijciunt, ſubſtantiam panis & vini in Euchariſtia non remanere ſecundùm noſtram doctrinam, ac proinde noſtrum ſacrificium non habere ſimilitudinem cum ſacrificio Melchiſedech. Nam (vt ſuprà etiam fuſiùs oſtendimus, cùm egimus de tranſſubſtantiatione) interior & recondita ſubſtantia panis & vini, quæ à nullo ſenſu percipi poteſt, nihil omninò pertinet ad rationem Sacramenti, aut ſacrificij, quæ ſunt ſigna viſibilia, ſed ſolæ externæ ſpecies & qualitates, quę videntur, aut ſenſu aliquo percipiuntur, conſtituunt rationẽ & naturam ſigni viſibilis, ſiue in Sacramẽtis, ſiue in ſacrificijs. Iã verò oẽs externæ qua- XXXVI. *Suprà controu. 4. c. 3. § 20. ſeu vlt.*

Digitized by Google

qualitates panis & vini tam verè remanent & apparent in Euchariſtia, quàm ſi remaneret interior ſubſtantia panis & vini. Quare in ratione ſacrificij viſibilis (quæ poſita eſt in exterioribus qualitatibus hoſtiæ, quæ apparent) nullum eſt diſcrimen inter hoſtiam Melchiſedech, & noſtrã Euchariſtiam. Quemadmodum & in antiquis ſacrificijs vitulus viuus, & idem vitulus poſtea mactatus, eadem planè erat hoſtia & eadem victima : nam etſi non remanſerit eadem ſubſtantia interior vituli, (cùm vitulus mortuus non ſit verus vitulus, ſicut neque homo mortuus eſt verus homo) remanſit tamen eadem exterior forma & figura vituli, & propterea vna & eadem hoſtia & victima cenſebatur remanere.

Quintum hic obſeruandum in textu Hebræo
XXXVII. eſt, quòd verbum *Hotſi,* iuxta phraſim Hebræam nunquam ſignificat educere ad comedendum aut bibendum, niſi in eodem loco fiat expreſſa mentio eſus aut potationis, vel certè præter accuſatiuum caſum addatur etiam datiuus caſus huic verbo: exempli gratia, cùm aliquis dicitur educere cibum vel potum alicui, vel aliquibus; ſicut dicitur Numerorum 20. v. 8. & 10. Deuteron. 8. v. 15. item 3. Reg. 17. v. 13. denique 2. Eſdræ 9. v. 15. Verùm quando abſolutè ponitur hoc verbum *Hotſi,* nulla facta mentione eſus aut potationis, cum accuſatiuo tantùm caſu, ſine datiuo, ſignificat tunc educere rem ad ſacrificandum, vt videre eſt Numerorum 19. v. 3. & Iudicum 6. v. 18. Iam verò in tota hac ſententia Geneſeos nulla fit expreſſa mentio eſus aut potationis, nec dicitur Melchiſedech eduxiſſe panem & vinum vlli, ſed tan-

tantùm abſolutè eduxiſſe: quare iuxta Hebraicā phraſim iſta eductio panis & vini non poteſt ſignificare eductionem, quæ fit hominibus ad veſcendum aut bibendum (vt volunt aduerſarij;) ſed potiùs illam, quæ facta eſt ad offerendum ſacrificium Deo.

XXXVIII. Cùm Caluinus videret ſe vrgeri hoc argumēto, egregiam excogitauit impoſturam, qua fucū faceret illis, qui parum in Hebraicis ſunt verſati. Quod ſanè non ex ignorantia illum feciſſe, ſed dedita opera longè probabilius eſt, cùm ille non adeò fuerit ignarus in Hebræis, vt neſciret diſtinguere inter verba, quæ regunt datiuum, & illa, quæ regunt accuſatiuum caſum. Affirmat enim Caluinus verbum Hebræum *Hotſi*, præter accuſatiuum, etiam datiuum regere in hac ſententia; quòd ſtatim in principio ſequentis verſus decimi noni ponatur datiuus caſus, cùm dicitur, *quòd Melchiſedech benedixit illi*, nempe Abrahamo: vult ergo Caluinus ſenſum eſſe, Melchiſedech etiam protuliſſe panem, & vinum illi, nimirum Abrahamo.

Cal. in cap. 14. Gen. ad ver. 18. prope fin.

XXXIX. Verùm hæc mera eſt ludificatio. Nam verbū Hebræum, quod ibi ponitur בּרך *Beràch*, cùm ſignificat benedicere ſeu ſanctificare, regit ſemper accuſatiuum caſum, & nunquam datiuum: quare in Hebræo ad verbum ita habetur, *& benedixit eum.* Hoc autem affixum ſeu pronomen *eum*, cùm ſit accuſatiui, non datiui caſus, nullo modo poteſt referri ad verbum *eduxit*, quoniam tunc ſenſus eſſet, quòd Melchiſedech eduxiſſet non tantùm panem & vinum, ſed etiam ipſum Abrahamum; quo nihil abſurdius dici poteſt. Sed neque hac ratione inueniet vnquam Caluinus datiuum ca-

Digitized by Google

ſum, ſed duos caſus accuſatiuos.

XL. Enimuerò quẽadmodum apud Græcos verbũ εὐλογεῖν, quãdo ſignificat benedicere ſeu sãctificare, regit accuſatiuum. Vnde ad Hebr. 7. verſu 1. de Melchiſedech loquens Apoſtolus dicit, εὐλογήσας αὐτὸν, *benedixit eum*, nempe Abrahamũ. Cum datiuo verò caſu ſignificat gratias agere, vt ſuprà diximus etiam ex Caluino & Beza. Ad eundem modum, quamuis verbum בּרך *Berach*, cùm ſignificat gratias agere, aliquando regat datiuum, ſed rariùs, tamen quando ſignificat benedicere vel ſanctificare, conſtruitur ſemper cum accuſatiuo, vt teſtantur omnes, qui Dictionaria Hebraica ſcripſerunt, etiam Ioannes Forſterus Lutheranus, Mercerus & Ceualerius Caluiniani, quæ Caluinum ignoraſſe non eſt probabile. Conſtat autem verbum *Berach* hoc in loco non ſignificare gratias agere, ſed benedicere ſeu ſanctificare, non enim egit Melchiſedech gratias Abrahamo, ſed illum benedixit, teſte Apoſtolo.

Suprà controu. 6. c. 2. §. 4.

Omnes Hebræi in radice ברך *Barach. Forſterus ibid. Merer. & Ceual. in additionibus ad theſaurum Pagnini, eadẽ radice. Heb. 7. v. 1.*

XLI. Non ignoro in quibuſdam Græcis codicibus non ſatis correctis additum eſſe Græco textui ſeptuaginta Interpretum αὐτῷ, quaſi Melchiſedech Abrahamo attuliſſet panem & vinum. Sed hoc additamentum non extat in correctioribus libris Græcis, vt neque in editione Romana ſeptuaginta Interpretum ſiue Græca, ſiue Latina. In Hebræo autem, aut Chaldęo textu nihil eſt ſimile; quare Hebræus textus apertè probat nulli hominum, ſed Deo ſoli eductum fuiſſe hoc ſacrificium panis & vini: Quamuis ſacrificium hoc poſtea Abrahamo, & alijs etiam diſtributum fuiſſe non negemus, vt paulò antea diximus. Caluinum ſanè haud ſyncerè ex Hebræo datiuum caſum

Hoc ipſo cap. §. 4.

Digitized by Google

ſum accerſiſſe, ſolis luce clarius eſt his, qui vel prima elementa linguæ Hebraicæ deguſtarunt.

XLII. Sextum hic obſeruandum in phraſi hac Hebraica eſt, quòd quamuis litera *Vau*, quæ ponitur in hac ſententia, plerunque ſit particula copulatiua idem ſignificans, quod coniunctio, *Et*, apud Latinos, tamen habet & litera illa alia multa officia apud Hebræos, quæ ad viginti enumerat Pagninus, vt alibi diximus; & inter cætera litera *Vau* ſæpiſſimè eſt particula cauſalis, cauſam vel finem denotans, cuius ſignificationis non pauca exempla aliàs attulimus, ipſorum etiam aduerſariorum teſtimonijs comprobata. Verùm illud hic præcipuè eſt obſeruandum, quòd quando litera *Vau* ſequitur verbum *Hotſi* (quod eſt educere) ſi nulla alia cauſa huius eductionis; aſſignatur, tunc litera *Vau* indicat cauſam & finem illius eductionis; ac proinde in tali ſententia litera *Vau* non eſt copula, ſed cauſalis particula, idem ſignificans, quod apud Latinos *quia*, vel *vt*. Et ratio huius eſt, quòd eductio alicuius rei poteſt fieri propter diuerſas cauſas aut fines, quare niſi explicetur, cuius cauſa res educatur, finis & cauſa eductionis remanebit obſcura & incerta.

Contr.1.c. 7.§.2.
Pagnius lib.1.grammat. Hebr. c.22.23.24.
Cont.2.c. 23.§.4.

XLIII. Extant in Scripturis ſacris varia huius rei exempla, in quibus litera *Vau* poſt verbum *Hotſi* demonſtrat finem & cauſam eductionis: verbi gratia, vbi nos habemus in editione vulgata Latina: *Producite eam* (nimirum Thamar,) *vt comburatur*; Hebraicè ad verbum eſt, Producite eam, & comburatur: optima tamen

Gen.38 v. 24.in fin.

Digitized by Google

eſt verſio noſtri Interpretis, nam litera *Vau* in eo loco ſequitur verbum *Hotſi*, ac proinde demonſtrat cauſam & finem illius productionis, nempe, vt Thamar combureretur. Sic Geneſis 19. verſu quinto Hebraicè eſt ad verbum, *educ eos ad nos, & cognoſcemus eos.* quæ verba optimè vertit noſter Interpres ad hunc modum: *educ eos ad nos, vt cognoſcamus eos.* Et rurſus eodem cap. 19. verſu octauo habetur ſimilis phraſis. Sic quod dicitur Iudicum 6. verſu 30. in Latino textu: *Produc filiũ huc, vt moriatur,* Hebraicè ad verbum eſt, *Educ filium tuum, & moriatur.* vbi litera *Vau* ſimiliter poſt verbum *Hotſi* indicat finem ſeu cauſam eductionis. Similis phraſis habetur Iudicum 19. v. 22. in fine, & iterum eodem cap. v. 24. Atque in alijs quoque innumeris Scripturæ locis.

LXIV. *Gen. 14. v. 18.* Cùm igitur in hoc loco Geneſeos ponatur verbum *Hotſi* ſequente litera *Vau*, nec vlla alia aſſignetur cauſa huius eductionis, neceſſe eſt, vt litera *Vau*, quæ in eodem verſu ſequitur verbum *Hotſi*, oſtendat cauſam & finem huius eductionis. Quare verus & germanus ſenſus horum verborũ eſt iſte, *Melchiſedech eduxit panem & vinum, vt eſſet ſacrificans Deo altiſſimo,* ſeu, *vt ſacrificaret Deo altiſſimo.* Et ſanè cùm nulla aſſignetur alia cauſa eductionis panis & vini in toto contextu huius narrationis, & cauſa atque finis huius eductionis apertè demonſtretur, ſi litera *Vau* ſumatur cauſaliter, quemadmodum ſumi ſolet, cùm ſequitur verbum *Hotſi*, nemo non videt literam *Vau* in hac ſignificatione potiùs eſſe ſumendam, quàm in alia. Superuacaneum namque eſſet & ridiculũ eductionem tam ſolemnem & inſolitam referre, nulla huius eductionis cauſa allata aut declarata, quæ iuxta noſtram interpretationem manifeſtiſſimè

ſimè declaratur.

Hinc etiam perſpicuum eſt, vulgarem noſtrũ Interpretem Latinum rectè vertiſſe hunc locum per particulam cauſalem ad hunc modum: *Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi:* hac enim phraſi declaratur, quòd cauſa eductionis panis & vini fuerit, quòd Melchiſedech erat Sacerdos, & eius propria hoſtia & victima fuerint panis & vinũ. Quare aduerſarij immeritò reprehendũt noſtrũ vulgarẽ Interpretem, quaſi ille à veritate Hebraica aberraſſet, cùm ille verum Hebraicæ literæ ſenſum dilucidiùs dumtaxat declarauerit, literamque *Vau* in hac ſententia non copulatiuè, ſed cauſaliter accipiendam eſſe (quod veriſſimum eſſe docuimus) apertiùs demonſtrauerit. XLV.

Scio aduerſarios comminiſci varias cauſas huius eductionis panis & vini, eaſque valde inter ſe pugnantes; ſed hæ omnes commentitiæ planè ſunt, & ab illis confictæ, vt veram eductionis cauſam, quæ expreſſo Dei verbo declaratur, eludant. Quare cùm hæ omnes ſine vllo ſacræ Scripturæ teſtimonio ab illis afferantur, rectè de illis dici poteſt illud ſancti Hieronymi: *Quia de Scripturis non habent autoritatem, eadem facilitate contemnuntur, qua probantur.* Et ſanè abſonum valdè eſt, & à fidei ſynceritate alieniſſimum cauſam expreſſo Dei verbo nobis propoſitam repudiare, & in eius locum alias cauſas ſubſtituere & ſupponere, quæ à nobis ſine vllo Scripturæ teſtimonio ad noſtrum arbitrium finguntur. XLVI. *S. Hier. in c. 23. Matt ad verſ. 35.*

Ex his, quæ dicta ſunt, tria colligimus contra aduerſarios. Primum eſt, quòd Melchiſedech obtulerit verum ſacrificium Deo. Secundum, quòd ideò eduxerit panem & vinum, vt illa Deo ſacrificaret. Tertium, quòd vulgaris Interpres XLVII.

Digitized by Google

Latinus rectè verterit literam *Vau* per particulam cauſalem *enim*; non autem per copulatiuam, *Et*.

XLVIII Denique adeò eſt aperta & perſpicua Hebraica veritas, vt ipſi etiam Iudæi, & quotquot in Hebræis literis fuerunt benè verſati, agnouerint textum Geneſeos docere Melchiſedech obtuliſſe panem & vinum Deo in ſacrificium. Verba veterum Iudæorum, qui vixerunt ante aduentum Chriſti, prolixè recitant Petrus Galatinus & Genebrardus. Inter quos vnus ita ſcribit, cuius verba etiam adhuc extant in Commentarijs prolixioribus in Geneſin, quæ Iudæi habent in magna autoritate, & ab ipſis vocantur רבא בראשית *Bereſchit Rabbà*. Ita enim ibi ſcribitur capite decimo quarto Geneſ. ad verſum decimum octauum: *Quidnam docet intelligendum eſſe, cùm ait: Eduxit panem & vinum? Rabbi Samuel dixit, Actus* (ſeu ritus) *Sacerdotij tradidit: erat enim ipſe Melchiſedech ſacrificans panem & vinum Deo ſancto & benedicto; ſicut dictum eſt ibidem, Et ipſe ſacrificans Deo altiſſimo.*

Galatin. lib. 10. c. 5. 6. & 7. Genebr. lib. 1. Chronog. in princip. tertiæ ætatis mundi, iuxta poſteriorem editionem.

XLIX. Iudæi etiam, qui poſt Chriſtum vixerunt, idem agnouerunt. Nam Philo Iudæus (qui vixit tempore Apoſtolorum teſte ſancto Hieronymo) in libro de Abraham ſub finem ita ſcribit de Melchiſedech, τὰ ἐπινίκια ἔθυε, id eſt, ſacrificauit ob victoriam; nam, vt agnoſcit Henricus Stephanus, in verbo θύω accuſatiuus, quem regit hoc verbum, interdum non ſignificat id, quod ſacrificatur, ſed finem, propter quem ſacrificatur. Chaldæus quoque Interpres in hoc loco Geneſeos non ponit dictionem כהנא Cahanà, quæ ſignificat Sacerdotem Chaldaicè, ſed ponit participi-

S. Hieron. in catalogo Scriptorum Eccleſ. c. 21. cùm agit de Philone.

ticipium משמש Meſchammeſch, id eſt, *miniſtrans*; quod etiam ponit primo Regum, verſu tertio, & tertio Regum ſecundo, verſu vigeſimo ſeptimo, vt ſuprà diximus. Quare ad verbum ita habetur Chaldaicè: *Protulit panem & vinum, & ipſe miniſtrans coram Deo excelſo*, ſeu, *vt ipſe miniſtraret coram Deo excelſo.* Adhæc ipſe Rabbi Salomon maximus Chriſtianorum hoſtis non poteſt negare hanc fuiſſe ſententiam veterum Rabbinorum. Vide Genebrardum loco citato. Inter ipſos deniquè aduerſarios Theodorus Bibliander Heluetius Zuinglij ſectator fatetur hoc fuiſſe receptiſſimum dogma apud veteres Hebræos; cuius verba extant apud Coccium.

Suprà hoc ipſo cap. 6. 21 & 22.

Cocc. to. 2. Theſau. lib. 6. art. 5. in fine.

Vnum Vatablum obijciunt nobis aduerſarij; ſed mera eſt impoſtura. Nam annotationes illæ Vatabli, quas illi citant, duodecim & amplius annis poſt mortem Vatabli editæ fuerunt Geneuæ à Roberto Stephano, quæ multis in locis deprauatæ fuerunt à Geneuenſibus. Vide Genebrardum libro vltimo Chronographiæ. nam anno 1546. Pariſijs obijt Franciſcus Vatablus. Hunc autem locum, quem citant aduerſarij, ex Geneuenſi editione deprauatum fuiſſe, manifeſtè conſtat ex prima editione Annotationum Vatabli, quæ edita eſt Pariſijs ab eodem Roberto Stephano, vno anno poſt mortem Vatabli, hoc eſt, anno 1547. Nam in editione Pariſienſi ita habetur: *Cùm ait Moyſes, protulit panem & vinum, intellige, vt ſacrificaret, vel vt offerret Deo; nam*, inquit, *erat Sacerdos Deo altiſſimo.* Hactenus verba Vatabli. Hinc videre eſt, quomodo ſoleant aduerſarij deprauare ſcripta Catholicorum; & in locum verorum falſa ſupponere. Nam in editione Geneuenſi poſt multos annos edita, faciunt Vatablum, etiam L.

 poſt

Digitized by Google

poſt mortem, illud negare, quod antea affirmauerat.

CAPVT VI.

In Miſſa offerri verum & proprium ſacrificium, probatur ex Pſalmis, Prophetis, & fidei analogia.

I. SALVATOR noſter, cùm poſt reſurrectionem
Luc.24.v. 44. ſuam apparuiſſet diſcipulis, ita illos allocutus
eſt: *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Quæ in lege Moyſis ſcripta ſunt de Chriſti ſacrificio, & ſacerdotio, oſtendimus præcedenti capite: reſtat, vt hoc capite aliqua attingamus, quæ in Pſalmis & Prophetis de Chriſti ſacrificio & ſacerdotio dicta ſunt.

II. Pſal.109. (vel 110.) v. 4. Hebr.5.v. 6.& 10. Hebr.6.v. vlt.& c 7. v.17.& 21.

In Pſalmis de Chriſto ſcriptum eſt: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternū ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Hoc de Chriſto dictum eſſe, & ab eo impletum apertè docet Apoſtolus varijs in locis. Ex hoc autem Pſalmorū loco duo colligimus argumenta.

III. Primum argumentum. Chriſtus eſt Sacerdos non tantùm ad breue tempus, ſed in æternum, ergo præter ſacrificium crucis, quod vno die peractum eſt, & quod repeti non poteſt; aliud etiam habet Chriſtus æternum ſacrificium, quod perpetuò durat; hoc autem aliud eſſe non poteſt, quàm quotidianum noſtrum Miſſæ ſacrificium, quod teſtatur Apoſtolus ſemper permanſurū vſque ad finem mundi. Nā alioqui ſi morte Chriſti ſub-

1.Cor.11 v. 26.

Digitized by Google

ſublata fuiſſet illi omnis potentia offerendi ſacrificium, morte Chriſti ſublatum planè fuiſſet & extinctum Chriſti ſacerdotium, cùm ſacerdotium nihil aliud ſit, quàm poteſtas offerendi ſacrificium; & conſequenter Chriſti ſacerdotium non fuiſſet æternum, ſed ante mille ſexcentos fere annos morte ſua extinctum.

Quod quidem argumentum ita magis declaratur. Quemadmodum duplex eſt ſacrificij genus, cruentum & incruentum, vt ſuprà ex Scripturis oſtendimus, ita & duplex eſt genus ſacerdotij, cruentum & incruentum. Porrò cruentum Chriſti ſacerdotium morte & reſurrectione Chriſti ſublatum eſt, non enim poterat Chriſtus amplius cruentum offerre ſacrificium, cùm Chriſtus immortalis exiſtens amplius mori non poſſet, Apoſtolo teſte, cùm ait: *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Quare ſi Chriſtus aliud non habuiſſet incruentum ſacerdotium & ſacrificium, quod perpetuò duraret, re vera morte Chriſti ſublatum planè fuiſſet totum Chriſti Sacerdotium; neceſſe eſt igitur, vt fateamur Chriſtum præter ſacerdotium cruentum, quod morte eius finem accepit, aliud habuiſſe, & adhuc habere incruentum Sacerdotium, quod morte eius ſublatum non fuit, neque in æternum auferetur; alioqui enim non erit ſacerdos in æternum, vt prædixit de illo Propheta Dauid. IV.

Cap. 1. huius controu. cap. 34.

Rom. 6. v. 9

Ex his ſequitur aduerſarios, dum negant incruentum hoc & æternum Chriſti ſacerdotium, in tres grauiſsimos errores incidere. Nam primò quidem Chriſtum ſpoliant ſuo æterno ſacerdotio. Secundò conantur totam nouam Chriſti legem abrogare, quia *trāslato*, ſeu mutato, *ſacerdotio* V.

Heb. 7. v. 12.

P 5 neceſ-

Digitized by Google

neceſſe eſt, vt & legis translatio, ſeu mutatio, *fiat*, teſte Apoſtolo. Tertiò, Deum non tantùm mendacẽ, ſed etiam periurum faciunt. *Iurauit Dominus* (inquit Scriptura) *& non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum, &c.* Quod Dei iuramentum valdè vrget Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos.

Pſal. 109. *v.* 4. *Hebr.* 7. *v.* 20. 21. 22.

VI. Patres etiam antiqui quando probant contra Iudæos aut alios Infideles æternitatem ſacerdotij Chriſti, affirmant illam conſiſtere in æternitate incruenti ſacrificij Chriſti, quod perpetuò offertur in Eccleſia ſub ſpeciebus panis & vini ſecundùm ordinem Melchiſedech. Patres, qui ita docent, ſunt hi, Cyprianus, Euſebius Cæſarienſis, Epiphanius, Ambroſius, Auguſtinus, Theodoretus, Arnobius, Primaſius, Euſebius Emiſſenus ſiue Lugdunẽſis, Caſſiodorus, Theophylactus, Oecumenius, Anſelmus: imò ipſimet etiam Rabbini: quorum omnium verba extant apud Bellarminum & Coccium. Nobis hic ſatis erit ſancti Auguſtini verba referre, *quem optimum ex tota antiquitate & fideliſsimum teſtem*, profitetur ipſe Caluinus. Porrò S. Auguſtini verba ſunt iſta: *Quod paulò pòſt dicit* (nimirum Dauid Propheta in Pſalmo 109.) *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, (*quibus verbis immutabile eſſe ſignificat, quod adiungit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*) *ex eo, quòd iam nuſquam eſt ſacerdotium & ſacrificium ſecundùm ordinem Aaron, & vbique offertur ſub ſacerdote Chriſto, quod protulit Melchiſedech, quãdo benedixit Abraham*: quis *ambigere permittitur, de quo & iſta dicantur?* Hactenus S. Auguſtinus. Non eſt igitur ambigendum, ſi S. Auguſtino fidem habeamus, quin verba iſta Pſalm. 109. *Tu es ſacerdos in æternum*, dicta ſint de Chriſto, quatenus ille iuxta ordinem Melchiſedech panis & vini Symbola

Bellar. lib. 1. *de Miſſa, c.* 6. *Cocc. to.* 2. *lib* 6 *art.* 5. *Caluin. lib* 4. *Inſtit. c.* 14. *ſect. vlt. ſub finem.* *S. Aug. to.* 5. *lib.* 17 *c.* 17. *de ciuit. Dei.*

Gen. 14. *v.* 18.

Digitized by Google

bola perpetuò offert in Eccleſia per miniſtros ſuos. Eadem eſt ſententia aliorum omnium Patrum, quos nominauimus. Quare argumentum hoc, quod ex loco iſto Pſalmorum ſumimus, non eſt à nobis excogitatum, ſed ex vnanimi antiquorum Patrum conſenſu acceptum: quod proinde meritò contra Nouatores vſurpat etiam Concilium Trident. *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1.*

VII. Porrò hoc, quod dicit Concilium Tridentinũ (nempe, *quòd ſacerdotium Chriſti morte ipſius extinctum fuiſſet, niſi Chriſtus aliud ſacerdotium & ſacrificium incruentum inſtituiſſet,*) veriſsimum eſſe alio etiam argumento conuincimus: nam extincto ſacerdote ipſo, neceſſe eſt ſacerdotium eius extingui, quia non poteſt accidens ſine ſuo ſubiecto conſiſtere; atqui Chriſtus ipſe eodem die, quo obtulit cruentum ſacrificium, extinctus & mortuus eſt; fuit igitur & eius Sacerdotium cruentum extinctum, ſaltem toto illo triduo mortis Chriſti; quod autem extinguitur & perit, æternum non eſt. Sed neque fuit ratio vlla, cur poſt Chriſti reſurrectionem rediret ſacerdotium Chriſti cruentum, cùm tale ſacerdotium fuiſſet non tantùm otioſum in Chriſto, qui amplius nunquã eſſet moriturus, ſed etiã prorſus contrariũ immortalitati & æternitati Chriſti, cruentum .n. ſacerdotium Chriſti neceſſariò in ſe complectebatur mortem aut certè mortalitatẽ eius, quã cum immortalitate conſiſtere planè erat impoſsibile. At verò incruentum Chriſti ſacerdotiũ nec in triduo mortis Chriſti extinctum fuit, remanſit enim illud in Apoſtolis, quibus Chriſtus illud communicauerat ante ſuam paſsionem in cœna nouiſsima: & vrgens fuit atque neceſſaria ratio, cur iſtud ſacerdotium rediret poſt CHRISTI reſurrectio-

rectionem cum cæteris Chriſti donis, nimirum vt Chriſtus eſſet in æternum ſacerdos non otioſus, ſed iugiter pro nobis ſacrificans corpus & ſanguinem ſuum incruento modo, qui immortalitati Chriſti nulla ex parte aduerſatur.

VIII. Supereſt vt videamus, quid ad hæc reſpondeāt aduerſarij, qui cùm non poſsint vno modo ſolidè reſpondere, diuerſa quærunt non tam reſponſa, quàm diuerticula. Nonnulli dicunt Chriſtum eſſe ſacerdotem in æternum, quia ſemper viuit; & vt hoc ignaris perſuadeant, afferunt verba illa Apoſtoli: *Chriſtus eò, quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.* Verùm friuola admodum eſt iſta reſponſio; nam etſi neceſſarium ſit ad æternum ſacerdotium, vt ſacerdos ſemper viuat, & proinde optimè probet Apoſtolus Sacerdotes veteris legis non habuiſſe æternum ſacerdotiũ, *propterea, quòd morte prohiberentur permanere*: Chriſtum verò propterea, quòd maneat in æternum, ex hac parte nullum habere impedimentum, quò minùs habeat æternum ſacerdotium: tamen perſpicuum eſt, quòd vita æterna ſatis non ſit, vt quis habeat æternum ſacerdotium. Nam ad æternum ſacerdotium duo ſunt omninò neceſſaria; alterũ eſt, vt ſacerdos ſemper viuat; alterum vt ille, qui ſemper viuit, habeat verum ſacerdotium & illud non amittat; alioqui enim ſolam vitam æternam ſine vero ſacerdotio non ſatis eſſe ad æternitatem ſacerdotij manifeſtum eſt in Deo Patre, in Deo Spiritu Sancto, in Angelis, & omnibus Beatis.

Heb. 7. v. 24.

Heb. 7. v. 23.

IX. Vbi & hoc quoque obiter eſt obſeruandum, quòd S. Paulus cùm ex æternitate Chriſti probat eius ſacerdotium eſſe æternum, non loquatur de cruento ſacerdotio Chriſti; ſed de incruento,

quo

quo iam quotidie offert Chriſtus ſeipſum ſub ſpeciebus panis & vini ſecundùm ordinem Melchiſedech. Nam cùm Chriſtus obtulit ſe in cruce, nondum erat æternus & immortalis; ſed iam in cœlis Chriſtus eſt æternus & immortalis, cùm perpetuò offert ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech per ſuos Miniſtros in terris. Et hac ratione verum eſt, quod ait Apoſtolus: *Chriſtum* Hebr. 7.
eò, quòd æternus ſit, habere ſempiternum Sacerdotium: v. 24.
neque enim cùm in cruce eſſet, æternus aut immortalis adhuc fuerat; quandoquidem eodem die morte ſublátus eſt, nó ſecùs quàm ſacerdotes legis, *qui morte prohibebantur permanere*; ſed iam Heb. 7.
poſt reſurrectionem ſuam manet in ęternum im- v. 23.
mortalis, dum offert ſacrificium incruentum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Hoc igitur, quod dicit Apoſtolus: *Chriſtum eò, quòd maneat in* Heb. 7.
æternum, ſempiternum habere ſacerdotium, de ſacer- v. 24.
dotio incruento ſecundùm ordinem Melchiſedech intelligendum eſt, non de cruento Chriſti ſacerdotio.

X. Alij reſpondent Chriſtum ideò eſſe ſacerdotem in æternum, quòd ſemper interpellet pro nobis, citantque illa Apoſtoli verba: *Semper vi-* Heb. 7.
uens ad interpellandum pro nobis. Verùm nec ſatiſ- v. 25.
facit hæc reſponſio: duplex eſt enim interpellatio: vna verbalis dumtaxat, quæ à quouis, etiam non ſacerdote, fieri poteſt, quare hæc non probat Chriſtum eſſe ſacerdotem, ſed tantùm eſſe interceſſorem, aduocatum, aut interpellatorem. Alia eſt interpellatio ſacerdotalis, quæ fit per oblatio- Exodi 30.
nem ſacrificij, quo peccata expiantur: Nam ſacer- v. 10.
dotes legis dum offerrent ſacrificia pro peccatis, Leuit. 4. v.
ſolebant etiam Deum interpellare pro peccatis, 20. 26. 31. &
vt videre eſt in Exodo & Leuitico. Et iſta inter- 35. & Leuit.
16. *ſæpe.*

pella-

pellatio Hebraicè vocatur כפר Cippur, id eſt; expiatio ſeu propitiatio pro peccatis. Hinc dies expiationum nomen acceperunt Leuitici 23. verſ. 28. & Leuit. 25. verſ. 9. Et ex hac interpellatione ſacerdotali, non autem ex illa ſola verbali, probat Apoſtolus Chriſtum habere ſempiternum ſacerdotium; neq; enim ſeparanda eſt interpellatio Chriſti ab eius ſacerdotio.

XI. *1. Ioan. 2. v. 1. & 2.* Atque hinc eſt, quòd S. Ioannes dicat, Chriſtum non tantùm *eſſe aduocatum noſtrum apud Patrem*, ſed *etiam propitiationem pro peccatis noſtris*, hoc eſt, ſacrificium propitiatorium, iuxta phraſim Hebraicam, & ſignificationem verbi כפר Cipper, quod ſignificat expiare peccata ſeu propitiare pro peccatis: idque agnoſcunt tam Caluinus, quam Beza. *Caluin. in 1. epiſt. Ioan. c. 2. v. 1. & 2.* Caluini verba ſunt: *Additur propitiatio, quia nemo abſque ſacrificio idoneus eſt Pontifex, itaq; ſub lege nunquam ſanctuarium ingrediebatur ſacerdos niſi præeunte ſanguine; & victima in precibus quaſi ſolemne ſigillum ſolebat ex Dei inſtituto adhiberi, quo ſymbolo teſtatum eſſe Deus voluit, vt quis gratiam nobis impetret, oportere inſtructum eſſe ſacrificio.* Ita Caluinus. *Beza in c. 2. epiſt. 1. Ioan. ad v. 1. in annotationibus anni 1565.* Beza verò in hunc modum: *Qui deprecandi munus à ſacerdotio Chriſti diuellunt, ij planè neſciunt, neque quis ſit Deus, neque quid Chriſtus, denique nihil minus quàm ſeipſos norunt.* Hæc Beza. Sed idem Beza verba iſta prorſus abſtulit in vltima editione ſuarum Annotationum anno 1598. fortaſſe, quòd animaduerteret ſe ſuoſque huius criminis conſcios eſſe; Nam re vera nulli magis diuellunt CHRISTI deprecandi munus à ſuo ſacerdotio, quàm aduerſarij, qui affirmant CHRISTVM quotidie vti munere deprecandi pro nobis, ſed à mille & ſexcen-

ſexcentis ferè annis nunquam vſum eſſe ſacerdotio, imò nec vti potuiſſe.

Sed quicquid tandem dicat Beza, Apoſtolus Paulus manifeſtè docet præter nudam verbalem interpellationem, *neceſſe eſſe ſacerdotem habere aliquid, quod offerat,* idque etiam in ipſo Chriſto locum habere: In cœlis autem nullum eſſe ſacrificium proprium & ſpeciale, ſed tantùm generale & improprium, agnoſcunt omnes; & euidenter probat Bellarminus; ſaltem non eſſe ibi ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech, (de quo ſolo hic agimus) perſpicuum eſt. Et ſanè ſacramenta, ſacrificia & cætera huiuſmodi ſigna, quæ imperfectionem in ſe includunt, non eſſe in cœlis, manifeſtius eſt, quàm vt probatione indigeat. Reſtat igitur, vt Chriſtus vel omni ſacrificio priuetur, priuatuſque fuerit iam à mille & ſexcẽtis ferè annis, vel certè, quòd præter verbalem ſolam interpellationem habuerit etiam in terris ſacrificium hoc ſecundùm ordinem Melchiſedech. XII. *Heb 8. v.3.* *Bellar. lib. 1. de Miſſa, c.6. in fine.*

Alij dicunt ſacerdotium Chriſti eſſe ęternum, quia virtus illius ſemper manet, etſi Chriſtus ſemel tantùm obtulerit ſacrificium. Verùm & hæc quoque reſponſio infirma eſt. Nam aliud eſt rem ipſam manere, aliud eius virtutem; alioqui ſi ad hoc, vt res ipſa permaneret, ſatis eſſet, quòd virtus ſeu effectus illius remaneret, Chriſtus rectè diceretur perpetuò incarnari, perpetuò naſci, perpetuò mori, perpetuò reſurgere à mortuis, nam virtus incarnationis, natiuitatis, mortis & reſurrectionis CHRISTI perpetuò manet. Imò virtus paſsionis Chriſti fuit ab initio mũdi in omnibus electis, & ita conſequens eſſet, Chriſti ſacerdotiũ fuiſſe à principio mũdi: at verò XIII.

Apo-

Heb.7.v.11.& 28. Heb.8.v.7.& 13. Apoſtolus apertè teſtatur ſacerdotium Chriſti incepiſſe poſt Sacerdotium Aaronicum. Certè nó aliter eſſet iam Chriſtus ſacerdos, quàm erat, antequam fuiſſet natus, vel fuiſſet, etſi nondum eſſet incarnatus, cùm ante eius incarnationem vis ac virtus paſsionis Chriſti in omnibus electis operaretur. Non ſatis eſt igitur, vt res dicatur manere, quòd ſola eius virtus remaneat.

XIV. *Gen 8.v.21.& 22.* Adhæc, ſi ex eo, quòd duret effectus ſacrificij, ſequeretur ipſum ſacrificium durare: ſacrificium illud, quod obtulit Noe, & quo impetrauit à Deo, ne tota terra ampliùs diluuio periret, rectè diceretur adhuc durare, & duraturum etiam vſque ad finem Mundi, nam virtus illius adhuc durat, durabitque vſque ad conſummationem ſæculi, quæ omnia ſunt planè abſurda.

XV. Alij denique cùm non habeant aliud, quod reſpondeant ad noſtra arguméta, obijciunt ſaltem, quòd Chriſtus non poſsit vocari ſacerdos in æternum ratione ſacrificij Miſſæ, quia Miſſæ ſacrificium non durabit in æternum; non enim durabit poſt diem Iudicij & finem mundi. Sed huic argumento duobus modis ſatisfacere poſſumus. Primò, ſi dicamus vocem Hebraicam, qua vtitur Dauid Propheta, nempe לעולם *Leolàm*, non ſignificare æternitatem alterius vitę, ſed totam vitam præſentem, vſque ad diem iudicij, quomodo ſæpè ſumitur in Scriptura. Nam ex varijs Scripturæ teſtimonijs probant S. Hieronymus & Galatinus vocem, עולם *Olàm* non ſemper ſignificare ęternitatem, ſed tempus diuturnum. Et quamuis *Olàm* ſignificaret æternitatem, tamen vox *Leolàm*, qua vtitur Propheta Dauid, rectè poteſt ſignificare, *vſque ad æternitatem*, vel *donec veniat æternitas*. Id enim ſæpe ſignificat litera *Lamed* adiecta principio

S. Hieron. tom.2.in c.26.Ezech. ad verſ. vlt.& to.3. in cap.1.ad Galat.ad verſ.4. Galat.lib.11.c.5.

cipio

cipio huius vocis *Olam.* Sic teſte S. Hieronymo, *S. Hier. in*
Exodi 21. verſu 6. vbi vox *Olam* ſignificat Iubi- *Epiſt. ad*
læum, *Leolam* ſignificat vſque ad Iubilæum, vel *Galat. loco*
donec veniat Iubilæum. Ad eundem modum *cit.*
cùm hic dicitur, *Tu es ſacerdos in æternum*, rectè ita *Pſal. 109.*
exponi poterit: *Tu es ſacerdos vſq; ad æternitatem,* *v. 4.*
vel, *donec veniat æternitas*, ſeu, vt loquitur Apoſto-
lus, *donec Chriſtus venerit.* *1. Cor. 11.*

v. 26.

Secundò reſpondeo. Libẽter agnoſcimus Chri- XVI.
ſtum eſſe ſacerdotem in æternum abſolutè, & ſine
vlla æternitatis limitatione, habereq; ſacerdotiũ
in æternum & vltrà, (vt habet phraſis Hebraica) *Exodi 15.*
לערלם-רעד *Leolám, Vaéd*, quam phraſim ſigni- *v. 18.*
ficare æternitatem tam huius vitæ quàm futuræ *Pſal. 9.*
agnoſcunt omnes Hebræi, teſte Galatino. Verùm *v. 6.*
ſacerdotium hoc Chriſti æternum, & à quo Chri- *Pſal. 144.*
ſtus dicitur ſacerdos in æternum, non eſt cruẽtũ *(vel 145.)*
Chriſti ſacerdotium, ſed incruentum. Duo enim *v. 1. & 2.*
conſiderari poſſunt in ſacerdotio Chriſti, nimirũ *Galat. c. 5. cit. in fine.*
poteſtas ſacrificandi, & executio huius poteſtatis,
quæ eſt ipſum miniſterium ſeu actus ſacrificandi:
conſtat autem actum ſacerdotij non eſſe de eſſen-
tia ſacerdotij, ſed totam naturam & eſſentiam ſa-
cerdotij conſiſtere in potentia ſeu poteſtate ſacri-
ficandi: alioqui enim ſacerdotes legis Moſaicæ,
quando dormiebant, vel actu non ſacrificabant,
non fuiſſent ſacerdotes, quod nemo rectè dixerit.

Chriſtus autem duplicem accepit poteſtatem XVII.
ſacrificandi ſeipſum, & conſequenter duplex ſa-
cerdotium; nam accepit poteſtatem ſacrificandi
ſeipſum modo cruento in ara crucis, idque ſemel
dumtaxat, cùm adhuc eſſet mortalis: & accepit et-
iam poteſtatem ſacrificandi ſeipſum modo incru-
ento iuxta ritum & ordinem Melchiſedech, idq;
ſæpius, imò perpetuò, vſque ad finem mundi.

Q Vtram-

Digitized by Google

Vtramque hanc poteſtatem accepit Chriſtus in primo inſtanti conceptionis ſuæ vi vnionis hypoſtaticæ; ſed cruentum Chriſti ſacerdotium morte eius ſublatum fuit, nam morte Chriſti non tantùm ceſſauit actus huius cruenti ſacrificij, ſed etiam omnis potentia ſacrificandi cruento modo. Enimuero quemadmodum actus huius cruenti ſacrificij includebat neceſſariò actualem & pręſentem mortem Chriſti, ita potentia ſacrificandi cruento modo neceſſariò includit potentiam moriendi, quæ veriùs eſt impotentia. Quare potentia ſacrificandi modo cruento pugnat planè cum immortalitate, quam iam habet Chriſtus in cœlis. At verò potentia ſacrificandi incruento modo nulla ex parte aduerſatur immortalitati aut æternitati Chriſti, imò cum illa optimè cohæret: quare dubitandum non eſt, quin iſta perpetuò in Chriſto remaneat, etiam poſt diem iudicij.

XVIII. Verum quidem eſt actum ſacerdotij incruenti, quem iam in terris exercet Chriſtus per ſuos miniſtros in ſacrificio Miſſæ, ceſſaturum poſt diem iudicij, quemadmodum etiam poſt diem iudicij non amplius baptizabit Chriſtus, nec confirmabit, nec conſecrabit, nec ordinabit, nec remittet peccata; horum tamen omnium actuum poteſtas in Chriſto remanebit in æternum & vltrà.

XIX. Cur autem actus Sacerdotij incruenti Chriſti non maneant poſt diem iudicij, duplex eſt ratio. Prior eſt, quia fieri non poſſunt ſine ſignis & figuris; & conſequenter niſi imperfectionem aliquam in ſe neceſſariò includunt, at in cælis abeſt omnis imperfectio: & hæc eadem ratio locum habet in omnibus alijs ſacramentis nouæ legis. Poſterior

ratio

ratio eſt, quia præcipuus finis & vſus actionis ſacerdotalis eſt offerre pro obtinenda peccatorum remiſſione, vt teſtatur Apoſtolus; atqui poſt diē iudicij ceſſabit omnis remiſſio peccatorum; quare ceſſabit quoque omnis oblatio pro peccatis, vt rectè colligit idem Apoſtolus, cùm ait: *Vbi horum* (nimirū peccatorum) *eſt remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato.* Verùm quia actus ſacerdotij non eſt de eſſentia ſacerdotij, ſed poteſtas dumtaxat, quamuis actus ſacerdotij incruenti non remanſurus ſit poſt diem iudicij, tamen poteſtas ſacrificandi incruento modo, quę integra & illæſa in Chriſto perpetuò manet; ſufficit, vt Chriſtus dicatur ſacerdos in æternum, & habere ſempiternum ſacerdotium in æternum & vltrà. *Heb. 5. v. 1.* *Heb. 10. v. 18.*

XX. Ex his itaque omnibus duo colligimus. Primum eſt, quòd Chriſtus maneat ſacerdos non tātùm vſq; ad finē mundi, ſed etiam in omnē æternitatem. Alterum eſt, quòd æternum ſacerdotium Chriſti ſit ſacerdotiū incruentū, non autē cruentū; atq; hinc eſt, quòd Propheta Dauid vbi dixiſſet: *Tu es ſacerdos in æternum,* ſtatim adiunxit, *ſecūdùm ordinem Melchiſedech,* hoc eſt, ſecundùm ſacerdotium tuum incruentum: Quare qui negant incruentum hoc ſacrificium Chriſti, negant rē vera æternitatem Sacerdotij Chriſti.

XXI. Secundum argumentum, quod deſumimus ex his verbis Pſalmi, eſt huiuſmodi: Chriſtus non tantùm eſt ſacerdos in æternum, ſed etiam eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſeu ſecundùm ritum & ſimilitudinem Melchiſedech, vt interpretatur Apoſtolus: atqui ritus ſacerdotij Melchiſedech in eo præcipuè conſiſtebat, quòd Melchiſedech non vteretur ſacrificio vllo cruento, vt ſacerdotes legis naturalis & Moſaicæ, *Heb. 7. v. 15.*

Vtramque hanc poteſtatem accepit Chriſtus in primo inſtanti conceptionis ſuæ vi vnionis hypoſtaticæ; ſed cruentum Chriſti ſacerdotium morte eius ſublatum fuit, nam morte Chriſti non tantùm ceſſauit actus huius cruenti ſacrificij, ſed etiam omnis potentia ſacrificandi cruento modo. Enimuero quemadmodum actus huius cruenti ſacrificij includebat neceſſariò actualem & præſentem mortem Chriſti, ita potentia ſacrificandi cruento modo neceſſariò includit potentiam moriendi, quæ veriùs eſt impotentia. Quare potentia ſacrificandi modo cruento pugnat planè cum immortalitate, quam iam habet Chriſtus in cœlis. At verò potentia ſacrificandi incruento modo nulla ex parte aduerſatur immortalitati aut æternitati Chriſti, imò cum illa optimè cohæret: quare dubitandum non eſt, quin iſta perpetuò in Chriſto remaneat, etiam poſt diem iudicij.

XVIII. Verum quidem eſt actum ſacerdotij incruenti, quem iam in terris exercet Chriſtus per ſuos miniſtros in ſacrificio Miſſæ, ceſſaturum poſt diem iudicij, quemadmodum etiam poſt diem iudicij non amplius baptizabit Chriſtus, nec confirmabit, nec conſecrabit, nec ordinabit, nec remittet peccata; horum tamen omnium actuum poteſtas in Chriſto remanebit in æternum & vltrà.

XIX. Cur autem actus Sacerdotij incruenti Chriſti non maneant poſt diem iudicij, duplex eſt ratio. Prior eſt, quia fieri non poſſunt ſine ſignis & figuris; & conſequenter niſi imperfectionem aliquam in ſe neceſſariò includunt, at in cælis abeſt omnis imperfectio: & hæc eadem ratio locum habet in omnibus alijs ſacramentis nouæ legis. Poſterior ratio

ratio eſt, quia præcipuus finis & vſus actionis ſacerdotalis eſt offerre pro obtinenda peccatorum remiſsione, vt teſtatur Apoſtolus; atqui poſt diẽ iudicij ceſſabit omnis remiſsio peccatorum; quare ceſſabit quoque omnis oblatio pro peccatis, vt rectè colligit idem Apoſtolus, cùm ait: *Vbi horum* (nimirũ peccatorum) *eſt remiſsio, iam non eſt oblatio pro peccato.* Verùm quia actus ſacerdotij non eſt de eſſentia ſacerdotij, ſed poteſtas dumtaxat, quamuis actus ſacerdotij incruenti non remanſurus ſit poſt diem iudicij, tamen poteſtas ſacrificandi incruento modo, quę integra & illæſa in Chriſto perpetuò manet, ſufficit, vt Chriſtus dicatur ſacerdos in æternum, & habere ſempiternum ſacerdotium in æternum & vltrà.

Heb. 5. v. 1.

Heb. 10. v. 18.

XX. Ex his itaque omnibus duo colligimus. Primum eſt, quòd Chriſtus maneat ſacerdos non tãtùm vſq; ad finẽ mundi, ſed etiam in omnẽ æternitatem. Alterum eſt, quòd æternum ſacerdotium Chriſti ſit ſacerdotiũ incruentũ, non autẽ cruentũ; atq; hinc eſt, quòd Propheta Dauid vbi dixiſſet: *Tu es ſacerdos in æternum*, ſtatim adiunxit, *ſecũdùm ordinem Melchiſedech*, hoc eſt, ſecundùm ſacerdotium tuum incruentum. Quare qui negant incruentum hoc ſacrificium Chriſti, negant rẽ vera æternitatem Sacerdotij Chriſti.

XXI. Secundum argumentum, quod deſumimus ex his verbis Pſalmi, eſt huiuſmodi: Chriſtus non tantùm eſt ſacerdos in æternum, ſed etiam eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſeu ſecundùm ritum & ſimilitudinem Melchiſedech, vt interpretatur Apoſtolus: atqui ritus ſacerdotij Melchiſedech in eo præcipuè conſiſtebat, quòd Melchiſedech non vteretur ſacrificio vllo cruento, vt ſacerdotes legis naturalis & Moſaicæ;

Heb. 7. v. 15.

ſed incruentò dumtaxat modo ſacrificabat ſub formis viſibilibus panis & vini; debebat igitur Chriſtus incruento modo ſacrificare ſub panis & vini viſibilibus formis, alioqui non fuiſſet ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech: hoc verò Chriſtum feciſſe in cœna nouiſsima iam oſtendimus. Tota vis iſtius argumenti in eo poſita eſt, quòd Melchiſedech ſacrificarit ſub formis viſibilibus panis & vini: id quod præcedenti capite abundè probauimus.

Cap 2. huius controuerſiæ.

XXII. Quod verò attinet ad ſimilitudinem, quæ eſt inter Chriſtum, & Melchiſedech, illud quoque obſeruandum eſt, quòd fini vocis Hebraicæ, quæ ſignificat iſtam ſimilitudinem, additur præter conſuetudinem litera *Iod*, in Hebræo enim non eſt, דִבְרַת *Dibràt*, ſed, דִבְרָתִי *Dibrati*. Porrò cùm in Hebræo ſermone fini dictionis additur *Iod* iſtud paragogicum, ſignificatur plenitudo & perfectio illius rei. Duo huius rei exempla habentur in eodem verſiculo libri Geneſeos: nam ibi vox *furti*, cui bis additur, *Iod*, ſignificat omne prorſus, quod furto ſublatum fuit, vt benè intellexit noſter vulgaris interpres Latinus, qui hunc locum vertit per vniuerſalem particulam, *quicquid furto peribat*. Sic alibi in Pſalmis litera *Iod* fini dictionis adiecta ſignificat perfectam Dei habitationem in cœlis. Hoc igitur in loco eadem litera *Iod* adiecta ſignificat perfectiſsimam & pleniſsimam ſimilitudinem eſſe inter Chriſtum & Melchiſedech. Atque hinc eſt, quod Apoſtolus tantopere vrgeat hâc ſimilitudinem, & tam multis verbis eam declarat, etiam in his, quæ non exprimũtur in Geneſi, ſed tantummodo tacentur. Cùm igitur Propheta Dauid addendo literam *Iod*, & Apoſtolus ad Hebræos tot verbis declarat perfectiſsi-

Geneſ. 31. v. 39. in fine.

Pſal. 122. (vel 123.) verſ. 1.

Hebr. 7. v. 2. 3. & 4.

ctiſsimam illam ſimilitudinem, quæ eſt inter Chriſtum & Melchiſedech etiam in his, quæ non exprimuntur in Geneſi, dubitandum non eſt, quin in ſacrificio iſto Melchiſedech, quod apertè exprimitur in Geneſi, fuerit etiam ſimilitudo inter Chriſtum & Melchiſedech.

Sed obijciunt hic rurſus aduerſarij. Apoſtolus ad Hebræos cap. 7. multa affert de ſimilitudine iſta inter Chriſtum & Melchiſedech, ſed de ſacrificio panis & vini nihil dicit. Verùm opus non eſt, vt prolixi ſimus in reddenda ratione, cur de hac re nihil dixerit Apoſtolus; nam ipſemet Apoſtolus hoc onere nos liberauit, qui vbi primùm intulit ſermonẽ de Melchiſedech, apertè profitetur multa de Melchiſedech latere myſteria, quorum Hebræi capaces non erant, cùm ita ſcribit: *De quo* (nempe Melchiſedech) *nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Non quia Apoſtolus non poterat* (inquit S. Hieronymus) *id interpretari, ſed quia illius temporis non fuit: Hebræis enim, id eſt, Iudæis perſuadebat, non iam fidelibus, quibus paſſim proderet ſacramentum.* Ita S. Hieronymus, qui addit omnes veteres ſcriptores ſimiliter ſenſiſſe hoc eſſe myſterium, quod noluerit Iudæis prodere Apoſtolus, citatque nominatim pro hac ſententia Hippolytum, Irenæum, Euſebium vtrumq; Cæſarienſem & Emiſſenum, Apollinarium & Euſtachium, ſtrenuum oppugnatorem Arrij. Et ſanè nihil attinuit hoc tam altum myſterium Iudæis prodere, qui *ne prima quidẽ fidei elementa* ſatis intellexerant, vt ibidem teſtatur Apoſtolus, cũ hoc myſterium nec Catechumenis ipſis in Chriſtum credentibus olim proderetur propter myſterij profunditatem. Tritum enim eſt illud S. Augu-

XXIII.

Heb. 5. v. 11.

S. Hier. to. 1. epiſt. 126. ad Euagrium.

Hebr. 5. v. 12.

ſtini: *Neſciunt Catechumeni, quid accipiant Chriſtiani* & paulò ſuper ìis, *Interrogemus Catechumenum: Manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis? neſcit quid dicimus.*

S. Aug. to. 9. in Euang. S. Ioan. tract. 11.

XXIV. Imò ſilentium Apoſtoli euidenter probat magnum latére myſterium in eo, quòd Melchiſedech protulerit panem & vinum. Nam ſi iſta prolatio panis & vini fuiſſet ad inſtruendum dumtaxat conuiuium profanum, vt volunt aduerſarij, facilè id potuiſſet Apoſtolus declarare; facilè enim erat Apoſtolo laudare hoſpitalitatem Melchiſedech; ſed quia Apoſtolus videbat in his verbis latére tantum myſterium, quantum capere nō poterant Iudæi, idcircò omiſit, quod explicare non conueniebat. Et ſanè præter hoc myſterium Euchariſtiæ (quod olim ipſos etiam Catechumenos celabant Patres, & quod ipſi aduerſarij adhuc capere non poſſunt) nihil vnquam demonſtrare poterunt aduerſarij in factis Melchiſedech, quod ſit inexplicabile.

XXV. Ex Prophetis aliud habemus præclarum teſtimonium de ſacrificio Miſſæ, quod etiam antiqui Patres frequenter obijciunt ipſis Iudæis. Prophetia hæc extat apud Malachiam Prophetam, quæ talis eſt: *Non eſt mihi voluntas in vobis,* (Iudæis ſcilicet) *dicit Dominus exercituum: & munus (Hebraicè* מנחה *Minchà) non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio (Hebraicè Mincha) munda; quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituū.* Patres qui docent hanc oblationem mundam, quæ vbique inter gentes offertur, eſſe noſtrum ſacrificium Euchariſtiæ, ſunt iſti, S. Marcus Euangeliſta in ſua Liturgia, S. Clemens Roma-

Malach. 1. v. 10. & 11.

Romanus, cuius meminit S. Paulus, S. Martialis, S. Iuſtinus Martyr, S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus, Euſebius Cæſarienſis, S. Chryſoſtomus, S. Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, S. Ioannes Damaſcenus, S. Auguſtinus. Quorum omnium verba extant apud Bellarminum & Coccium. *Paul. ad Phil. 4. v. 3. Bellar. li. 1. de Miſſa c. 10 Cocc. to. 2. lib. 6. art. 6.*

Sed veriſsimum eſt, quod ſcribit S. Auguſtinus contra Iudæos diſputans: *Prophetiam hanc adeò perſpicuè non tantùm prædictam eſſe, ſed & impletam, vt Iudæos ipſos Propheticæ ſententiæ reſpondere non permittat. Denique non alia probatione hic opus eſſe, quàm vt Iudæi aliquando aperiant oculos ſuos, & videant iam fieri, quod olim prædictum fuit.* XXVI. *S. Aug to. 6. in oratione contra Iudæos, c. 9.*

Porrò hoc ipſum & nos iam aduerſarijs dicere poſſumus. Nam duo prædixit Propheta. Alterum, omnia Iudæorum ſacrificia abolenda eſſe, quod alia probatione non indiget, quàm vt homines aperiant oculos ſuos, & videant nullum eſſe iam apud Iudæos ſacrificium. Alterum, quod prædixit Propheta, eſt, quòd inter gentes ab ortu ſolis vſque ad occaſum offeretur Deo oblatio, ſeu Mincha, munda. Et hoc ſecundum tam manifeſtum eſſe, quàm illud prius, omnibus veritatem intuentibus, docet S. Auguſtinus. XXVII.

Et certè ſi vnquam vera fuit iſta prophetia, illa iam maximè veritatem habet: nam hac noſtra ætate Sacerdotes Romanæ Eccleſiæ ab ortu Solis vſque ad occaſum offerunt Deo hanc *Mincham*, id eſt, incruentam oblationem. Neque enim in ſola Europa, Africa, aut Aſia, ſed & extra & vltra Aſiam Orientem verſus in Iaponia, & alijs varijs inſulis; & rurſus verſus Occidentem vltra Europam, & Africam, in America alijſque terris recẽs inuentis quotidie offerunt hoc ſacrificium. Imò XXVIII.

Digitized by Google

non pauci etiam inuenti ſunt, qui ab Oriente in Occidentem,& contrà, nauigarunt vniuerſum terræ globum circumeuntes; vt veriſsimè iam dici poſsit,ac ſine vlla exaggeratione, ab ortu ſolis vſque ad occaſum hanc *Minchan* ſeu incruentam oblationẽ Deo offerri. Quare alia probatione hic opus non eſt,quàm vt aduerſarij oculos mentis aperiant; videbunt enim idem ſacrificium incruentum ſecundùm ordinem Melchiſedech ab ortu planè Solis vſq; ad occaſũ inter gentes offerri.

Sanè S. Auguſtinus cùm hæc Malachiæ verba
XXIX. aliquando contra Iudæorum perfidiam in medium adduxiſſet, his verbis eos eſt allocutus,quæ non minùs in noſtros aduerſarios; quàm in Iudæos quadrant: *Quid ad hæc reſpondetis? aperite oculos tandem aliquando, & videte ab Oriente ſole vſq; ad Occidentem, non in vno, ſicut vobis fuerat conſtitutum, ſed in omni loco offerri ſacrificium Chriſtianorum:non cuilibet Deo, ſed ei,qui iſta prædixit, Deo Iſrael.* Et paulò pòſt: *Scrutamini ſcripturas,ipſæ teſtimonium perhibent de ſacrificio mũdo,quod offertur Deo Iſrael,non ab vna gente veſtra,de cuius manibus non ſe accepturũ prædixit,ſed ab omnibus gentibus,quæ dicunt: Venite aſcendamus in montem Domini: nec in vno loco, ſicut vobis præceptum erat in terrena Hieruſalem,ſed in omni loco vſq; in ipſam Hieruſalem; nec ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech. Chriſto enim dictum eſt, & de Chriſto tantò antè prædictum eſt: Iurauit Dominus,& non pœnitebit eum tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinẽ Melchiſedech.* Et alibi,cùm citaſſet eadem verba Malachiæ, ſtatim addit: *Hoc ſacrificium per ſacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech cùm in omni loco à ſolis ortu vſque ad occaſum Deo iam videamus offerri; ſacrificium autem Iudæorum,quibus dictum eſt: Non eſt mihi*

S. Aug. to. 6. in orat. contra Iudæos cap. 9.

Iſai. 2. v. 1.

Pſal. 109. v. 4.

S. Aug. to. 5. lib. 18. de ciuit. Dei, c. 35.

mihi voluntas in vobis, nec accipiam munus de manibus veſtris; *ceſſare negare non poſſunt. Quid adhuc expectant alium Christum, cùm hoc, quod prophetatum legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, niſi per ipſum?* Ita S. Auguſtinus, qui vbique hac Malachiæ Prophetia Iudæorum perfidiam conuincit.

Porrò in his Prophetæ verbis duo obſeruanda XXX.
ſunt. Alterum eſt, quòd ſacrificium hoc gentium Deo vbique offerendum, in Hebræo vocetur מִנְחָה Minchà, quæ eſt propria appellatio ſacrificij incruenti, vt ſuprà diximus: ac proinde Prophetia hæc apertè indicat incruentum ſacrificiũ iuxta ordinem Melchiſedech, non autem cruentum ſecundùm ordinem Aaron, vbique offerendum eſſe Deo, tempore nouæ legis. Id, quod benè etiam obſeruauit S. Auguſtinus locis modò citatis.

Suprà c. [illegible]. huius contro. §. 34.

XXXI.
Præterea vox Mincha, qua vtitur propheta Malachias, nunquam ſignificat ſpirituale & improprium ſacrificium, ſed vbique in Scripturis ſacris ſignificat ſacrificium proprium, quando tribuitur Deo: quando autem tribuitur hominibus, ſignificat munus vel donum ſenſibile, quod in recognitionem Domini, vel beneficentiæ exhibitæ, ſenſim & cum quadam pompa offertur. Nam radix, à qua deſcendit, eſt נחה *Nachà*, quod ſignificat placidè, ſenſim & cum pompa ducere, vt agnoſcunt etiam aduerſarij Mercerus Caluinianus, & Forſterus Lutheranus. Quare vox hæc *Mincha* non eſt trahenda ad ſacrificia impropria, & preces noſtras, vt contendunt aduerſarij.

Mercer. ad Dictionarium Pagnini in radice מנח *Manach. Forſterus in radice* נחה *Nachà.*

Adhæc eadem vox Hebraica Mincha, cùm ponitur in fine præcedentis verſus 10. omnium iudicio ſignificat ſacrificia propria legis Moſaicę, quæ reijcienda docet Propheta, quare & Mincha, XXXII.

 quæ

Digitized by Google

quæ his ſuccedit,& quæ ponitur ſequenti ſtatim verſu 11. debet ſignificare proprium ſacrificium nouæ legis : enimuerò impropria illa ſacrificia ſemper fuerunt à principio mundi tam in lege naturali & Moſaica,quàm Euangelica; atque hac ratione nihil noui prædixiſſet Propheta. At verò Propheta expreſsè docet omnem Mincham legis Moſaicæ reijciendam eſſe, & aliam nouam in eius locum eſſe ſubſtituendam.

XXXIII. Illud autem falſum eſt,quod dicunt aduerſarij,Patres aliquos per nouam hanc oblationem intelligere orationes & preces noſtras. Nam vbi noſtra Latina verſio habet verſu 11. *In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, Hebraicus textus, & etiam ſeptuaginta Interpretes (quos Patres antiqui ſequuntur) duo diſtincta ponunt,ad hunc modum: *In omni loco incenſum offertur nomini meo, & oblatio munda*; & hoc incenſum interpretantur Patres orationes & preces, quæ ſimul cum incruento hoc ſacrificio Deo offeruntur iuxta illud Dauidis Prophetæ: *Dirigatur oratio mea,ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Verùm ipſam oblationem mundam omnes dicunt ſignificare noſtram Euchariſtiam. Hinc illa S.Chryſoſtomi verba , dum inducit hanc Prophetiam Malachiæ: *Vide quàm luculenter atq; dilucidè myſticam interpretatus eſt menſam, quæ eſt incruenta hoſtia; thymiama(ſeu incenſum)vocat ſacras preces, quæ poſt hoſtiam offeruntur.* Ita ſanctus Chryſoſtomus.

Pſal. 140. (*vel* 141) *v.* 2.
S.Chryſ. in Pſal. 95. *v.* 1

XXXIV. Alterum hic obſeruandum eſt, quòd Propheta non tantùm prædixit *Mincham* eſſe vbique offerendam,ſed etiam aſſerit *Mincham* hanc eſſe puram,incontaminatam & ſplendentem; hæc enim omnia ſignificat vox Hebraica, teſte etiam Forſtero

Digitized by Google

ſtero Lutherano. Eſt autem noſtrum ſacrificium tribus de cauſis mundum præ ſacrificijs legalibus. Prima cauſa eſt, quam affert ſanctus Chryſoſtomus. Quia Iudæorum ſacrificia immunda & abominabilia reddebantur coram Deo propter peccata offerentium & populi. Hinc illa verba Eſaiæ Prophetæ: *Ne offeratis vltrà ſacrificium* (Hebraicè *Mincha:*) *fruſtrà incenſum abominatio eſt mihi.* Cauſam paulò pòſt declarat his verbis: *Manus. n. veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Quamuis.n. legalia ſacrificia ab impijs oblata, propter Dei inſtitutionem legales immunditias abſtergerent, tamē nec grata erant Deo, nec animam à peccato mundare poterant. At noſtrum ſacrificium adeò eſt mundum & purum, vt nullis offerentium ſceleribus poſſit coinquinari aut Deo ingratum effici; eſt enim ipſemet Chriſtus verus Deus & verus homo, qui Patri ſuo ingratus nunquam eſſe poteſt.

Forſterus in radice טהן *Taher*

S. Chryſ. hom. 1. aduerſus Iudaos.

Eſa. 1. v. 13.

Ib. v. 15.

Eadem quoque ratio eſt de noſtris bonis operibus, quæ aduerſarij contendunt hoc in loco ſignificari per mundam iſtam oblationem. (etſi alioqui parùm, aut nihil tribuant bonis operibus) Etenim bona noſtra opera non ex ſeipſis habent munditiam, ſed ex conditione & qualitate operantis. Nam ſi ille qui operatur, eſt in gratia Dei, opera eius munda ſunt & accepta Deo, alioqui minimè: quare opera noſtra non poſſunt dici abſolutè, & ex ſola ſua natura munda ſine ordine, relatione & reſpectu ad perſonam operantis. XXXV.

Secunda cauſa eſt, quam etiam affert S. Chryſoſtomus: *Si quis* (inquit) *ſacrificium noſtrum conferat cum ſacrificijs legis Moſaicæ, adeò ingens & immenſum diſcrimen inueniet, vt iuxta comparationem rationis ſolùm hoc purum dici mereatur,* XXXVI.

S. Chryſ. ho. 3. citat.

quem-

Digitized by Google

quemadmodum Apoſtolus dicit , glorificationem legis
2 Cor.3.v.10. *ne glorificationem quidem fuiſſe reſpectu Euangelij.* Et meritò ita ſcribit S.Chryſoſtomus: nam tantum eſt diſcrimen inter ſacrificia legis , & noſtrum, quantum inter bruta animalia & corpus Chriſti filij Dei viuentis: cuius quidem ſanctiſſima caro munditiam in ſe habet, quaſi connaturalem, propter vnionem ipſius carnis Chriſti cum verbo. Quemadmodum enim ferrum ignitum non poteſt non eſſe calidum, ita caro Chriſti verbo vnita, non poteſt non eſſe munda & ſanctiſſima.

XXXVII. Tertia cauſa eſt , quia Propheta loquitur de oblatione, quæ offertur ipſi Deo: Porrò vt oblatio, quæ Deo offertur, ſit munda, neceſſe eſt , vt illa non quouis modo ſit munda, ſed etiam corã Deo, & in conſpectu Dei, cui illud offertur. At verò nulla fuit vnquam oblatio ante Chriſti aduentum , quæ fuerit etiam coram Deo perfectè munda; nam *ſi cœli ipſi non ſunt mundi , nec ſtellæ mundæ in conſpectu Dei*, vt dicit Scriptura, quantò minùs ſacrificia Iudæorum , quæ conſtabant ex brutis animalibus. At verò noſtrum ſacrificium in conſpectu ipſius Dei eſt prorſus mundum , & dignum planè Deo, cùm ſit ipſe filius Dei , verus Deus Patri & Spiritui ſancto coæternus & conſubſtantialis. Meritiſſimè igitur vocatur iſta oblatio munda , quæ munditia nec hoſtijs Iudæorum conuenire potuit, nec operibus vllis humanis, quæ aduerſarij fruſtrà conantur in locum huius oblationis mundæ ſubſtituere. Vt interea omittamus iſtam mundam oblationem noſtrorũ operum , quam ponunt aduerſarij nihil differre ab oblationibus Iudæorum: nam & inter Iudæos multos olim fuiſſe viros pios , qui bona opera exercebant, negari non poteſt. Imò eò minor & im-

(Iob 15.v.15. & Iob 25.v.5.)

imperfectior eſſet noſtra oblatio oblationibus Iudæorum, quòd Iudæi præter pia opera habuerint etiam vera & propria ſacrificia externa, quibus Deum colerent, nos verò pia dumtaxat opera ſine vllo externo ſacrificio vero & proprio, ſi aduerſarijs credimus.

Sed neque eſt in verbis Malachiæ prætermittendum, quòd Propheta in his paucis verbis bis repetat *nomen Dei magnum fore inter gentes ratione huius incruentæ oblationis nouæ legis*: maximè enim eluceſcit omnipotentia, ſapientia, & bonitas Dei in hoc inexplicabili myſterio Sacramenti Euchariſtiæ, quod & de eodem myſterio teſtatur Propheta Dauid, cùm ait, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe, memor erit in ſæculum Teſtamenti ſui.* Nam hoc Sacramentum & eſcam eſſe, & Teſtamentum Chriſti, paulò pòſt oſtendemus. XXXVIII. *Pſal. 110. v. 4 & 5.*

Sunt & alia non pauca Scripturæ ſacræ loca, tã veteris, quàm noui Teſtamenti, quibus probatur hoc ſacrificium nouæ legis, ſed illa breuitatis cauſa omittimus: ſatis enim nobis eſt, præcipua loca attuliſſe. Qui plura deſiderat, inueniet apud Bellarminum. Supereſt, vt ex analogia fidei argumentum etiam illud afferamus, quo ſæpè vtitur S. Auguſtinus, dum diſputat contra Manichæos, qui ſuo tempore negabant viſibile hoc ſacrificiũ Eccleſiæ. Dicitur autem argumentum duci ex analogia fidei, quando illud euidenter colligitur ex aliquo fidei principio ab omnibus recepto. Eſt itaque tale argumentum, quod ex analogia fidei colligimus. XXXIX. *Bellar. lib. 1. de Miſſa c. 7. 8. 9. 11. 13. & 14.*

Notum & teſtatum eſt apud omnes Chriſtianos: Chriſtum in hunc mundum veniſſe, vt Patrem ſuum maiore honore afficeret, non vt illum hono- XL.

honore debito priuaret. Sed niſi Chriſtus reliquiſſet in noua lege ſacrificium proprium & perpetuum, quo coleretur Deus toto tempore nouæ legis, re vera Chriſtus ſuo aduentu non honoraſſet ſuum Patrem, ſed potiùs priuaſſet illum ſuo præcipuo honore & cultu, qui perpetuò à principio mundi fuerat ei exhibitus. Nam à principio mundi tam in lege naturali, quàm Moſaica voluit Deus ſacrificijs coli, tanquam præcipuo & ſupremo externo cultu, qui ipſi ſoli, & prætereà nulli, ſine graui ſacrilegio attribui poterat, vt ſuprà ex ſancto Auguſtino diximus: atqui ſecundùm aduerſarios Chriſtus priuaſſet Patrem ſuum maximo hoc honore & cultu, nam omnia antiqua ſacrificia vera & propria atque quotidiana abrogaſſet, & eorum loco nullum reliquiſſet verum, proprium & quotidianum ſacrificium. Sacrificium namque crucis vno die peractum fuit, nec poterat illud amplius repeti: manſerunt igitur Chriſtiani tot annis ſine vllo vero & proprio ſacrificio, & conſequenter tot annis priuaſſet Chriſtus ſuum Patrem tam eximio & ſingulari cultu, qui etiam naturali lege Deo debetur, vt omnium Domino & creatori, quemadmodum ſuprà etiam declarauimus.

Suprà c.1. huius controu. §.1. & 24.

Cap.1. huius contro. §.27.

XLI. Hoc argumentum contra Manichæos egregiè vrget S. Auguſtinus tomo 6. contra Fauſtum Manichæum, lib. 20. à capite 18. vſque ad finem libri, & lib. 22. contra eundem capite 17. Item eodem tomo contra aduerſarium legis & Prophetarum, lib. 1. c. 18. 19. & 20. Deniqué tomo 5. de ciuitate Dei, lib. 10. cap. 19. & 20.

XLII. Eſt & alia probatio, qua conuincimus Chriſtum in cœna nouiſſima inſtituiſſe verum & proprium ſacrificium, illa nimirum, quæ deſumitur

ex

ex autoritate Patrum antiquorum. Sed iſta probatio differenda eſt ad ſequens caput, in qua oſtendemus Chriſtum etiam inſtituiſſe ſacrificiũ propitiatorium. Nam Patres, qui apertiùs de hac re loquuntur, affirmant hoc non tantùm eſſe ſacrificium verum, ſed etiam propitiatorium pro peccatis tam viuorum, quàm mortuorum, de qua re ſequenti capite.

CAPVT V.

In Miſſa ex inſtitutione Chriſti offerri propitiatorium ſacrificium, tam pro viuis, quàm pro defunctis.

SVNT non pauci inter aduerſarios, qui Catho- I.
licorum argumentis conuicti, agnoſcunt tandem verum & propriũ ſacrificium offerri in Miſſa, ſed dicunt hoc genus ſacrificij eſſe Euchariſticum duntaxat, quo gratiæ Deo aguntur pro collatis beneficijs: negant aũt in Miſſa eſſe ſacrificiũ propitiatoriũ, ſiue expiationis, quo placatur ira Dei, & peccata delentur. Ad hũc .n. modũ & Caluinus ipſe ſe ex hac difficultate expedire tandem conatur. Quare probandũ hic nobis erit in Miſſa offerri ſacrificiũ nõ tantũ Euchariſticũ, ſed etiam propitiatoriũ, quo peccata delentur & expiantur. *Cal. lib. 4. Inſtit. c. 18. ſect. 13. & 6.*

Eſt quoque & hoc obſeruatione dignum, quòd probatio ſacrificij propitiatorij multùm confir- II.
met realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia contra Caluinianos. Cõſtat .n. aliã hoſtiã præter Chriſti corpus & ſanguinẽ ſufficere nõ poſſe ad expiationẽ peccatorũ corã Deo; quare ſi probatũ fuerit in Miſſa offerri ſacrificiũ propitiatoriũ, quo delẽtur peccata, cõſequetur neceſſariò id, quod in Miſſa offertur, eſſe ipsũ verũ corpus & sãguinẽ Chriſti, & non nudũ

panem

panem & vinum, quibus peccata expiari non poſſunt.

III. Porrò prima potiſſima, atque etiam euidentiſſima probatio huius ſacrificij propitiatorij deſumitur ex illis, quæ fecit & dixit ipſe Dominus noſter Ieſus in vltima cœna. Conſtat enim nobis cum aduerſarijs Chriſtum inſtituiſſe, vt Apoſtoli, eorumque ſucceſſores id facerent, quod ipſe in

Luc.22.v. 19. cœna fecerat, *hoc* (inquit) *facite in meam commemorationem*; quod proculdubiò dixit de eo, quod ipſe tunc fecerat: Si ergo probatum fuerit, Chriſtũ non modò in cruce, ſed etiam in cœna obtuliſſe verum & propitiatorium ſacrificium, neceſſariò conſequetur Chriſtum inſtituiſſe, vt Apoſtoli, eorumque ſucceſſores tale ſacrificium offerrent: idque donec ipſe ad iudicium veniret, vt teſtis

1.Cor.11.v. 29. eſt Apoſtolus. Quòd verò Chriſtus in cœna non tantùm inſtituerit Sacramentum, ſed etiam obtulerit verum ſacrificium propitiatorium, probamus euidenter ex ipſis claris & apertis Chriſti verbis, hunc in modum: vbicumque datur & frãgitur corpus Chriſti pro nobis, & effunditur ſanguis eius in remiſſionem peccatorum pro multis, ibi offertur verum ſacrificium propitiatorium: ſed in cœna fuit datum & fractum corpus Chriſti pro nobis, & ſanguis eius effuſus in remiſſionem peccatorum pro multis; in cœna igitur oblatum fuit à Chriſto verum ſacrificium propitiatorium.

IV. Maior propoſitio ex ſe eſt euidens, neque enim aliud eſt offerre ſacrificium propitiatorium, quàm offerre hoſtiam in remiſſionem peccatorum. Minor propoſitio expreſsè habetur in Scri-

Luc 22.v. 19.& 20. pturis. Enimuerò ſanctus Lucas & ſanctus Paulus ſcribunt Chriſtum dixiſſe, *hoc eſt corpus meum,* quod

quod pro vobis datur, quod pro vobis frangitur, *& hic eſt calix qui pro vobis funditur*. S. Matthæus, & ſanctus Marcus teſtantur Chriſtum dixiſſe; *hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum.* Omnia ergo hæc aſſerunt ſacræ literæ, quòd Chriſtus in cœna dedit corpus ſuum, & fregit corpus ſuum pro nobis, quòd effuderit in cœna ſanguinem ſuum pro Apoſtolis, & multis alijs in remiſſionem peccatorum. Vbique enim ponunt Euangeliſtæ, & S. Paulus præſens tempus, datur, frangitur, effunditur, nuſquam autem futurum, dabitur, frangetur, effundetur. Igitur in ipſa cœna dabatur, & frangebatur corpus Chriſti pro nobis, & effundebatur eius ſanguis. Et adeò eſt hoc manifeſtum in Græco textu, vt ipſi aduerſarij in ſuis verſionibus tam Latina, quàm vulgari lingua editis, cogantur hæc omnia verba transferre per præſens tempus. Cùm ergo tunc (hoc eſt, in ipſa cœna) dederit Chriſtus, & fregerit ſuum corpus, atque ſanguinem ſuum effuderit in remiſſionem peccatorum, negari non poteſt, quin ſacrificium propitiatorium obtulerit pro peccatis: & cùm iuſſerit Apoſtolos hoc facere, quod ipſe tunc fecit, donec veniret, negari etiam non poteſt, quin iuſſerit & inſtituerit, vt Apoſtoli, eorumque ſucceſſores vſque ad finem mundi verum ſacrificium propitiatorium offerrent. Res hæc adeò perſpicua & clara eſt in textu Græco apud omnes tres Euangeliſtas, & S. Paulum, vt negari non poſſit, niſi vis inferatur apertis Chriſti verbis. Quare nec aduerſarij aliter reſpõdere poſſunt, niſi ſolito ſuo more confugiant ad tropos, vltimum illud aſylum omnium qui Scripturas corrumpere conantur. Dicunt enim aduerſarij enallagin eſſe temporum, qua præſens

1. Cor. 11. v. 24.
Matt. 26. v. 28.
Marc. 14. v. 24.

Digitized by Google

ponitur pro futuro, vt hac ratione ab incruento ſacrificio cœnæ tunc præſenti ad futurum crucis cruentum ſacrificium verba Chriſti detorqueant.

V. Sed nemo non videt potiùs eſſe ſequendos tres Euangeliſtas, & S. Paulũ, quã iſtorũ deprauationes, quæ planè pugnãt cũ verbis Euangeliſtarũ, ac S. Pauli. Sed neq; veriſimile eſt nouatores hos clariùs & prudentiùs explicuiſſe mentẽ Chriſti, quàm explicuerit vllus ex Euangeliſtis, aut ipſe S. Paulus, qui aſſerit ſe ab ipſo Domino accepiſſe ea, quæ de hoc Sacramento ſcribit. Illud .n. firmiter & perpetuò memoria retinẽdũ eſt, nõ hic agi de re leui aut vulgari, ſed de ipſo Teſtamento filij Dei, quod moriturus condidit, nobiſq; reliquit: In Teſtamẽto aũt cõdẽdo verbis claris, proprijs & perſpicuis vti debet Legator, ne Legatarios decipiat: hinc illud Apoſtoli, *hominis cõfirmatũ Teſtamentũ nemo ſpernit, aut ſuperordinat.* Nõ eſt igitur tropis ludendũ in Teſtamẽto filij Dei, aut exiſtimandũ Apoſtolos & Euãgeliſtas verbis improprijs teſtamentum filij Dei nobis tradidiſſe.

1. Cor. 11. v. 23.

Galat. 3. v. 15.

Deinde iã ſæpè diximus, apertiſq; argumentis demonſtrauimus, nõ tantũ in hoc loco, vbi agitur de ipſo teſtamento filij Dei, ſed neque in vllo alio ſacræ Scripturæ loco vnquam recedendũ à proprio verborum ſenſu, & ad impropriũ confugiendum eſſe, niſi euidenti ratione ad id cogamur, cùm alioqui nullum efficax argumentum ex ſacris literis vnquam deſumi poſſit: nulla enim eſt tam aperta ſententia, quæ impropria vocum vſurpatione deprauari non poſſit. Porrò nullum eſt firmũ argumentum, quo aduerſarij probant, aut probare poſſunt, recedendum eſſe à proprio ſenſu horum verborum Chriſti, quemadmodum mox oſtendemus, cùm refutabimus illorum argumen-

VI. *Vide contr. 2. c. 23. §. 18. & contr. 3. c. 8. §. 2. & c. 10. §. 2.*

gumenta: non eſt igitur, quòd relicto proprio verborum Chriſti ſenſu, ſequamur tropos, aut potiùs ſtrophas aduerſariorum.

Deniq; non pauca ſunt in his Chriſti verbis, quæ manifeſtè probãt, ea intelligẽda eſſe de præſenti incruento cœnæ Dominicæ ſacrificio, & nõ de cruento ſacrificiō crucis futuro. Primũ quidem eſt, quòd in omnibus Græcis codicibus (vt & in omnibus liturgijs Græcorũ Patrũ) verba Chriſti ab Apoſtolo Paulo ita recitantur, *hoc eſt corpus meũ, quòd pro vobis frangitur.* Porrò corpus Chriſti in crucis ſacrificio fractum non eſt, vt Scriptura impleretur; *& non comminuetis ex eo,* teſte S. Ioãne: at in ſacrificio cœnæ frangebatur corpus Chriſti: *panis, quem frangimus* (inquit Apoſtolus) *nonne participatio corporis Domini eſt?* De ſacrificio igitur cęnæ, in quo fractus fuit panis iſte cœleſtis, intelligenda ſunt verba Chriſti, non autem de ſacrificio crucis, in quo fractio non fuit. VII. *Liturgia S. Iac. S. Baſil. S. Chryſ. Apoſtolorũ apud Clem. Rom. lib. 8. c. 17. Conſt. Apoſt. 1. Cor. 11. v. 24. Ioan. 19. v. 36. 1. Cor. 10. v. 16.*

Hoc ipſo argumento vſus eſt ante mille & ducentos annos ſanctus Chryſoſtomus, vt probaret fractionem hanc corporis Chriſti, de qua loquitur ſanctus Paulus, ad ſacrificium in cœna inſtitutum pertinere, non autem ad ſacrificium crucis. Is enim cùm Græcus eſſet natione, & in Græca lingua verſatiſſimus, ignorare non poterat vim & notionem propriam verbi κλάω, ſeu κλάζω. verba ſancti Chryſoſtomi ſunt iſta: *Cur autem addidit* (nempe ſanctus Paulus) *quem frangimus? hoc enim licet videre fieri in Euchariſtia, in cruce autem non itidem, ſed vtique ei contrarium: os enim, inquit, eius non conteretur. Sed quod non paſſus eſt in cruce, hoc in oblatione patitur propter te; & patitur frangi, vt omnes impleat.* Hucuſque VIII. *S. Chryſ. ho. 24. in 1. ad Cor. c. 10. ad v. 16. Ioan. 19. v. 36.*

Vide infrà hoc ipſo c. §.22 & 23 uſque S. Chryſoſtomus. Quibus in verbis duplicis fractionis meminit: vna enim fit in ipſa oblatione, altera in diſtributione, de quibus paulò pòſt.

IX. *Theoph. ad eundem v. 16.* Eandem fractionis corporis Chriſti interpretationem ſequitur Theophylactus, cùm ita ſcribit; *Panis quem frangimus: Quod in cruce non eſt paſſus Chriſtus, (os enim eius nullum eſt contritum) hoc iam ſuſtinet, cùm propter nos frangitur.* *Oecum. in eadem verba 1. Cor. 10.* Oecumenium quoque his adiungemus, vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbũ. Is enim ita ſcribit: *Quod in cruce non eſt paſſus Dominus (ſiquidem os eius, inquit, non confringetur,) hoc propter nos ſuſtinuit fractus, vt nos ſibi coniungat.* *Exod 12. num 9.*

X. Omnes hi tres natione Græci, & in Græca lingua optimè verſati, atteſtantur corpus Chriſti in crucis ſacrificio fractum non fuiſſe, ſed in ſacrificio cœnæ: non poſſunt igitur illa Chriſti *1. Cor. 11. v. 24.* verba, *quod pro vobis frangitur*, ad ſacrificium crucis pertinere, ſed ad ſacrificium duntaxat cœnæ Dominicæ, in quo ſub ſpecie panis frangitur corpus Chriſti, iuxta illa Apoſtoli verba: *Panis, quem* *1. Cor. 10. v. 16.* *frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?*

XI. Et rectè dicunt authores hi Græci, corpus Chriſti nõ in cruce, ſed in cœna fractũ eſſe: nã cũ verus & germanus ſenſus vnius loci ſacræ Scripturæ ex alijs eiuſdẽ Scripturæ locis ſit petendus, verbũ Græcum κλάω, in toto nouo Teſtamento nuſquã tribuitur corpori humano in propria ſua forma exiſtenti, ſed neque carni, verùm rebus duris & aridis duntaxat, cuiuſmodi ſunt oſſa humana: at oſſa Chriſti in paſſione fracta non fuiſ- *Ioan. 19. v. 33. & 36.* ſe, apertè ſcribit S. Ioannes.

XII. Aduerſarij, vt hoc argumentum eludant, rurſus confugiunt ad ſuas figuras & tropos (neque enim

nim poſſunt alia ratione huic argumento ſatisfacere.) Dicunt igitur Chriſti corpus fuiſſe fractum flagellis, & clauis, quando Chriſtus flagellatus fuit, & crucifixus. Verùm aduerſarij cùm ita reſpondent, vnius & eiuſdem vocis duas introducunt figuratas & improprias vſurpationes. Nam primò quidem volunt verbũ *frangitur*, poni pro frangetur, per enallagin temporũ. Secundò contendunt idem verbum *frangitur*, ſignificare flagellabitur, & crucifigetur. Et licèt non ignoremus enallagin tẽporũ inueniri aliquando in ſacris literis (quamquã non iſta ſit ſine euidenti ratione introducenda, ne præterita cum præſentibus & futuris, aut contrà confundamus;) attamẽ corpus Chriſti frangi, ſignificare illud flagellari & crucifigi, nullo vnquã Scripturæ teſtimonio probare poterũt aduerſarij. Quare illis rectè cũ S. Hieron. reſpondemus: *hoc quia de Scripturis non habet authoritatẽ, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Quod genus argumenti contra aduerſarios eſt in primis efficax, qui contendunt, nihil credẽdũ eſſe, quod non extat in ipſis ſacris literis. Noſtra aũt interpretatio probatur acceptione verbi κλάω, quæ vſitatiſſima eſt in ſacris literis, vt videre eſt Matt. 14. v. 19. & c. 15. v. 36. & c. 26. v. 26. Mar. 8. v. 6. & v. 19. & c. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. & c. 24. v. 30. Act. 2. v. 46. & c. 20. v. 7. & v. 11. & c. 27. v. 35. & 1. Cor. 10. v. 16. In his. n. omnibus locis verbum κλάω tribuitur fractioni panis, aut Sacramenti, quod panis habet formam, figuram & duritiem: quemadmodum & apud Hebræos verbum פתת Patati, fractioni duntaxat panis tribuitur.

S. Hier. c. 23 S. Matt. ad v. 35. veniat ſuper vos, &c.

XIII. Denique ſatis conſtat Chriſtum, cùm dixit corpus ſuum frangi pro nobis, locutum eſſe de ſua propria fractione, non de fractione aliorum

impiorũ: Chriſtus .n. erat, qui pro nobis ſuũ corpus fregit, nõ aũt Iudæi, aut eorũ miniſtri. Porrò Chriſtus ipſe in paſſione ſua nõ fregit corpus ſuũ eo modo, quo dicũt aduerſarij, nẽpe per flagellationẽ & crucifixionẽ. Neq; .n. flagellauit Chriſtus ſeipsũ, neq; crucifixit ſeipsũ, ſed Iudæi, eorumq́; miniſtri erant, qui hoc fecerunt: at verò in cœna Chriſtus ipſe erat, qui ſuũ corpus fregit, idq́; pro nobis: Loquitur igitur Chriſtus de fractione cœnæ, nõ de fractione ſuæ paſſionis; niſi velint aduerſarij etiã tertiã impropriã & figuratã locutionẽ in hac eadẽ voce fractionis introducere, qua Chriſtus dicatur ſeipsũ flagellaſſe, & ſeipsũ crucifixiſſe, quia permiſit ſe crucifigi & flagellari; quo tropo pari ratione poterunt aduerſarij affirmare Deum ipſum omnia peccatorum genera cõmittere, quia hæc omnia hominib. permittit.

XIV. Alij cũ manifeſtè aduertũt hãc interpretationẽ abſurdã eſſe, quę actiones impiorũ, flagellationẽ, nẽpe & crucifixionẽ Chriſto tribuit, reſpondent Chriſtũ in paſſione ſua ſeipſum pro nobis fregiſſe ingẽti triſtitia & doloribus. Verũ hæc impropria eſt fractio, & quæ corporis nõ eſt, ſed animæ: *Triſtis eſt* (inquit Dominus) *anima mea vſq; ad mortem.* Quare cũ in paſſione Chriſti nulla fuerit, niſi impropria & metaphorica fractio corporis Chriſti: in cœna aũt vera & propria, neceſſe eſt, vt de cœna hoc intelligatur, nõ de cruce, vt benè olim obſeruarũt S. Chryſoſtomus, Theophyl. & Oecum.

Matt. 26. v. 38.

Locis citat. §. 8. & 9.

XV. Secũdũ, quod probat Chriſtũ locutũ eſſe de incruẽto ſacrificio in ipſa cœna pro nobis oblato, nõ aũt de cruẽto ſacrificio crucis, deſumitur ex illis adiũctis Chriſti verbis, *hoc facite.* Enimuerò ſtatim poſt verba Chriſti; *Quod pro vobis datur*, addit S. Lucas illa Chriſti verba, *hoc facite*: & ſtatim poſt

Luc. 22. v.

1. Cor. 11. v. 24.

poſt verba Chriſti: *quod pro vobis frāgitur*, addit ſimiliter S. Paulus Chriſtū dixiſſe, *hoc facite.* Qua in re manifeſtè declarāt S. Lucas & S. Paul', Chriſtū illis verbis, *hoc facite*, præcepiſſe Apoſtolis, vt hāc donationē & fractionē pro nobis ipſi in poſterū facerēt: abſonū .n. eſt exiſtimare, pronomen demōſtratiuū (hoc) demōſtrare remotas Chriſti actiones, accipite, māducate, proximas aūt, nempe, quod pro vobis datur, frāgitur, nequaquā deſignare. Quòd ſi Chriſtus de cruēta corporis ſui donatione, & fractione locutus fuiſſet, iuſſiſſet Apoſtolos cruēto modo ipsū immolare, eodē planè modo, quo fecerūt Iudæi; quod planè eſt impiū. at noſtra interpretatio optimè cōuenit cū cōtextu verborū SS. Pauli & Lucæ: nā cùm iā in cœna incruēto modo Chriſtus obtuliſſet pro nobis corpus ſuū, atq; fregiſſet, verbis illis adiūctis mandauit, atq; inſtituit, vt Apoſtoli, eorūq; ſucceſſores idē facerēt, hoc eſt, darēt, & frāgerēt corpus Chriſti incruēto modo pro nobis, donec ipſe ad iudiciū veniret. Id, quod ſemper hactenus factū fuiſſe experiētia docet, omneſq; Scriptores veteres Catholici teſtātur. Vbi etiā & illud obſeruandū eſt, quod inter omnes Apoſtolos & Euangeliſtas ſoli Paulus & Lucas referant illud Chriſti mandatum, *hoc facite:* & iſte quidem cùm retuliſſet illa Chriſti verba; *quod pro vobis datur*, ille verò cùm illa retuliſſet; *quod pro vobis frangitur*, vt intelligeremus verbis Chriſti, *hoc facite*, incruentum iſtud cœnæ ſacrificium nobis commendari, in quo datur & frangitur corpus Domini. *Luc. 22. v. 19.* *1. Cor. 11. v. 24.*

XVI. Tertiū, quod probat Chriſtum loqui de præſenti oblatione in cœna, non autem de futura in cruce, eſt huiuſmodi. Chriſtus manifeſtè loquitur de illa effuſione ſanguinis ſui, qua conſti-

tutum, & factum eſt nouum Teſtamentum: *hic calix*(inquit Dominus) *nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*: ſed effuſio illa ſanguinis Chriſti, qua factum eſt nouum Teſtamentum, eſt illa incruēta cœnæ, non autem cruenta crucis: crucis enim ſacrificio cōfirmatū eſt Teſtamentū antea in cœna factū, vt mox varijs argumētis probabimus: loquitur ergo Dominus de præſenti effuſione ſāguinis ſui facta in cęna, nō aūt de cruēta crucis.

Luc.22.v.20. *1.Cor.11.v.25.* *Hoc ipſo c. §.30. & ſeqq.*

XVII. Sed obijciunt aduerſarij in vulgata editione, & etiam in canone Miſſæ hæc verba in futuro tempore poni, non in præſenti: nam Latinè ita habetur in epiſtola ad Corinthios, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*: Similiter apud S. Matthæum, & S. Marcum habetur in Latina editione effundetur, non effunditur. Sic & in canone Miſſæ. Reſpondeo, leue eſt hoc argumentum: nam ſiue legamus in præſenti tempore, *datur* (vt eſt etiam in Latina vulgata,) *frangitur, effunditur*; ſiue in futuro, *dabitur, frangetur, tradetur, effundetur*, idem eſt ſemper ſenſus: nam quocunque modo iſta legantur, omnia intelligenda ſunt de ſacrificio incruento in cœna facta: non enim oblatus eſt Chriſtus in cœna tantùm incruento modo, ſed etiam offerendus erat vſque ad finem mundi: quare ipſa Chriſti verba vtrumque tempus in ſe continent, præſens & futurum. Enimuerò datur, frangitur, effunditur, præſens tempus denotant: at verò id, quod ſequitur, *hoc facite*, &c. futurum etiam tempus complectitur, donec venerit Dominus ad iudicandos viuos & mortuos, vt apertè teſtatur S. Paulus. perinde enim eſt, ac ſi Dominus dixiſſet, iam datur corpus meum pro vobis, & dabitur etiam vſque ad finem mundi, quia oportet, vt hoc ipſum, quod ego iam feci, vos deinceps

1.Cor.11.v.24. *Matt.26.v.28.* *Marc.14.v.24.* *Luc.22.v.19.* *1.Cor.11.v.26.*

ceps in meam commemorationem faciatis. Rectè igitur vſa eſt ſemper Græca Eccleſia præſenti tempore (quemadmodum videre eſt in Liturgijs S. Iacobi, S. Clementis, S. Baſilij, S. Chryſoſtomi, & aliorum omnium Orientalium,) vt oſtenderet Chriſtum locutum eſſe de præſenti ſacrificio in Cœna facto. Rectè & Latina Eccleſia vſa eſt futuro tẽpore, vt declararet Chriſtum non de præſenti duntaxat locutum eſſe ſacrificio, ſed etiam de futuro deinceps celebrando, donec Chriſtus ad iudicium rediret. Cùm igitur ſacrificium in Cœna à Chriſto inſtitutum non ad præſens tantùm tempus, ſed etiam ad futurum pertineat, rectè explicari poteſt tàm verbis futuri, quàm præſentis temporis.

Clem. lib. 8. conſtit. Apoſt. c. 17.

XVIII. Atque hinc eſt, quòd Patres Latini, qui verba Chriſti per futurum tempus referunt hunc in modum: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur*; nihilominus iſta verba futuri temporis interpretentur de ſacrificio Miſſæ, vt ex illis probent ſanguinem Chriſti in noſtro ſacrificio adhuc effundi in remiſsionem peccatorum pro nobis & pro multis. Verbi gratia S. Alexander Papa & Martyr proximus Apoſtolorum ætati verba Chriſti ita recitat: *Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remiſsionem peccatorũ*: & nihilominus hæc Chriſti verba interpretatur de ſacrificio Miſſæ in Cœna inſtituto, & ex illis probat remiſsionem peccatorum nobis dari per incruentum Miſſæ ſacrificium. Ita enim illicò ſubijcit; *Crimina enim atque peccata oblatis his Domino ſacrificijs delentur*. Et paulò pòſt: *Talibus hoſtijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in ſa-*

S. Alexander Epiſt. 1.

criſicijs maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti; nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hac omnes præcellit: quæ purâ conſcientiâ Domino offerenda eſt, & purâ mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda. Hæc S. Alexander; cuius poſteriora verba recitat etiam Gratianus. Similiter S. Auguſtinus legit in futuro hunc in modum: *Sanguis, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum:* & nihilominus alibi dicit hanc effuſionem fieri ſuper altare in ſacrificio Miſſæ: *Quid reuerentius*, (inquit) *quid honorabilius dici poteſt, quàm ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos, ſicut ſcriptum eſt; Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech: Rectè ſub altari iuſtorum animæ requieſcunt, quia ſuper altare corpus Domini offertur: nec immeritò illic iuſti vindictam ſanguinis poſtulant, vbi etiam pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur.* Ita S. Auguſtinus: Ad eundem modum & Paſchaſius legit quidem in futuro: *pro multis effundetur*, nihilominus hæc verba interpretatur de ſacrificio Miſſæ; Sic etiam S. Thomas, & alij plerique Latini, etſi legant in futuro, tradetur, effundetur, hæc tamen omnia interpretantur de incruento Miſſæ ſacrificio. Nihil igitur intereſt, ſiue verba hæc legantur in futuro tempore, ſiue in præſenti, cùm tàm præſens tempus Cœnæ Dominicæ, quàm futurum tempus vſque ad finem mundi in ſe complectantur.

Vide Decretum Grat. de conſecr. diſt. 2 can. 8 nihil.
S. Aug To. 7. lib. 1. de peccat. meritis & remiſſione c. 24. ſub finẽ.
S. Aug. To. 10 ſer. 11. de Sanctis, ſeu in appẽdice ſermonum, ſerm. 73.
Pſal. 109. v. 4.
Apoc. 6. v. 20.
Paſchaſius c. 12. lib. de corpore & ſanguine Chriſti.
S Thom. 3. parte q. 78. art. 7.

Meritò tamen Latina Eccleſia in his myſterijs celebrandis vtitur futuro tempore potiùs, quàm præſenti, vt oſtendat inſtitutionem huius ſacrificij præcipuè ſpectaſſe ad futurum tempus, ratione cuius Chriſtus dicitur: *Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech in æternum*: æternitas enim non

Pſal. 109. v. 4.

Digitized by Google

non tantùm præſens tempus, ſed & futurum comprehendit. Et ob eandem cauſam etſi Chriſtus dixerit in præſenti tempore: *Hoc facite in meam commemorationem:* tamen Latina Eccleſia in myſtico hoc ſacrificio verba illa profert per futurum tempus, ad hunc modum: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis:* faciendum eſt enim hoc in æternum, vſque ad finem mundi. *Luc.22. v.19.*

XX. Secundò obijciunt aduerſarij, quòd Chriſti corpus propriè loquendo non frangitur in Euchariſtia, neque ſanguis eius propriè effunditur; quare noſtra interpretatio eſt etiam figurata, & impropria. Reſpondeo, quatuor ſunt verba, quæ in ſacris literis tribuuntur corpori aut ſanguini Chriſti, & hæc omnia eis verè & propriè conueniunt: Primum eſt, *datur,* Luc.22. v.19. & de hoc verbo iuxta noſtram interpretationem nulla eſt difficultas; corpus enim Chriſti in ſacrificio Miſſæ dicitur verè & propriè dari, ſeu offerri pro nobis, nempe in remiſſionem peccatorum: quæ verba etiam expreſſè adduntur in liturgijs S. Iacobi, S. Marci, S. Clementis, S. Baſilij, S. Chryſoſtomi, atque in liturgijs omnium Græcorum, Aethiopum, & aliorum Chriſtianorum Orientaliũ, cùm recitant verba Chriſti: Et alioqui dari pro nobis, ſignificare, offerri pro peccatis noſtris, ſatis cõſtat; *Qui dedit ſemetipſum pro nobis,* (inquit Apoſtolus) *vt nos redimeret ab omni iniquitate.* *Clemens li. 8. conſtit. Apoſt. c.17.* *Ad Titum 2.v.14.*

XXI. Secundum verbum, quod corpori Chriſti tribuitur, eſt verbum, *tradetur;* hoc quamuis non habeatur expreſſè in Græco textu, habetur tamẽ in Latino, & paſſim apud Latinos Doctores. Sed neq; eſt vllum dubiũ, quin hoc verbũ etiã propriè ſumatur iuxta noſtrã interpretationẽ. Enimuerò *1.Cor.11. v.24.*

tradi

Digitized by Google

tradi pro nobis in ſacris literis, nihil aliud ſignificat, quàm offerri pro peccatis noſtris: *Qui dilexit me,* (ait idem Apoſtolus) *& tradidit ſeipſum pro me.* Et alibi; ***Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.***

Galat. 2. *v.* 20. *Epheſ.* 5. *v.* 25.

XXII. *Suprà hoc ipſo cap.* §. 12. 13. & 14.

Tertium verbum eſt, *frangitur:* Porrò hoc verbum adeò conuenit corpori Chriſti, quatenus eſt ſub forma pànis, vt corpori Chriſti in ſua propria, & viſibili ſpecie humana conuenire nõ poſſit, niſi variè introducantur metaphoræ, vt modò oſtendimus. Eſt autem obſeruandum in Sacramento Euchariſtiæ duplicem eſſe fractionem: vna eſt in ipſa diſtributione Sacramenti, quam nec ipſi aduerſarij poſſunt negare, cùm de Euchariſtia loquens apertè dicat Apoſtolus: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Et corpus Chriſti verè & propriè frangi hoc modo perſpicuum eſt iuxta noſtram ſententiam: quæ enim important motum localem, ea propriè & verè tribuuntur corpori Chriſti ratione ſpecierum panis, ſub quibus continetur reipſa Chriſti corpus: hac namque ratione verè & propriè dicitur corpus Chriſti eleuari, circumferri, manducari, cùm ſpecies panis, ſub quib. eſt Chriſti corpus, eleuãtur, circumferuntur, manducantur: Atqui fractio, quę fit dentibus, pars vna eſt manducationis; quare tàm verè & propriè frangitur corpus Chriſti, quàm verè & propriè manducatur. Atq; hinc eſt, quòd meritò coactus fuerit Berengarius cõfiteri: *Corpus Chriſti in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri:* Omnia enim hæc fiunt per motum localem, quæ proinde verè & propriè tribuuntur corpori Chriſti.

1 *Cor.* 10. *v* 16. *Vide infrà hoc ipſo cap.* §. 25.

Gratianus de conſecr. diſt. 2. *c.* 42. *Ego Berengarius.*

XXIII. 1 *Cor.* 11. *v.* 24.

Secunda fractio & præcipua, de qua Chriſtus loquebatur, cùm dixit: *Hoc eſt corpus meum, quod pro*

pro vobis frangitur, eſt illa, quæ fit in ipſa oblatione, & incruento ſacrificio corporis Chriſti. Id quod paucis verbis benè declarat S. Chryſoſtomus, cùm ita ſcribit: *Sed quod* (Chriſtus) *non eſt paſſus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, vt omnes impleat.* Quibus in verbis duplicem ponit S. Chryſoſtomus fractionem; vnam in ipſa oblatione, quæ fit propter nos, & propter remiſsionem peccatorum noſtrorum, vt habet idem S. Chryſoſtomus in ſua liturgia. Aliam ponit in communione, quæ fit, vt Chriſtus omnes impleat manducatione ſui corporis. Porrò de priore illa fractione, quæ eſt in ipſa oblatione, loquitur Chriſtus, cùm ait: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur:* non enim dicit Chriſtus, quod vobis frangitur, ſed pro vobis. Et ſicut corpus Chriſti dari nobis, ſignificat diſtributionem, quæ fit in communione; ſed corpus Chriſti dari pro nobis, ſignificat corpus Chriſti offerri pro nobis in remiſsionem peccatorum, vt ex ſcripturis oſtendimus: ad eundem modum corpus Chriſti frangi nobis, denotat communionem; at corpus Chriſti frangi pro nobis, ſignificat corpus Chriſti offerri pro peccatis noſtris: quod ne aduerſarij noſtri negare poſſunt. Eſt tamen hoc diſcrimen inter donationem & fractionem, quòd donatio, ſeu oblatio ſignificat quamcunque donationem ſeu oblationem corporis Chriſti, ſiue cruentam, ſiue incruentam: at fractio corporis Chriſti pro nobis, ſignificet incruentam duntaxat deuotionem. Atque hinc eſt, quòd cùm S. Lucas ita recitet verba Chriſti; *quod pro vobis datur*: S. Paulus clariùs eadem verba recenſet, ad hunc modum; *quod pro vobis frangitur*, hoc eſt, incruento modo datur: Eſt enim phraſis iſta incruentorum ſa-

S. Chryſ. hom. 24. in 1. Cor. 10. ad v. 16.

1. Cor. 11. v. 24.

Hoc c. 5. 20.

Caluin & Beza ad v. 24. ad Cor. 1. c. 11.

Luc. 22. v. 19.

1. Cor. 11. v. 24.

ſacrificiorum propria, deſumpta ex ritu, quo Sacerdotes legis ex mandato Dei vtebantur in immolatione ſacrificiorum incruentorum: Illa enim, quæ incruentè offerebantur Deo, cùm eſſent ex rebus inanimatis, quæ occidi non poterant, ſolebant frangi & conteri, vt videre eſt in Leuitico: hinc mincha, id eſt, ſacrificium incruentum vocatur מנחת פתים minchàt pittim, id eſt, mincha fractionum. Senſus igitur literalis & proprius horum verborum; *quod pro vobis frangitur*, eſt iſte, quod pro vobis incruẽto modo ſacrificatur. Non negamus iſtam fractionem Euchariſtiæ etiam myſticè repræſentare & ſignificare fractionem Chriſti in cruce factam, quando anima eius ſeparata eſt ab eius corpore: ſed hic non agimus de myſtica ſignificatione huius fractionis, ſed de literali, propria & germana ſignificatione horum verborum Chriſti; *quod pro vobis frangitur.*

Leuit.2.v 6.14.& 16. Leuit.6.v. 21. 1.Cor.11.v. 24.

XXIV. Quartum verbum, quod Euchariſtiæ attribuitur, eſt verbum, *effunditur*, quod in Græco textu vbique eſt præſentis temporis. Omnes enim tres Euangeliſtæ, S. Matthæus, S. Marcus, & ſanctus Lucas vtuntur eodem participio præſentis temporis, quod eſt, ἐκχυνόμενον. nec aliter audent aduerſarij vertere hoc participium, quàm per præſens tempus, ſiue in Latina, ſiue in vulgari ipſorum translatione. Porrò non vno duntaxat modo, ſed tribus diuerſis, verè & re ipſa effuſus fuit ſanguis Chriſti in cœna, & adhuc indies effunditur in Miſſæ ſacrificio. In ſacrificijs enim veteris legis ab ipſo Deo inſtitutis, & *quibus* (vel ipſo Caluino iudice) *Deus vniuerſam ſacrificiorum veritatem populo ſuo repræſentare voluit.* Tres fuerunt ſanguinis effuſiones. Prima effuſio erat, quan-

Matt.26. v.28. Marc.14.v. 24. Luc.22.v. 20. Cal.lib.4. inſtit c.18. ſect.13.

quando iugulabatur animal viuum: nam ſanguis tunc ſeparabatur à corpore, & fundebatur in vas quoddam, quo Sacerdotes excipiebant ſanguinē victimæ; de qua re Leuitici primo, verſu quinto, & alibi frequenter. Secunda effuſio erat, quando Sacerdotes acceptum ſanguinem rurſus fundebant illum ſupra vel circa altare holocauſtomatum: de qua eodem v.5. & clariùs Exod. 29. v. 12. & Leuitici quarto, verſu ſeptimo. Et hæ duæ effuſiones fiebant in omni ſacrificio cruento veteris legis. Tertia effuſio erat, quòd aliquando ſanguis etiam fundebatur ſuper populum. Sic Exod. 24. v. 6. poſt immolationem vitulorū (immò & hircorum, vt addit Apoſtolus ad Heb. 9. v. 19.) mediā partem ſanguinis victimarum effudit Moyſes ſuper altare, & aliam mediam partem ſuper populum. Verùm hæc effuſio ſanguinis ſuper populum non fiebat in omnibus ſacrificijs, ſed duntaxat in illo ſolemni ſacrificio, quo vetus Teſtamentum ſancitū & dedicatū fuit ad Heb. 9. v. 18.

Omnibus his tribus modis effuſus fuit ſanguis Chriſti in nouiſſima cœna. Nam quod attinet ad primum modum effuſionis, ſicut in veteri Teſtamento ſanguis ſeparabatur à corpore victimæ gladio materiali, quem ſanguinem deinde Sacerdos vaſe excipiebat: Ita in cœna nouiſſima Chriſtus gladio ſpirituali, nempe verbo ſuo ſanguinē, vt erat ſub forma vini, verè & reipſa ſeparauit à corpore ſuo, quod erat ſub forma panis, & ſanguinē ſuū ſeorſum à corpore ſtatuit, ſuūque ſanguinē calice, quem manu tenebat, excepit. Enimuerò etſi corpus & ſanguis Chriſti ſint inuiſibili, indiuiſibili & ſpirituali modo in hoc Sacramēto, ita vt in ſe nec videri poſſint, nec tāgi, nec moueri, tamē quia verè & reipſa ſunt ſub ſpecieb. panis XXV.

&

& vini, propter realem vnionem & coniun-
ctionem,quam habent cum ſpeciebus panis & vi-
ni,verè dicuntur videri, tangi, moueri, quando
ſpecies iſtæ videntur, tanguntur, & mouentur:
Atque hinc eſt,quòd ea,quę denotant motum lo-
Vide ſuprà calem,verè tribuuntur corpori & ſanguini Chri-
hoc c.§.22. ſti ratione ſpecierum viſibilium: Nam quando
ſpecies panis comeduntur, corpus Chriſti verè &
propriè comeditur; quãdo ſpecies vini potantur,
ſanguis Chriſti verè & propriè potatur. Eadem
etiam ratione, quia ſpecies vini, ſub quibus eſt
ſanguis Chriſti,loco & ſitu diſtant à ſpeciebus pa-
nis, ſub quibus eſt Chriſtus,& ſanguis Chriſti,vt
eſt ſub forma viſibili vini, reipsâ diſtat loco & ſi-
tu à corpore Chriſti,quod eſt in alio diſtincto lo-
co ſub forma panis: Sanguis enim Chriſti, vt eſt
ſub forma vini, conſtituitur in alio loco ſeorſim
à corpore, quod eſt ſub forma panis, idque illo
Matth. 26. Chriſti verbo: *Hic eſt ſanguis meus*, ſeu, (quod idem
v.28. prorſus valet) *Hic eſt calix sãguinis mei*, hoc eſt, ca-
lix continens ſanguinem meum, vt alibi proba-
Contr.3.c. uimus. Denique eo ipſo, quòd ſpecies vini, quæ
9.§.14. continebant realiter ſanguinem Chriſti, excipie-
bantur calice, ſanguis ipſe Chriſti calice quoque
excipiebatur à Chriſto. Hinc S. Lucas expreſsè
Contr.3 c. dicit calicem effuſum pro nobis (vt ſuprà proba-
12.§.6. uimus.) Nam quemadmodum ante verba conſe-
crationis ſubſtantia vini effundebatur in calicem,
& per calicem, ratione ſpecierum viſibilium vini:
Ita vi verborũ conſecrationis ſubſtãtia ſanguinis
Chriſti effuſa eſt per eaſdem viſibiles vini ſpecies
in calicem, & per calicem; niſi quòd ſubſtantia
vini anteà effunderetur naturali modo, cùm in-
hæſione accidentium viſibilium in ipſa vini ſub-
ſtantia,& cum alijs imperfectionibus naturalibus:
At

Digitized by Google

At ſubſtantia ſanguinis Chriſti, cùm diuino & ſupernaturali modo vniatur ſpeciebus vini, verè quidem effunditur in calicem,& per calicem,ſed ſine vlla inhæſione ſpecierum vini in illa, & ſine vlla alia naturali imperfectione.

Deinde, quando Chriſtus ſumpſit ſuum ſanguinem, ſanguis Chriſti effuſus fuit ſuper altare noſtrum myſticum, quod eſt Chriſtus, vt ante mille annos obſeruauit Heſychius Hieroſolymitanus Epiſcopus: Funditur & adhuc quotidie ſanguis Chriſti ſuper altare: nam Sacerdos, qui repræſentat Chriſtum,ſanguinem ſumit. Denique in cœna ſanguinem ſuũ effudit, ſeu ſparſit Chriſtus ſuper populum, quando omnibus diſcipulis porrexit ſuum ſanguinem,dicens: *Bibite ex hoc omnes.* Porrò hæc effuſio ſuper populum neceſſaria erat in Cœna, quando dedicabatur nouum teſtamentum,vt dedicatio noui teſtamenti reſponderet dedicationi antiqui teſtamenti,in qua ſanguis non tantùm ſuper altare; ſed etiam ſuper populũ effuſus fuit,vt narrant Moyſes & Apoſtolus:In alijs tamen ſacrificijs ſubſequentibus noui teſtamenti non erat neceſſaria iſta effuſio ſuper populũ;quamuis in antiqua Eccleſia illa non rarò fuerit frequentata,præſertim poſt edictũ Leonis Papæ primi,de quo ſuprà. De hac tertia effuſione ſanguinis ſuper populum ita ſcribit S. Gregorius,qui Sancto Leone ætate poſterior fuit: *Chriſti ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fideliũ funditur.* De ſecunda verò effuſione ſuper Chriſtum altare noſtrum loquitur Heſychius loco citato. De prima effuſione è corpore in calicem ſeu craterem agit Sanctus Chryſoſtomus, cùm ita ſcribit: *Sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt, & non erubeſcis?*

XXVI.

Heſych. in c. 8. Leuit. ad v. 24.

Matth. 26. v. 27.

Exod 24. v. 8.

Ad Heb. 9. v. 19.

Contr. 8. c. 5. §. 14.

S. Greg. l 4. Dialog. c. 58.

S. Chryſoſt. de Eucha-riſtia in Encænijs.

Denique de omnibus tribus his effuſionibus eſt
S. Amb. To. 4 lib. 4. de Sacram. c. 6. ſeu vltimo. illud S. Ambroſij: *Quotieſcunque effunditur ſanguis* (CHRISTI,) *in remiſsionem peccatorum funditur.*

XXVII. Et quamuis verè effuſus fuerit ſanguis Chriſti in cœna his tribus modis, erant tamen omnes effuſiones iſtæ incruentæ, non cruentæ; quia in his non effundebatur ſanguis Chriſti ſub viſibili ſpecie ſanguinis, ſed ſub ſpecie vini duntaxat: Atqui illud, quod ſub ſpecie vini effunditur, incruento modo effunditur.

XXVIII. Porrò, hic modus effuſionis incruentus nihil derogat de vera & propria ratione ſacrificij: Nam etiam in Lege Moſaica fuerunt vera ſacrificia, quæ ſolâ incruentâ effuſione peragebantur, cuiuſmodi erãt libamina illa, quæ ex vino aut oleo, aut alio liquore fiebant ſine ſanguine, quod genus ſacrificij Hebraicè vocatur נסך Nèſech, id eſt, effuſio, Exod. 30. v. 9. à verbo נסך Naſách, quod ſignificat effundere. Erat autem hæc effuſio liquidorum verum & proprium ſacrificium: quia propria ratio ſacrificij in eo conſiſtit, quòd
Hac Contr. c. 1. §. 26. res ſacrificata deſtruatur, vt ſuprà diximus: Liquida verò effuſione deſtruuntur, quemadmo-
Iſa. 57. v. 6. dum & arida contuſione & fractione. Quare vt a-
Iſa. 65. v. 11. Ier. 19. v. 13. rida fractione ſignificabantur, ita & liquida effu-
Ier. 32. v. 29. ſione. Ob hanc cauſam conqueritur ſæpe DEVS apud Prophetas, quòd *filij Iſrael effuderint effuſio-*
Ierem. 44. v. 25. *nem hanc dijs alienis.*

Ezech. 20. v. 28. Ex his omnibus ſatis conſtat ſanguinem Chriſti non tantùm in cruce, ſed etiam in cœna no-
XXIX. uiſsima verè & propriè fuiſſe fuſum; imò tàm verè ac propriè fuiſſe fuſum in cœna, quàm potatum: Quemadmodum enim potatus fuit ſanguis Chriſti in illa cœna ratione ſpecierum vini,

ſub

ſub quibus, & in quibus reipsâ fuit ſanguis: ita fuit & effuſus ratione earundem ſpecierum vini. Primò quidem è corpore CHRISTI in calicem. Secundò è calice ſuper CHRISTVM, qui eſt *altare noſtrum, ſub quo ſunt animæ interfectorum propter verbum Dei*. Denique ſuper Apoſtolos. Quare rectè & propriè effuſus eſt ſanguis CHRISTI etiam in ipſa cœna nouiſsima. Omnia igitur hæc tria: *Corpus, quod pro vobis datur*; *Corpus, quod pro vobis frangitur*; *& ſanguis ſeu calix, qui pro vobis effunditur*, ſacrificio cœnæ verè & propriè conueniunt: Et cùm iſta facta ſint in cœna, non tantùm pro Apoſtolis, ſed etiam *pro alijs multis*, idque *in remiſsionem peccatorum*, vt apertè dicunt S. Matthæus, & S. Marcus, neceſſariò ſequitur Chriſtum in cœna nouiſsima obtuliſſe verum ſacrificium propitiatorium in remiſsionem peccatorum multorum.

Apoc. 6. v. 9.

Matth. 26. v. 28.
Marc. 14. v. 24.

XXX. Secundum principale argumentum, quo probamus CHRISTVM in cœna nouiſsima obtuliſſe propitiatorium ſacrificium pro peccatis, eſt huiuſmodi: Conſtitutio & dedicatio noui teſtamenti neceſſariò poſtulabat ſacrificium propitiatorium: ſed in cœna Chriſtus conſtituit & dedicauit nouum teſtamentum: Ergo in cœna obtulit ſacrificium propitiatorium. Maiorem propoſitionem negare nec audent, nec poſſunt ipſi Aduerſarij: Nam CHRISTVS ipſe expreſsè dixit, S. Matthæo, & S. Marco teſtibus, ſuum ſanguinem effuſum pro multis in remiſsionem peccatorum, eſſe ſanguinem noui teſtamenti, hoc eſt, quo dedicatur nouum teſtamentum, vt interpretatur Apoſtolus. Minorem propoſitionem,

Matth. 26. v. 28.
Marc. 14. v. 24.
Ad Hebr. 9. v. 18. & 22.

S 2 nem-

Digitized by Google

nempe, quòd Chriſtus in cœna inſtituerit nouum ſuum teſtamentum, etiam apertis Scripturæ teſtimonijs conuincimus. Quod vt clariùs intelligatur, præmittendum eſt, aliud eſſe teſtamentum fieri, condi, ſeu conſtitui; & aliud teſtamentum iam conditum ita confirmari, vt ampliùs mutari non poſsit. Neceſſe enim eſt, vt teſtamentum cōdatur, & fiat ante mortem teſtatoris: ſed teſtamentum non confirmatur, ita vt mutari non poſſit, niſi accedat ipſius teſtatoris mors. Nam quādiu viuit teſtator, poteſt ille mutare, & penitùs abrogare teſtamentum à ſe conditum; vt apertè dicit Apoſtolus, & oſtendit quotidiana experientia. Dicimus ergo teſtamentum nouum Chriſti conditum, confectum, & completum fuiſſe in Cœna; in cruce verò morte Chriſti fuiſſe confirmatum. Quòd autem in cruce non fuerit conditum teſtamentum Chriſti, ſed in cœna, his tribus argumentis probamus.

Ad Hebr. 9. v. 17.

XXXI. Primum argumentum ſumitur ex apertis Chriſti verbis: Nam S. Lucas, & S. Paulus diſertè ſcribunt Chriſtum affirmaſſe ſe nouum teſtamentum condidiſſe, quando conſecrauit, & porrexit calicem ſanguinis ſui: verba S. Lucæ ſunt iſta; *Hic eſt calix nouum teſtamentum* (per appoſitionem, quæ frequens eſt in ſacris literis, vt alibi probauimus) *in ſanguine meo.* S. Paulus ita; *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, ſeu, quod idem eſt, per meum ſanguinem: Erat ergo iam in cœna nouum teſtamentum: Neque enim potuiſſet calix ille eſſe nouum teſtamentum, niſi iam fuiſſet factum nouum teſtamentum. Et meritò nominauit Chriſtus nouum teſtamentum, quando dedit calicem, non autem quando dedit corpus ſuum: quia nouum teſtamentum ſanciri, & dedi-

Luc. 22. v. 20.

Contr. 3. c. 9 §. 13.

1. Cor. 11. v. 25.

cari

çari nõ poterat ſine effuſione ſanguinis Chriſti, vt teſtatur Apoſtolus. Hinc S. Matthæus & S. Marcus ſcribunt, Chriſtum dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur*. Dicitur autem ſanguis Chriſti ſanguis noui teſtamenti omnium iudicio, quia effuſione ſanguinis Chriſti dedicatum & ſancitum eſt nouum teſtamentum: Non eſt autem effuſus totus ſanguis CHRISTI realiter, antequam CHRISTVS conſecraret & porrigeret calicem. Verùm tunc tribus modis verè effuſus eſt eius ſanguis, vt modò explicuimus: quare non ante conſecrationem, & porrectum calicem mentionem ſui noui teſtamenti fecit Chriſtus.

Ad Hebr. 9. v. 12.
Matth. 26. v. 28.
Marc. 14. v. 24.
Suprà hoc cap. §. 25. & ſequentibus.

XXXII. Rectè igitur Tertullianus aduerſus Marcionem ad hunc modum ſcribit: *Sic Chriſtus & in calicis mentione teſtamentum conſtituens, ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam corporis confirmauit*. Quibus verbis duo aſſerit Tertullianus. Primum eſt, quòd CHRISTVS tunc conſtituit nouum teſtamentum, quando in cœna fecit mentionem calicis. Secundum eſt, quòd eodem tempore obſignauit CHRISTVS nouũ teſtamentum ſuo ſanguine. Eſt enim viſibile hoc ſacrificium ſanguinis CHRISTI, velut ſigillum, quo teſtamentum CHRISTI obſignatur. Et quia teſtamentum fit, conſtituitur & perficitur tunc, quando obſignatur, idcircò ſuprà cùm ageremus de literali ſenſu iſtorum verborum; Hic calix eſt nouum teſtamentum, diximus hanc eſſe cauſalem enunciationem, cuiuſmodi ſunt & aliæ quamplures ſacrarum literarum elocutiones: Senſus enim eſt: Hic calix efficit nouum teſtamentum, tanquam vera & propria eius cauſa: ſicut & CHRISTVS

Tertull. lib. 4. aduerſus Marc. c. 40. iuxta editionem Pamelij.
Contr. 3. c. 9 §. 11. & 12.

Ioan. 11. v. 25. 1. Cor. 1. v. 30. & 31. dicitur, *vita noſtra, reſurrectio noſtra, ſapientia noſtra, iuſtitia noſtra, ſanctificatio noſtra, & redemptio noſtra*, quia eſt cauſa harum omnium. Et cùm in his verbis Chriſti calix ſignificet contentum in calice (vt agnoſcunt omnes,) & S. Lucas expreſsè dicat hoc contentum in calice fuiſſe effuſum pro nobis in cœna, vt eodem loco ex Græco textu probauimus, verus ſenſus verborum Sancti Lucæ eſt: Contentum in hoc calice, eo ipſo, quòd iam effunditur pro vobis, efficit nouum teſtamentum meo ſanguine ſancitum.

Cap. 9. cit. §. 6.

XXXIII. Secundum argumentum, quo probamus CHRISTVM in cœna, & non in cruce conſtituiſſe nouum teſtamentum, deſumitur ex ſimilitudine, quæ eſt inter nouum teſtamentum & vetus. Neceſſe enim erat, vt nouum veteri reſponderet, vt Apoſtolus multis verbis docet, cùm ſcribit ad Hebræos. In conſtitutione autem veteris teſtamenti, quæ facta eſt à Moyſe, teſte Apoſtolo, hæc fuerunt: Primò oblatum eſt ſacrificium: Secundò ſanguinem ſacrificij excepit Moyſes in crateras: Tertiò, vnam partem ſanguinis effudit ſuper altare, alia aſperſit vniuerſum populum: Quartò Moyſes apertè populo indicauit, hunc ſanguinem eſſe illum, quo lex vetus ſanciebatur, & obſignabatur: *Hic eſt* (inquit) *ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus:* Quintò, cum ſanguine miſcuit etiam aquam: Sextò, in hac effuſione vſus eſt Moyſes etiam lana coccinea, & hyſſopo: Septimò, non tantùm populum, ſed & librum ipſum Legis aſperſit. Hæc tria vltima refert Apoſtolus ad Hebr. cap. 9. verſ. 19. Omnia hæc fecit CHRI-

Ad Heb. 9. & 10.

Exod. 24. v. 5. & ſequentibus. Ad Heb. 9. v. 19. 20. & 21.

CHRISTVS in cœna: Nam primò CHRISTVS obtulit in ſacrificium DEO Patri ſanguinem ſuum: Secundò, illum in craterem excepit: Tertiò, vnam partem ſanguinis effudit ſuper ſeipſum, verum noſtrum altare, & aliam partem ſuper omnes præſentes, nempe ſuper Apoſtolos, quibus ſuum ſanguinem præbuit. Quartò expreſsè ſignificauit ſe hoc ſuo ſanguine condere, & obſignare nouum teſtamentum, cùm dixit: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*; & iterum, *Hic calix nouum teſtamentum eſt*. Quintò, in calice poſuit Chriſtus etiam aquam, cùm cænaret, vt paulò pòſt oſtendemus. Sextò, in ſua aſperſione vſus eſt Chriſtus lana coccinea & hyſſopo, memoria videlicet paſsionis ſuæ: Nam caro CHRISTI, etſi ex ſe fuerit alba, vt lana, tamen in paſsione facta eſt rubra, vt lana coccinea; & humilis, vt hyſſopus. Septimò, librum ipſum legis nouæ aſperſit, id eſt, corda diſcipulorum ſuorum, in quibus ſcribitur lex noua, teſte Ieremia Propheta. Denique & hoc obſeruandum eſt, quòd ſacrificium illud, quo dedicata fuit lex antiqua, fuerit non tantùm pacificum, vt manifeſtè dicitur in Exodo, ſed etiam propitiatorium pro peccatis: Nam ex his, quæ Apoſtolus ad Hebræos ſcribit, apertè conſtat, non vitulos duntaxat, ſed & hircos in eo ſacrificio fuiſſe immolatos: *Accipiens Moyſes* (inquit Apoſtolus) *ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, &c.* Porrò hirci iuxta legem non immolabantur, niſi in ſacrificijs pro peccatis, vt videre eſt in libris Leuitici & Numerorum. In cruce autem neque excepit Chriſtus cratere ſuum ſanguinem, nec illum effudit ſuper populum ſuum, qui iam eum reliquerat,

Cap. ſeq. §. 3.

Ier. 31. v. 33.

Exod. 24. v. 5.

Ad Hebr. 9. v. 19.

Leuit. 4. v. 23.
Leu. 9. v. 3.
Leu. 16. v. 5.
Num. 7. v. 16. 22. 34.

nec vllam legitur feciſſe mentionem teſtamenti, dum penderet in cruce. Hoc argumento deſumpto ex ſimilitudine veteris & noui teſtamenti vtitur S. Chryſoſtomus, idq; ſæpiùs, & Theophylactus ſimiliter.

S. Chryſ. hom. 16 in c. 9. ad Heb. ad v. 18. & Hom. 83. in c. 26. Matt. ad v. 26 & hom 27. in 1. Cor. 11 ad v. 25. Theoph. in c. 26. S. Matth. & in c. 14. S. Marci.

XXXIV. Tertium argumentum, quo probamus Chriſtum in cœna, non in cruce, conſtituiſſe ſuum nouum teſtamentum, deſumitur ex proprietatibus ſeu conditionibus teſtamenti validi, quarum maior pars ſumpta eſt ex Sancto Chryſoſtomo in Epiſt. ad Hebr. Hom. 16. citata. Sunt enim ſeptem huiuſmodi conditiones ſeu proprietates. Prima eſt, vt ille, qui teſtatur, ſit ſui iuris & liber. Secunda, vt expreſsè dicat ſe condere teſtamentum. Tertia, vt teſtes adhibeat fide dignos. Quarta, vt aliquid det, & leget hæredibus, quos nominatim exprimere debet. Quinta, vt illis etiam viciſsim aliquid mandet, & præcipiat, quo poſsint hæreditatem iure conſequi, præſertim quando hæredes non ex natura, ſed ex gratia conſtituuntur; quemadmodum conſtituimur nos Dei hæredes. Sexta conditio, vt teſtator publicum conficiat inſtrumentum, illudque obſignet, vi cuius vnuſquiſq; hæredum acquirit id, quod ei legatum fuit. Septima, vt teſtator viuat vſq; ad perfectum, & obſignatum teſtamentum.

XXXV. Omnes hæ ſeptem conditiones fuerunt in cœna, in cruce autem minimè. Nam in primis Chriſtus in cœna erat adhuc liber & ſui iuris: in cruce iam traditus fuerat Iudæis, & Gentibus non tantùm à Pilato, ſed etiam à Patre ſuo, iuxta illa Chriſti verba ad Pilatum; *Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.*

Ioan. 19. v. 11.

XXXVI. Secundò, Chriſtus in cœna expreſsè dixit ſe condere teſtamentum ſuum; *Hic calix* (inquiens) *eſt*

eſt nouum Teſtamentum: & rurſus, *hic eſt ſanguis noui Teſtamenti.* In cruce non fecit vllam mentionem ſui Teſtamenti. Imò nunquam legitur Chriſtus feciſſe mentionem noui ſui Teſtamenti, niſi in cœna: ergo vel tunc fecit ſuum Teſtamentum nouum, vel nunquam. *1. Cor. 11. v. 25. Matt. 26. v. 28.*

XXXVII. Tertiò, in cœna adfuerunt teſtes fide digni, quibus & dixit Chriſtus paulò poſt cœnam; *Vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis*: At cùm Chriſtus eſſet in cruce; aufugerunt omnes iſti teſtes, præter vnum ſanctum Ioannem. *Ioan. 15. v. vit.*

XXXVIII. Quartò, in cœna apertis verbis indicauit Chriſtus Legatum ſuum noui Teſtamenti, & quibuſnam illud legauerit, cùm dixit; *hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum.* & iterum *hic eſt calix, qui pro vobis funditur.* Nam proprium Legatum noui Teſtamenti eſt remiſſio peccatorum. Id, quod ex Ieremia Propheta non ſemel probat ſanctus Paulus. Quibus autem per Teſtamentum nouum Chriſti iſta hæreditas legetur, ſatis perſpicuè oſtenditur, cùm ſanguis noui Teſtamenti dicitur effundi pro Apoſtolis, & pro multis alijs. In cruce autem nihil horum factum eſt. *Matt. 26. v. 28. Iere. 31. v. 34. Hebr. 8. v. 12. & Heb. 10. v. 17.*

XXXIX. Quintò, in cœna Chriſtus apertis verbis declarauit, quid ab hæredibus ſuis exegerit, & quid illis mandauerit; *hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Et rurſus, *mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* In cruce de his ſummum ſilentium. *Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. Ioan. 13. v. 34.*

XL. Sextò, Teſtamentum ſuum nouum conſcripſit Chriſtus in libro legis nouæ, hoc eſt, in cordibus ſuorum Apoſtolorum: *nouum enim Teſtamentum* (vt ait Apoſtolus) *non ſcribitur atramento, ſed Spi-* *2. Cor. 3. v. 3. & 6.*

ritu Dei viui; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Sigillum autem, quo obſignauit Chriſtus nouum Teſtamentum, erat hoc viſibile Sacramentum & ſacrificium, quo exhibuit & effudit ſuum ſanguinem in remiſſionem peccatorũ; ſanguine enim hoſtiæ oblatæ obſignabatur etiã vetus Teſtamentum, vt poſt Moyſem declarat Apoſtolus.

XLI. Ac proinde dixit Chriſtus, *hic calix eſt nouum Teſtamentum,* id eſt, efficit nouum Teſtamentum: nam tunc efficitur, & conſummatur Teſtamentum, quando obſignatur. In cruce autem nec fecit, nec obſignauit Chriſtus ſuum Teſtamentum, ſed iam antea in cœna factum & obſignatum ſua morte ita confirmauit, vt ampliùs aboleri, aut mutari non poſſet.

Exod. 24. v. 8. Ad Heb. 9. v. 18. 19. & 20.

XLII. Septimò, Chriſtus toto tempore cœnæ viuebat, quare eo tempore poterat Teſtamentum cõdere. At in cruce mortuus eſt Chriſtus, & non niſi poſt mortem Chriſti confirmatum fuit nouum Teſtamentum: Atqui homo poſt mortem teſtari non poteſt: Non eſt igitur confirmatio illa Teſtamenti, quæ fit per mortem teſtatoris, ipſa conſtitutio & factio Teſtamenti; ſed quid conſequẽs ipſam Teſtamenti confectionem.

XLIII. Ex his omnibus ſatis conſtat nouum Teſtamentum factum eſſe & perfectum in cœna, confirmatum autem in cruce, idque poſt mortem Chriſti: Et cùm ipſa inſtitutio, & confectio Teſtamenti noui neceſſariò exigeret ſacrificium propitiatorium, in quo ſanguis Chriſti, quo ſancitur nouum Teſtamentum, effunderetur in remiſſionem peccatorum, neceſſe etiam eſt, vt fateamur & agnoſcamus propitiatorium ſacrificiũ à Chriſto oblatum fuiſſe in cœna, cùm nouum face-

faceret Teſtamentum.

XLIV. Tertium principale argumentum, quo probamus Chriſtum in cœna obtuliſſe propitiatorium ſacrificium, ſumitur ex perfectione ſacrificij propitiatorij Chriſti, quo etiam conuincimus Chriſtum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus præſcripſiſſe, vt illi pro quotidianis noſtris peccatis in perſona Chriſti (vt cum Apoſtolo loquar) ſacrificium propitiatorium iuge & quotidianum vſque ad finem mundi offerrent. Duplicem namque habemus peccatorum remiſſionem per Chriſtum, vnam generalem, qua Chriſtus ſatisfecit plenè, & copioſiſſimæ iræ & iuſtitiæ Dei non tantùm pro peccatis electorum, ſed etiam pro peccatis totius mundi, de qua loquitur ſanctus Ioannes, cùm dicit: *Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Iſta generalis remiſſio facta eſt in cruce: nam Chriſtus paſſione & morte ſua vberrimè ſatisfecit Deo, & pretium largiſſimè ſoluit pro peccatis totius mundi. Et hæc ſemel duntaxat facta eſt, neque vnquam iterabitur, cùm illa vnica in ſuo genere ſit abundantiſſima; de qua proinde dicit Apoſtolus; *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.*

2. Cor. 2. v. 10.

1. Ioan. 2. v. 2.

Ad Heb. 9. v. vlt.

XLV. Alia eſt remiſſio peccatorum, qua generalis illa remiſſio ſingulis applicatur, cùm ſinguli accipiunt particularem remiſſionem ſuorum peccatorum. Hæc ſecunda remiſſio non eſt facta in cruce tantummodò, ſed fit adhuc quotidie, & fiet vſque ad finem mundi: nulli enim remittuntur peccata à Deo, niſi per applicationem redemptionis & remiſſionis illius gene-

Act.4 v. 12. generalis, quam Chriſtus fecit in cruce.

XLVI. Porrò Sacerdotium Chriſti vtramque hanc remiſſionem in ſe neceſſariò continet: nam etſi poſterior, quæ fit per applicationem, vim ſuam & robur accipiat à priore illa generali remiſſione, tamen poſterior non minùs neceſſaria eſt nobis, quàm prior: quia prior illa prodeſſe nobis nõ poteſt, niſi illa per poſteriorem applicetur. Plena igitur & perfecta remiſſio peccatorũ eſſe nõ poteſt ſine vtraq; remiſſione: proinde remiſſio peccatorũ, quã habemus per ſacrificiũ viſibile Chriſti perfecta non eſſet, niſi illa præter generalẽ remiſſionẽ contineret etiã ſpecialẽ, neq; ſacrificiũ Chriſti propitiatorium eſſet perfectum, niſi illud vtramque remiſſionem in nobis efficeret, cùm plena & perfecta propitiatio peccatorum ſine vtraque remiſſione eſſe non poſſit.

XLVII. Chriſtus igitur verus & perfectus Sacerdos noſter, cùm eſſet ſequenti die oblaturus magnum illud & vniuerſale ſacrificium in generalem remiſſionem omnium peccatorum, pridie quàm iſtud offerret, inſtituit aliud applicans ſacrificium in particularem, & quotidianam peccatorum remiſſionem, quod duraturum erat, quamdiu duraret quotidiana, & particularis iſta peccatorum remiſſio, quam in Symbolo Apoſtolorum profitemur. Hac enim ratione Chriſtus non tantùm generalem illam peccatorum remiſſionem ſemel operatus eſt per ſacrificium ſuum cruentum, ſed & particularem ſeu applicantem ſuam remiſſionem quotidie operatur per ſuum incruentum ſacrificium.

XLVIII. *S. Chryſ. S. Ambroſ. Primaſius.* Atque hinc etiam eſt, quòd Patres ſæpè dicere ſoleant, noſtrum ſacrificium incruentũ non eſſe aliud à ſacrificio crucis, ſed idem omninò; non ſolùm

lùm quia vtriuſque ſacrificij vna & eadem eſt hoſtia, nempe corpus Chriſti, ſed etiam, quia vtriuſque ſacrificij, cruenti & incruenti, vnus eſt & idem plenus, abſolutus & perfectus effectus: nã pretium illud, quod cruentum Chriſti ſacrificium pro omnibus ſoluit, hoc incruentum multis applicat, iuxta illud Matthæi & Marci; *hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Atque hac ratione abſolutum & prorſus perfectũ eſt Chriſti ſacrificium & ſacerdotium non ſolùm qua ſoluit redemptionis noſtræ pretium, ſed etiam qua illud multis applicat: alioqui enim ſi deeſſet hoc applicans Chriſti ſacrificium, manca eſſet & imperfecta remiſſio illa peccatorum, quã à Chriſto accipimus, cùm, vt ſæpè diximus generalis remiſſio ſine applicante non proſit. Quare de hoc applicante ſacrificio prudenter monet Concilium Tridentinum, *Chriſtum hoc incruentũ & quotidianum ſacrificium inſtituiſſe, vt ſalutaris virtus cruenti ſacrificij in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum,* applicaretur.

Theoph Oecum. S. Anſel. in c. 10. ad Hebr. & Theod. in c. 5 ad Hebr.

Matt. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1.

XLIX. Non ignoramus redemptionem à Chriſto in cruce factam varijs modis nobis applicari: nã iſta aliquando applicatur nobis per fidem viuã, & bona opera; ſed iſta eſt noſtra applicatio, non ſolius Chriſti, nos enim ſumus, qui credimus, qui opera bona facimus. Deinde longè eſt imperfectior iſta applicatio, quàm eſt applicatio ipſius Chriſti, de qua hic agimus. Imò noſtra applicatio per fidem aut bona opera, tota pendet ab applicatione Chriſti, & in ea, vt in radice, vel maximè nititur. Nunquam enim poſſet vllus recedere, aut benè operari, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia, aut vita æterna conferatur, niſi Chriſtus ipſe ſua merita ei priùs applicaret, vt contra Pela-

gia-

Digitized by Google

Conc. Trid. ſeſſ. 6. can 1. 2. & 3. gianos antiquos & recentes benè declarat Concilium Tridentinum.

L. Sæpè etiam applicatur nobis redemptio crucis per Sacramenta nouæ legis, præſertim per Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ, quæ ſunt præcipuè inſtituta ad remiſſionem peccatorum conſequendam; eſtque hæc applicatio ipſius Chriſti: Chriſtus enim eſt, qui per ſuos miniſtros baptizat, & abſoluit. Verùm hæc non eſt perfecta Chriſti applicatio, ſed imperfecta. Deinde hic non agimus de quauis applicatione Chriſti, ſed de Sacerdotali & ſacrificali eius applicatione, quæ fit vi ſacrificij oblati. Porrò hæc ſacerdotalis & ſacrificalis ipſius Chriſti applicatio nuſquam fit, niſi in ſacrificio, & per ſacrificium Miſſæ:

LI. Eſt etiam ſacramentalis applicatio duplici ratione imperfectior ſacrificali. Primò, quia ſacramentalis non fit ordinariè, & eadem actione, niſi vni ſoli præſenti, & viuo: at ſacrificalis fit eadem actione multis, tam præſentibus, quàm abſentibus; tam viuis, quàm defunctis; imò toti prorſus Eccleſiæ Chriſti. verbi gratia, vnus ſolus vna actione baptizatur præſens & viuus: & vnico Miſſæ ſacrificio, tam vni, quàm multis; tam præſentibus, quàm abſentibus: tam viuis, quàm defunctis applicat Chriſtus merita ſua.

LII. Secundò, quia applicatio ſacramentalis requirit neceſſariò in his, qui habent vſum rationis, diſpoſitiones & præparationes antecedentes, fidei, ſpei, amoris & pœnitentiæ: at ſacrificalis has non requirit præuias, ſed illas etiam à Deo ſæpè impetrat his, qui ſunt infideles, & impœnitentes. Hinc illa verba Concilij Tridentini, cùm de hoc Miſſę ſacrificio agit, *huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens;* (Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2.)

dens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.

Hæc etiam cauſa eſt, cur ſacrificium Miſſæ non tantùm offeratur pro fidelibus & pœnitentibus, ſed etiam pro infidelibus, Iudæis, hæreticis, Schiſmaticis & impœnitentibus, vt conuertantur; imò & pro totius mũdi ſalute, vt in prima calicis oblatione dicitur in Miſſa Latina. Id, quod non obſcurè indicat Apoſtolus, cùm *obſecrat primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, etiam infidelibus.* Quæ omnia de his, quæ in ſacrificio Miſſæ peraguntur, intelligenda eſſe demonſtrat S. Auguſtinus. Quamuis enim abſolutè & directè non ſit offerendum ſacrificiũ pro excõmunicatis & infidelibus publicè: tamen indirectè & priuatim poſſumus, & debemus orare & ſacrificare pro illis, quatenus id conducit ad maiorem Dei gloriã, aut Eccleſiæ vtilitatem. verbi gratia, vt cõuertantur & viuant; vt ceſſent perſequi Eccleſiã. Atque hinc eſt, quòd Apoſtolus, cùm dixiſſet orandũ pro Principibus infidelibus, mox causã hãc adiecerit; *vt quietam & tranquillam vitam agamus.* LIII.

1. Tim. 2. v. 1.

S. Aug. to. 2. epiſt. 59. ad Paulinũ q. 5.

1. Tim. 2 v. 2.

Quòd ſi Chriſtus Dominus noſter nullum in Eccleſia ſua reliquiſſet ſacrificiũ, quo ſua merita applicarẽtur quotidie in remiſſionẽ peccatorum quotidianorũ, nõ vni ſoli, ſed multis; imò omnibus peccatoribus, atq; adeò ad conſequendã etiã ipſam primã gratiam, donũ pœnitentiæ, & primã ſalutis æternæ originem, non fuiſſet perfectũ illud Chriſti applicans ſacrificiũ, ſed multis nominibus imperfectum, cùm illud non oẽs iuuare poſſit, nec prima ſalutis initia vlli adferre: Quod nihil aliud eſt quàm Chriſtum Dominum, qui perfectiſſimus, & æternus eſt Sacerdos, ſecũdùm ordinem Melchiſedech, iuxta Scripturas, LIV.

Pſal 109 v. 4. ad Hebr. 7. v. vlt.

pri-

priuare ſuo perfecto ſacrificio & ſacerdotio,& in eius locum imperfectũ, & mancum ſacerdotium atque ſacrificium ſubſtituere atque ſupponere: quale erat in lege naturali & Moſaica, cùm bruta animalia Deo offerebantur.

LV. Quartum principale argumentum, quo probamus Miſſæ ſacrificium eſſe propitiatorium, deſumitur ex authoritate antiquorum Patrum, quorum ſententias copioſè & diligenter collegerunt Bellarminus & Coccius. Quare ne videar actum agere, ſatis mihi erit conſenſum totius antiquæ Eccleſiæ breuiter declarare. Extat enim Liturgia Romanæ Eccleſiæ antiquiſſimà, ab ipſo S. Petro tradita. Extat Hieroſolymitana S. Iacobi,& S Cyrilli. Extat & Alexandrina S. Marci, & S. Seueri Extat etiam S Clementis Apoſtolorum diſcipuli. Extat quoque S. Dionyſij Areopagitæ. Extat & Conſtantinopolitana S. Chryſoſtomi. Extat & Cæſarienſis S. Baſilij. Extant denique AEthiopum, Syrorum, Babyloniorum, Armeniorum, Mozarabum, Chriſtianorum S. Thomę, & omnium aliorum Chriſtianorum, tam Occidentalium, quàm Orientalium Miſſæ ſeu Liturgiæ. in quibus omnibus à temporibus Apoſtolorum huculque ſemper offerebatur hoc ſacrificiũ pro remiſſione peccatorum tam viuentium, quã defunctorum fidelium.

Bellar. lib. 2. de Miſſa c 2. & 7. Cocc. To. 2. lib. 6. ar. 4. Hæ omnes Liturgiæ extant apud Margarinum in ſua Bibliotheca veterum Patrum to. 6. & in auctuario eiuſdem Bibliotheca to. 1. & 2.

LVI. Neq; poſſunt aduerſarij dicere, hos omnes fuiſſe in errorem inductos à Papa Romano: nã multi fuerunt ex iſtis, qui neque ſciebant, an vllus eſſet Papa Romanus; alij magna ex parte erant Schiſmatici, qui doctrinam Romanæ Eccleſiæ non recipiebant, niſi quatenus ea cum ipſorum doctrina congruebat. Maiorem certè aut ampliorem totius antiquitatis ſenſum aut conſenſum de propitia-

pitiatorio hoc ſacrificiò, ſiue pro viuis, ſiue pro defunctis nemo iure poſtulabit.

Iã vt de ſacrificio pro mortuis aliquid in ſpecie dicamus, ea, quæ ex ipſis ſacris literis attulimus, ſatis probãt hoc ſacrificiũ valere ad remiſſionẽ peccatorũ quorumcunque, ſiue viuentiũ, ſiue vita defunctorum, dummodò iſti in viua Chriſti fide defuncti ſint. Nam cùm Chriſtus Dominus noſter in ipſa huius ſacrificij inſtitutione apertis verbis affirmet ſanguinẽ ſuũ in hoc ſacrificio effundi in remiſſionẽ peccatorũ non tantũ præſentium, ſed & aliorum multorum; & ſanguinis Chriſti effuſio ſit ſufficientiſſima expiatio pro peccatis tam viuorum, quàm mortuorum, nullius peccata, quæ expiari poſſunt, ab hac tam potenti expiatione excludi debent. LVII. *Matt.26. v.28. Luc 22. v. 20. Marc.14. v.24.*

Deinde in hoc ſacrificio conſtituitur & renouatur Teſtamentum Chriſti, vt iam probatum eſt: Atqui omnes in Chriſto mortui ad Teſtamẽtum Chriſti pertinent, eiuſque ſunt participes: quare à Teſtamento hoc Chriſti nec viui, nec mortui in Chriſto excipiendi ſunt. LVIII. *Hoc ipſo c. §.30. & ſeq*

Poſtremò hoc incruentum ſacrificium eſt viuum exemplar, imitatio, atque exacta repræſentatio cruenti ſacrificij Chriſti: quemadmodum igitur Chriſtus in cruce cruentum ſacrificium obtulit tam pro viuis, quàm pro mortuis; ita & hæc eius repræſentatio tam pro viuis, quàm pro defunctis offerenda eſt. Neque enim dubitari poteſt, quin Chriſtus in cruce obtulerit ſacrificium etiam pro defunctis. Id, quod non obſcurè declarat Apoſtolus, cùm ſcribit, *Chriſtum eſſe propitiationem propter remiſſionem præcedentium delictorum*; omnium proculdubiò electorum, qui illum præceſſerunt ab initio mundi: *omnes enim peccauerunt*, LIX. *Rom.3. v. 25.*

T &

Ib.v.23. *& egent gloria Dei*,vt eodem loco docet Apoſtolus. Obtulit igitur Chriſtus cruentum ſuum ſacrificium non tantùm pro illis,qui tunc viuebăt, ſed etiam pro omnibus fidelibus defunctis, qui ante illum mortui fuerunt à mundi exordio: nemo enim illorum ſine Chriſti gratia & meritis vnquam remiſſionem peccatorum conſecutus eſt,cùm *Chriſtus ſit vnus ille mediator Dei & hominum,qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*.Cùm igitur Chriſtus in paſſione & morte ſua *preces, ſupplicationes, & ſacrificium obtulerit, etiam cum clamore valido & lacrymis*,Apoſtolo teſte,pro peccatis tam viuorum,quàm mortuorum, meritò & in huius ſacrificij cruenti commemoratione ac repræſentatione perfecta preces ſimiliter, ſupplicationes & ſacrificium offeruntur pro peccatis tam viuorum, quàm mortuorum, vt hac ratione exemplar prototypo reſpondeat.

1.Tim.2.v.5.& 6.
Ad Heb.5.v.7.

LX. Atque hinc eſt, quòd crebrò aſſerant Patres antiqui, Eccleſiam antiquam in hoc incruento ſacrificio celebrando,ex ipſorum Apoſtolorum traditione & doctrina,ſemper conſueuiſſe pro fidelibus defunctis orare,& ſacrificare.Multorum verba extant apud Bellarminum & Coccium.

Bellar.lib.2.de Miſſa,c.7.
Coccius to.2.lib.7.art.5.

LXI. Nobis ſatis erit,duos huius rei teſtes locupletiſſimos adducere;alterum ex Græca Eccleſia, alterum ex Latina,S.Chryſoſtomum nempe & S. Auguſtinum.S.Chryſoſtomus enim ad hũc modum ſcribit de ritu ſacrificandi pro mortuis: *Nõ fruſtra hæc ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta,vt in venerandis,inquam, atque horrificis myſterijs memoria eorum fiat,qui deceſſerunt: nouerant hinc multum ad eos lucri accedere,multum vtilitatis.* Sanctus verò Auguſtinus ita;*Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari,& eleemoſynis,quæ pro eorum ſpiritibus*

S.Chryſ. ſer.3.in ep. ad Philip. ſub finem.
S.Aug.to.10 de verb. Apoſt.ſer.32 iuxta edit.Lou. qui in an-

tibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditū vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium ſuo loco commemorantur, oretur; ac pro illis quoque id (ſacrificium nempe) *offerri commemoretur.* Quibus in verbis duo pro defunctis vbique facta fuiſſe teſtatur ſanctus Auguſtinus ſua ætate, videlicet & pro illis tempore ſacrificij oratum fuiſſe, & pro illis ipſum ſacrificium corporis & ſanguinis Domini fuiſſe oblatum. Satis etiam conſtat Aerium hæreſeos crimine notari à Sanctis Patribus Epiphanio, & Auguſtino, quòd negauerit orandum eſſe, aut ſacrificium offerendum pro mortuis

tiq. edit. eſt ſermo 34.

S. Epiph. hæreſ. 75.

S. Aug. to. 7. de hæreſib. hæreſ. 53.

LXII. Poſtremò etiam in veteri lege extabat non obſcura præſignificatio huius noſtri ſacrificij pro mortuis: nam & ſacrificium illud propitiatoriū, quod pro peccatis viuorum communiter offerebatur, etiam offerri pro peccatis mortuorum aliquando conſuetum fuiſſe, teſtatur illud factum Iudæ Machabæi, quod in ſecundo Machabæorū libro narratur: quam ob cauſam conantur aduerſarij hunc librum è canone ſacrorum librorum expungere, ſed fruſtra, vt alibi oſtendimus.

2. Machabæor. 12. v. 43.

Contr. 1. c. 5

LXIII. Certè negare non poſſunt aduerſarij, quin ſolemne illud ſacrificium expiatorium, quod quotannis ſemel offerebatur pro peccatis totius Synagogæ, iuxta præceptum Domini Leuitici decimoſexto oblatum fuerit etiam pro peccatis mortuorum: offerebatur namque illud pro cunctis peccatis filiorū Iſrael toto eo anno cōmiſſis: atqui dubiū nō eſt, quin multi ex illis, qui eo anno peccauerant, ante illud ſacrificiū mortē obierint,

Leuit. 16. v. 2. & ſeq.

Leuit. 16. v. vlt.

Digitized by Google

pro quorum nihilominus peccatis illud offerebatur.

LXIV. Ex argumentis hoc capite allatis ſatis conſtare poterit, ſacrificium Miſſæ propitiatorium eſſe ſacrificium tam pro viuis, quàm pro defunctis. Reſtat vt reſpondeamus argumentis Aduerſariorum, quibus oppugnare ſolent Miſſæ ſacrificium.

CAPVT VI.

Soluuntur argumenta Aduerſariorum contra ſacrificium Miſſæ.

I. OMNIA Aduerſariorum argumenta proſequi ſuperuacaneum eſſet, quòd plurima ſint ex his, quæ omni carent probabilitate; pleraque leuia & admodum infirma, quæ à quouis vel mediocriter docto facilè dilui poſſint: quare ſatis erit præcipua ipſorum argumenta adducere. Pręcipua autem argumenta deſumunt ex epiſtola ad Hebræos: quamuis alioqui hanc epiſtolam vel ex canone ſacrorum librorum noui Teſtamenti expungant, vel certè non agnoſcant eam ſcriptam eſſe ab Apoſtolo S. Paulo, ſed ab alio, quem nominare non poſſunt. Verùm vt aduerſarios de hoc præſidio deijciamus, iam oſtendemus argumenta, quę illi colligunt ex epiſtola ad Hebręos, infirma eſſe.

Lutherus & Calu. in ſuis præfat. ante epiſt. ad Hebr.

II. Primum argumentum aduerſariorum eſt. Apoſtolus ad Hebręos 7. multis verbis docet, Chriſtum vnicum eſſe noui Teſtamenti Sacerdotem. Reſp. Dicit quidem Apoſtolus, Chriſtum *eſſe magnum Sacerdotem noui Teſtamenti*, ad Hebr. 4. v. 14. & c. 10. v. 21. hoc eſt ſummum & præcipuum, ſed vo-

vocem, *vnicum*, addunt aduerſarij, & nominatim Caluinus more ſuo. Imò Apoſtolus ſatis declarat, Chriſtum non eſſe vnicum & ſolum Sacerdotem noui Teſtamenti, ſed alios etiam ſub ſe habere Sacerdotes, ſibi tamen ſubiectos & ſubſtitutos, atque ab eo inſtitutos ac pendentes. Nam Chriſtus ab Apoſtolo non tantùm vocatur ἱερεὺς, id eſt, Sacerdos (quo modo vocatur Melchiſedech ad Hebræos 7. verſu 1. & 3. qui nullum alium ſui ordinis Sacerdotem ſub ſe habuiſſe legitur;) ſed etiam vocatur ἀρχιερεὺς, hoc eſt, Princeps Sacerdotum, etiam ſecundùm ordinem Melchiſedech, vt videre eſt ad Hebræos 5. verſu 10. & capite 6. verſu vltimo. Porrò non poteſt rectè & verè dici Princeps Sacerdotum ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui nullum habet ſub ſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech: nemo enim dicitur Princeps aliorum, niſi reſpectu aliorum, quibus præeſt: ſui ipſius autem nemo dicitur Princeps. Quare eo ipſo, quòd Apoſtolus aſſerat Chriſtum non tantùm eſſe Sacerdotem ſecundū ordinē Melchiſedech, ſed etiam Principē Sacerdotū ſecūdū ordinē Melchiſedech, apertè declarat, Chriſtū ſub ſe habere alios Sacerdotes ſecūdùm ordinem Melchiſedech. Quemadmodum cùm Chriſtus vocatur ἀρχιποίμην, id eſt, Princeps Paſtorum, manifeſtè declaratur, quòd Chriſtus alios ſub ſe, ſibique ſubiectos habeat Paſtores. Sic cùm Zachæus vocatur ἀρχιτελώνης, id eſt, Princeps publicanorum, ſatis declaratur, quòd ille habuerit alios publicanos ſibi ſubiectos. Denique cùm Caiphas vocatur ἀρχιερεὺς, id eſt, Princeps Sacerdotum legalium, omnibus perſpicuè declaratur, illum habuiſſe alios ſub ſe Sacerdotes legales: Iure igitur optimo colligimus

Cal. lib. 4. inſtit. c. 18. ſect. 14. ſub finem.

1. Petri 5. v. 4.

Luc. 19. v. 2.

Ioan. 11. v. 49. & 51.

mus ex eo, quòd Chriſtus vocatur ἀρχιερεύς, id eſt, Princeps Sacerdotum ſecundùm ordinem Melchiſedech, Chriſtum habere ſub ſe alios inferiores Sacerdotes ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui alij eſſe non poſſunt, quàm illi, qui à tempore Chriſti hucuſque ſemper obtulerunt ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini iuxta ordinem & ſimilitudinem Melchiſedech, vt loquitur Apoſtolus.

Ad Heb. 7. v. 11. & 15.

III. Sed inſtat Caluinus, Chriſtus manet Sacerdos in æternum, in quem tranſlata ſunt omnia ſacerdotia. Reſp. Æternitati ſacerdotij Chriſti nihil obſtat, quòd habeat in terris alios ſibi ſubſtitutos Sacerdotes, nam Chriſtus eſt, qui in æternum baptizat, habet tamen ſub ſe miniſtros, qui baptizant: Chriſtus eſt, qui nos docet & paſcit in æternum; habet tamen ſub ſe Doctores & Paſtores: Chriſtus eſt, qui nos in æternum reconciliat Deo, & tamen habet miniſtros, per quos homines Deo reconciliat. *Dedit* (inquit Apoſtolus) *nobis miniſterium reconciliationis, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.* Chriſtus eſt, qui in æternum regit Eccleſiam ſuam, & tamen *poſuit etiam Epiſcopos regere Eccleſiam ſuam.* Sic Chriſtus habet ſummum & ſupremum ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech; habet tamen & alios ſub ſe miniſtros & Sacerdotes, qui ſecundùm eundem ordinem quotidie ſacrificant: Chriſtus enim omnia hæc facit vera, & vt principalis cauſa, ſed inuiſibiliter; at verò miniſtri hæc omnia operantur in perſona Chriſti viſibiliter: *pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos,* vt ait Apoſtolus. Et alibi, *Ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.* Quem-

Cal. ſect. 14. cit. inſi. *Ioan. 1. v. 33.* *Matt. vlt. v. 19.* *Ad Epheſ. 4. v. 11.* *2. Cor. 5. v. 18. & 19.* *Act. 20. v. 28.* *2. Cor. 5. v. 20.* *2. Cor. 2. v. 10.*

Quemadmodum ergo baptizat Chriſtus inuiſibiliter, miniſtri Chriſti viſibiliter: docet Chriſtus inuiſibiliter, miniſtri Chriſti viſibiliter: paſcit Chriſtus inuiſibiliter, miniſtri Chriſti viſibiliter: recõciliat nos Deo Chriſtus inuiſibiliter, miniſtri Chriſti viſibiliter. *Quorũ* (inquit Chriſtus diſcipulis ſuis) *remiſeritis peccata, remittuntur eis.* regit Eccleſiam Chriſtus inuiſibiliter, Epiſcopi eius miniſtri viſibiliter: ad eundem modum Chriſtus eſt, qui in æternum ſacrificat inuiſibiliter, ſed Sacerdotes miniſtri eius viſibiliter: hoc enim exigit natura viſibilis Eccleſiæ, vt omnes huiuſmodi publicæ actiones, quæ in vtilitatem viſibilis Eccleſiæ fiunt, non tantùm fiant inuiſibiliter, ſed etiam viſibiliter: nam ſi huiuſmodi actiones inuiſibiliter duntaxat fierent, homines certi non eſſent, quando hæc fierent; inuiſibilia namque non cernuntur: at verò cùm omnes hæ ſpirituales & myſticæ actiones viſibiliter, & ante oculos omnium executioni mandantur, omnibus manifeſtæ & certæ redduntur.

Ioan. 20. v. 23.

IV. *Cal. loc. cit.*

Quod denique poſtremo loco dicit Caluinus; *neminem poſſe ſibi vſurpare honorem ſacerdotij ſine diuina vocatione*, veriſſimum eſt: ſed quod addit, *Deum abrogatis illis omnibus veteribus ſacerdotijs, nullum inſtituiſſe*, planè falſum eſt: nam abrogatis omnibus veteribus ſacrificijs & ſacerdotijs, illis ſubſtituit Deus ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, quod non ad breue tẽpus, ſed in ęternũ duraret, vt Apoſtolus perſpicuè docet. Chriſtus igitur ne morte ſua extingueretur, & interiret æternũ hoc ſacerdotiũ, pridie antequã moreretur, diſcipulis ſuis illud ipsũ cõmunicauit cũ dixit, *hoc facite in meã cõmemorationẽ*: Nam his ver-

Ad Hebr. 7. v. 11. 12. 18. & 19.

Luc. 22. v. 19.

verbis dedit illis poteſtatem, atque mandatum
1. Cor. 11. v. 24. offerendi corpus & ſanguinem ſuum in remiſſionem peccatorum tam pro viuis, quàm pro defunctis, vt præcedenti capite fusè probauimus.

V. Longè aliter quàm Caluinus loquuntur ſancti Patres de abrogatione ſacerdotij & ſacrificiorū legis Moſaicæ. Hi enim vbique docent in locum tam diuerſorum veterum ſacrificiorum vnicum ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, iuxta ordinem Melchiſedech, ſucceſſiſſe. Huius rei teſtes duos, vnum ex Latina Eccleſia, & alium ex Græca adducemus. S. Auguſtinus (cui plurimum tribuunt aduerſarij) ita hanc rem non tantùm aſſerit, ſed etiam ex Scriptura probat, cùm explicat illa verba Salomonis iuxta verſionem 70. Interpretum: *Non eſt bonum homini, niſi quod manducabit,*
Eccleſ. 2. v. 24. *& bibet. Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem menſæ huius pertinet, quam Sacer-*
S. Aug. to. 5. lib. 17. de ciuit. Dei, c. 20. *dos ipſe mediator Teſtamenti noui exhibet, ſecundùm ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo. Id enim ſacrificiū ſucceſſit omnibus illis ſacrificijs veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri: propter quod etiam vocem illam in Pſalmo trigeſimo & nono eiuſdē mediatoris per Prophetiā loquentis agnoſcimus: Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi: quia pro illis omnibus ſacrificijs, & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur.* Et alio in loco explicans eadem verba Pſalmi trigeſimi noni, ſcribit ad hunc mo-
S. Aug. to. 8. ad v. 7. Pſal. 39. dum: *Sacrificium, inquit, & oblationem noluiſti. Quid ergo? nos iam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſſi ſumus? abſit. Corpus autem perfeciſti mihi. Ideò illa noluiſti, vt hoc perficeres. Illa voluiſti, antequam hoc perficeres.* Et paulò pòſt, *Hoc* (corpus) *promittitur quibuſdam ſignis: abla-*

Digitized by Google

ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. In hoc corpore ſumus, huius corporis participes ſumus, quod accipimus, nouimus: & qui non noſtis, noueritis, & cùm didiceritis, vtinam non ad iudicium accipiatis: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. S. Chryſoſtomus verò ita ſcribit: *In veteri quidem Teſtamento, quoniam affecti erant imperfectius, quem idolis offerebant ſanguinem* (brutorum videlicet,) *eum ipſe ſuſtinuit ſuſcipere, vt ab illis* (nempe idolis) *abduceret: quod ipſum quoque erat amoris ineffabilis. Hic autem in eo, quod eſt longè horribilius & magnificentius, ſacram conſtituit operationem: vt qui & ipſum mutarit ſacrificium, & pro cæde brutorum ſeipſum iuſsit offerri.* Hæc S. Chryſoſtomus.

1. Cor. 11. v. 29.

S. Chryſoſt. Hom. 24. in 1. ad Cor. 10. ad v. 16. calix benedictionis, &c.

VI. Secundum argumentum Aduerſariorum eſt tale: Apoſtolus ad Hebræos ſæpe dicit: *Chriſtum vnam duntaxat obtuliſſe hoſtiam; vna oblatione conſummaſſe ſanctificatos: Iam non relinqui pro peccatis hoſtiam.* Verùm hoc argumentum ſuprà refutauimus cap. 1. huius controuerſiæ: vbi oſtendimus, voces, oblationis, hoſtiæ, & ſacrificij in ſacris literis non ſignificare ipſam actionem ſacrificij, ſed rem actione oblatam, & ſacrificatam. Porrò ſacerdotes noui teſtamenti in ſacrificio Miſſæ non aliam offerunt oblationem, nec aliam hoſtiam, nec aliud ſacrificium, quàm illud ipſum, quod Chriſtus obtulit in cruce, corpus nempe & ſanguinem Chriſti, atque adeò totum & integrum Chriſtum Deum & hominem. Id quod huic obiectioni olim reſponderunt Patres antiqui, qui ſcribunt in Epiſtolam ad Hebræos, S. Chryſoſtomus, S. Ambroſius, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Primaſius, S. Remigius, & reliqui.

Ad Heb. 10. v. 12. 14. 18. & 26

Vide ſuprà c. 1. huius controu. §. 4. 5. & ſeqq.

In c. 8. & 10. ad Heb.

Digitized by Google

VII. His etiam addendum, quòd quamuis nomen ſacrificij, aut oblationis in ea ſignificatione accipiatur, qua ſignificat ipſam actionem, & cultum Dei, nihilominus multitudo, differentia & diſcrimen ſacrificiorũ aut oblationum nunquã oritur ex ſola differentia aut multitudine actionũ, quæ fiunt circa hoſtiam ſeu rem oblatam, niſi etiã mutetur ipſa hoſtia & res oblata in aliam. Nam in veteri lege ſacerdotes plurimas diuerſas & differentes actiones exercebant circa vnum vitulũ, aut vnũ agnum, quem primò adducebant ad oſtiũ tabernaculi, deinde iugulabant, poſteà ſanguinem animalis vaſe accipiebãt, illumq́; ſupra & circum altare fundebant: corpori mortuo pellẽ detrahebãt: corpus ipſum in varias partes diuidebãt: quaſdã ex his comburebãt, quaſdã comedebant: Omnes tamen hæ actiones non niſi vnũ efficiebãt ſacrificiũ, & vnã oblationẽ, quia vnica erat victima. Sic in Chriſti Domini noſtri paſsione multa fuerunt & diuerſa, quæ pertulit Chriſtus pro nobis, cũ in horto orauit, vſq; ad agoniã & ſanguinis ſudorem; cùm ligatus fuit & flagellatus, cùm ſpinis coronatus, cùm crucẽ tulit in montem Caluariæ, cùm crucifixus fuit, cùm felle potatus, cùm ſpiritum emiſit: & tamen omnia iſta diuerſa tormenta vnicum ſacrificium, non plura effecerunt, quòd vnica eſſet victima, vnica hoſtia, ipſe nẽpe Chriſtus. Ad eũdem modum etiamſi Chriſtus in cœna alijs vſus ſit actionibus in oblatione incructa corporis & sãguinis ſui, & alijs in ſua paſsione, & alijs quotidie vtatur in ſacrificio Miſſæ per ſuos miniſtros, idem tamen fuit ſacrificium, eademq́; oblatio in cruce & in cœna; eſtq́; adhuc ſacrificiũ Miſſę idem ſacrificium, eademq́; oblatio cum ſacrificio crucis. Atque hinc eſt, quòd meritò dicant Patres anti-

Luc. 22. v. 43. & 44.

antiqui citati, qui Epiſtolã ad Hebręos explicant, noſtrum ſacrificium quotidianum non aliud eſſe à ſacrificio crucis, ſed idẽ omninò, eiuſdemq; viua repræſentatio; quia nimirùm eadem eſt vbiq; hoſtia, non alia & alia, ſicuti erant in veteri teſtamento. Adde eundẽ etiã eſſe ſacerdotẽ præcipuũ & principalẽ in his omnibus Chriſtum Dominũ: quare nulla eſt in his differẽtia ſiue ex parte victimæ, ſiue ex parte offerentis: vt proinde veriſsimè dicatur Chriſtus vnã & eandẽ hoſtiã obtuliſſe in cruce, & in cœna, & vnã eandemq; offerre adhuc quotidie, oblaturumque vſque ad finem mundi.

Tertium argumentum Aduerſariorum. Apoſtolus non tantùm dicit vnam eſſe hoſtiam & oblationem Chriſti, ſed etiam addit Chriſtum ſemel duntaxat, & non ſæpiùs ſe obtuliſſe. Reſp. cũ Patribus antiquis nuperrimè citatis, quãdo Apoſtolus dicit Chriſtum ſemel ſe obtuliſſe, loquitur de cruenta eius oblatione, quæ neceſſariò coniuncta eſt cũ morte: *Chriſtus .n. ſemel duntaxat pro peccatis noſtris mortuus eſt*, vt docent Scripturę. Et hunc eſſe verum ſenſum Apoſtoli, neceſſe eſt, vt Aduerſarij vel inuiti fateãtur: Qui enim affirmaret Chriſtum Dominum nunquã totâ vitâ ſuâ, niſi ſemel ſeipſum Deo obtuliſſe, non tantùm impius eſſet, ſed etiam iniurioſus, maximeq; contumelioſus in Chriſtũ Dominũ. Enimuerò quiuis Chriſtianus debet ſeipſũ ſuaq; omnia Deo offerre in hoſtiam viuã, vt monet idẽ Apoſtolus; quod Chriſto denegare impiũ eſſet, imò & maximè in Chriſtũ iniurioſum: hac namq; ratione dãnaretur Chriſtus ingratitudinis erga Deũ. Ex qua re facilè eſt videre, quàm blaſphema ſit illa Aduerſariorũ doctrina, & ab omnibus cauẽda, quę docet Chriſtũ ſemel tantũ ſe Deo obtuliſſe. Neceſſe eſt ergo, vt fateamur Chri-

VIII.

Hoc ipſo c. 5. 6. in fine.
1 Petri 3. v. 18
Ad Rom. 6. v. 10.
Ad Rom. 12. v. 1.

Digitized by Google

Chriſtum non ſemel, ſed ſæpiùs, imò ſæpiſsimè ſeipſum Deo Patri obtuliſſe, antequam pateretur, ſed modo incruento, quamuis ſemel duntaxat obtulerit ſeipſum cruento modo per mortem.

IX. *Ad Heb. 10. v. 5.* Adhæc ipſe Apoſtolus in hac eadem epiſtola apertè ſcribit, quòd Chriſtus ingrediens mundum (hoc eſt, in primo inſtanti ſuæ conceptionis) ſeipſum & omnia ſua Deo obtulerit. Imò hoc interius animæ ſacrificium fuit præſtantiſsimum Chriſti ſacrificium, durauitque toto vitæ ſuæ tẽpore: ab hoc enim interiori ſacrificio animi totam vim ſuam accepit externum crucis ſacrificiũ; imò ſine illo nihil nobis profuiſſet externum ſacrificium crucis; cùm externum ſacrificium ſine interiori animi ſacrificio non ſit verum ſacrificium, ſed fictum duntaxat, ſimulatum & falſum: quemadmodum & ſuprà diximus ex S. Auguſtino: non ſecùs, quàm corpus hominis ſine anima verus homo non eſt, ſed informe & abiectum cadauer. *Suprà c. 1. huius cont. §. 10.*

X. Atque hinc eſt, quòd quotieſcunque dicit Apoſtolus Chriſtum ſemel ſe obtuliſſe, eodem loco addat verba aliqua, ex quibus perſpicuè intelligi poteſt, ipſum loqui de cruenta duntaxat Chriſti oblatione. Verbi gratia ad Hebr. 7. v. 23. iterationi oblationis Chriſti, de qua loquitur, opponit æternitatem Chriſti: At ſola cruenta oblatio eſt, quæ repugnat æternitati Chriſti, non autem incruenta, quæ cum morte coniuncta non eſt. Sic c. 9. & 10. ad Hebræos, ſæpiſsimè repetit Apoſtolus nomen, θυσίαν, & verbum θύω, quæ ambo ſignificant cruentam oblationem, ſicut & apud Hebræos nomen זֶבַח Zebach, & verbum זָבַח Zabach, quemadmodum ſuprà in principio huius Controuerſiæ ex ſcripturis oſtendimus. Similiter *Suprà c. 1. huius contr. §. 34.*

ad

ad Hebræos 7. verſ. 27. dicit quidem Apoſtolus, quòd Chriſtus ſemel ſeipſum obtulit: ſed proximè dixerat eodem prorſus verſu, quemadmodum ſacerdotes Leuitici, quando offerebant θυσίας, hoc eſt, cruenta ſacrificia. Sic ad Hebræos 9. v. vlt. dicit Chriſtum ſemel eſſe oblatum; ſed in præcedente verſu dixerat: *Quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Loquitur ergo de cruento ſacrificio, quod neceſſariò habet coniūctam mortem rei oblatæ. Sic ad Hebr. 10. v. 10. dicit: *Quòd ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel:* ſed addit eodem loco, *Hoc factum eſſe per voluntatem Dei, qua conſtituerat Deus Chriſtum debere mori pro nobis.* Sic ad Heb. 9. v. 25. dicit Apoſtolus, quòd *Chriſtus non ſæpe offerat ſeipſum:* ſed ſtatim addit, *Sicut faciebat Pontifex Aaronicus in ſanguine alieno:* De ſanguinolenta ergo loquitur oblatione, non de incruenta. Sic denique dicit Apoſtolus eodem cap. 9. v. 26. *Chriſtum ſemel apparuiſſe per hoſtiam ſuam:* Sed eodem verſu 26. præterquam quòd dicat διὰ τῆς θυσίας, quo ſatis manifeſtè declarat, ſe loqui de cruento duntaxat ſacrificio, vt nuperrimè diximus, etiam hanc addit rationem, quæ apertiſsimè conuincit Apoſtolum non loqui niſi de cruento ſacrificio: *Alioqui* (inquit Apoſtolus) *oportebat Chriſtum frequenter pati,* quæ ratio nihil valeret, niſi Apoſtolus loqueretur de ſola cruenta oblatione, & non de incruenta oblatione, quæ poteſt eſſe ſine morte.

XI. His argumentis conuictus ipſe Caluinus, fatetur Apoſtolum in Epiſtola ad Hebræos loqui de cruenta oblatione, non de incruenta: Sed addit: *Apoſtolum nullam aliam oblationem pro peccatis agnouiſſe, niſi incruentam.* Verùm hac reſponſione iniuriam infert Caluinus Apoſtolo, quaſi ignoraſſet

Cal. in c. 10. ad Hebr. ad v. 18.

raſſet Apoſtolus ſacrificia illa incruenta, quæ pro peccatis à Deo inſtituta ſunt Leuitici 5. v. 11. 12. & 13. Deinde apertis verbis affirmat Apoſtolus in hac ipſa Epiſtola, & quidem ſæpiùs, ea quæ pro peccatis in antiqua lege offerebātur, partim fuiſſe cruenta ſacrificia, partim incruēta: Nam in primis cap. 5. huius Epiſtolæ, cùm enumerat ea, quæ Sacerdotes legis offerebant pro peccatis, ponit

Ad Heb. 5. v. 1. duo, nempe δῶρά τε καὶ θυσίας, id eſt, dona & etiã hoſtias, vbi ſatis conſtat Apoſtolum per δῶρα intelligere incruenta ſacrificia, per θυσίας cruenta; quemadmodum & Hebræi per מנחה Minchà intelligunt ſacrificium incruentum, per זבח Zébach cruentum, vt etiam ſuprà probauimus. Id quod adeò eſt perſpicuum in ſcripturis, vt ipſe Beza hoc cogatur fateri, qui cùm interpretatur verba hæc Apoſtoli, ita ſcribit; *δῶρα, hoc nomine intelligit omnes oblationes rerum vitæ expertiũ: θυσίας autem reliqua ſacrificia vocat, animalium videlicet, quæ iugulabantur.* Ita Beza. Qua in re cerni poteſt, quàm parùm inter ſe conſentiant primi & præcipui Doctores Aduerſariorũ. Nam quod Caluinus dicit Apoſtolũ ignoraſſe, Beza fatetur illũ apertis verbis docuiſſe, nempe præter cruentum ſacrificium etiam fuiſſe incruentũ pro peccatis.

Suprà c. 1. huius cont § 34

Beza ad v. 1. c. 5. ad Hebr.

XII. Ad eundem modum Apoſtolus cap. 8. huius Epiſtolæ, cùm agit de ſacrificijs pro peccatis, quæ offerebantur in lege Moſaica; immò & de illo, quod Chriſtus debebat offerre pro peccatis, rurſus repetit illa duo genera ſacrificiorum, nempe δῶρά τε καὶ θυσίας. Denique cap. 9. huius Epiſtolæ, cùm recenſet ſacrificia, quæ pro peccatis offerebantur in templo Hieroſolymitano, iterum repetit, δῶρά τε καὶ θυσίας: & δῶρα vbique ponit primo loco, vt intelligeremus iſta incruenta non minùs

Ad Heb. 8. v. 3.

Ad Heb. 9. v. 9.

minùs fuiſſe vera ſacrificia pro peccatis, quàm cruenta. Non eſt igitur verum, quod dicit Caluinus, Apoſtolum nullam aliam oblationẽ pro peccatis agnouiſſe, niſi cruentam. Agnouit certè aliã incruentam, tam antiquæ legis, quàm nouæ: Sed quia locus non erat diſputandi cum Iudęis de incruento Chriſti ſacrificio, qui ne cruentum quidem credebant, immò ne prima fidei elementa ſatis tenebant, vt apertè conqueritur Apoſtolus, meritò tacet, quæ alioqui declaraſſet de myſtico incruento Chriſti ſacrificio: Tantum .n. myſteriũ neq; ipſis Catechumenis manifeſtare olim fas erat: Prudenter ergo celat, quod proditum incredulis nocuiſſet potiùs, quàm profuiſſet. Id quod vberius ex antiquis Patribus cap. 4. huius controuerſiæ demonſtrauimus. Et quamuis apertè noluerit Apoſtolus de incruento Chriſti ſacrificio differere (quòd *Hebræi imbecilles eſſent ad audiendum*, vt expreſsè dicit Apoſtolus;) tamẽ adeò circumſpectè locutus eſt Apoſtolus de cruẽto Chriſti ſacrificio, vt Chriſtiani benè in dogmatibus fidei eruditi ſatis intelligere potuerint, illum differere de cruento duntaxat Chriſti ſacrificio, omnibus (etiã infidelibus) noto, non de incruento ſolis fidelibus baptizatis comperto: id namque facilè intelligere poterunt ex verbis adiunctis, quæ in ſolum cruentum Chriſti ſacrificium, & nõ in incruentum quadrabant, vt modò oſtẽdimus.

Ad Heb. 5. v. 11. & 12.

Vide ſuprà c. 4. huius contr. §. 23. & 24.

Ad Hebr. 5. v. 11.

Suprà hîc §. 11. præcedenti.

XIII. Quartum argumentum aduerſariorum. Apoſtolus ad Hebr. 10. v. 2. inde probat ſacrificia Iudæorum non abſtuliſſe peccata, quòd ſæpiùs repeterentur: Atqui ſacrificiũ Miſſę ſæpe repetitur; igitur peccata auferre non poteſt. Verùm iſti nõ animaduertũt, quodnã ſit iſtud ſacrificiũ, de quo loquitur Apoſtol⁹: Nõ .n. loquitur de quouis ſacrificio,

ficio, quod pro peccatis offertur: alioqui infirmum valdè eſſet argumentum Apoſtoli; facilè enim potuiſſent Iudæi reſpondere; etſi præcedentia peccata ablata fuerint per prius ſacrificium, tamen multa alia noua peccata committi indies, pro quibus expiandis neceſſarium eſſet ſecundum, tertium, & alia plura ſequentia ſacrificia. Vt autem intelligatur verus ſenſus horum verborum Apoſtoli, obſeruandum hic eſt, quòd ſicut duplex eſt remiſsio peccatorum, vna generalis, & alia particularis, qua generalis illa applicatur diuerſis hominibus diuerſiſq; temporibus atque locis, vt ſuprà declarauimus; ita duplex eſt ſacrificium pro peccatis; vnum generale, aliud particulare. In priori neceſſarium erat, vt pretium & ſatisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, ſiue præteritis, ſiue futuris, iuſtiſsimè Deo perſolueretur: alioqui enim non potuiſſet plenè ſatisfieri diuinæ Iuſtitiæ, cùm debitum plenè non ſoluatur, niſi integrè perſoluatur.

Suprà c. 5. huius cont. §. 44. & ſeqq.

XIV. In poſteriori ſacrificio, quia per iſtud applicatur vna tantùm pars effectus generalis ſacrificij, opus non erat, vt ſufficeret pro omnibus omninò peccatis, ſed ſatis erat, quòd delerentur aliqua peccata quorundam hominum, & præterita tantùm, non futura. Diſputatio Apoſtoli cum Iudæis præcipuè erat de generali illo ſacrificio, quo totum humanum genus, ſeu totus mundus recõciliatur Deo: Nam ſine hoc generali ſacrificio alia particularia nullam poſſunt vim obtinere ad expianda peccata, cùm particularia neceſſariò penderent à generali, & applicent vnam duntaxat minimam particulam effectus generalis ſacrificij: Debebat ergo generale aliquod aſsignari ſacrificium, ſine quo nec fieri, nec conſiſtere

poſſunt

poſſunt particularia. Hoc generale ſacrificium, à quo omnia alia ſpecialia pendebant, affirmabant Iudæi eſſe illud ſolemne ſacrificium, quod ſemel duntaxat in anno fiebat,& non niſi à ſolo ſummo Pontifice: Hoc enim dicitur offerri pro omnibus peccatis totius populi, Leuit.16.v.30.33.& 34. De hoc proinde ſacrificio, quod & expiationis nomē accepit, multis verbis diſputat Apoſtolus ad Heb. 9. & 10. Et in principio quidem decimi capitis benè probat Apoſtolus contra Iudæos, ſacrificium illud expiationis non fuiſſe generale ſacrificium, quo omnia prorſus peccata delentur: Nā cùm iſto ſacrificio generali ſatisfiat Deo pro omnibus peccatis totius mundi, tàm præteritis, quàm futuris, fruſtrà reiteratum fuiſſet ſingulis annis, cùm primo ſacrificio omnia prorſus peccata deleta fuiſſent, etiam futura.

XV. Et hoc idem argumentum optimè probat ſacrificium Chriſti in cruce oblatum repeti non debere: Erat enim iſtud *propitiatio ſufficientiſſima pro peccatis totius mundi*, teſte S. Ioanne; *& reconciliatio totius humani generis cum Deo*, vt alibi ſcribit Apoſtolus Paulus: quare cùm omnia prorſus peccata, tàm præterita, quàm futura per illud expiata fuerint, non erat neceſſe, vt ſacrificium crucis vnquam reiteraretur. At longè alia ratio eſt de ſacrificio Miſſæ, quod nō eſt generale ſacrificium, ſed ſpeciale, quo proinde non delentur omnia prorſus peccata, ſed aliqua: Sacrificio etenim Miſſæ nullum omnino deletur peccatum futurum, ſed neque omnia præterita. Quare cùm nos quotidie præteritis peccatis multa noua adijciamus, meritò repetitur ſacrificium Miſſæ indies, tàm pro præteritis nondum remiſsis, quàm pro nouis, quæ indies recēs committimus. Probat ergo efficaciter

1. Ioan. 2. v. 2.
2. Cor 5. v. 19.

caciter argumentum Apoſtoli, ſacrificium illud Leuiticum expiationis, ſi generale fuiſſet ſacrificium, non debuiſſe repeti: Probat quoq; & ſacrificium Chriſti in cruce peractum repeti non debuiſſe, quod iſtud generale eſſet ſacrificium: At non probat Miſſę ſacrificium non eſſe repetendú, cùm iſtud particulare dũtaxat & ſpeciale ſit ſacrificium, quod nullum aufert futurum peccatũ, ſed neque omnia penitus pręterita. Quamobrẽ & pro præteritis peccatis ſæpius ſacrificamus: Nã & pręterita magis magiſq; remitti poſſunt, non quoad culpam, ſed quoad pœnam culpæ debitam.

XVI. Atque ex his colligitur & alia ratio, cur Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos non agat de incruentis ſacrificijs Chriſti, ſed de cruento duntaxat. Nam principalis intentio Apoſtoli erat, Iudæis demonſtrare nullum fuiſſe ſacrificium legis Moſaicæ generale pro omnibus peccatis, quo totus mundus Deo reconciliaretur: Impertinens ergo erat diſputare de incruentis ſacrificijs, cùm omnibus cõſtaret nullum incruentum ſacrificium potuiſſe vim & naturam habere generalis iſtius ſacrificij, & cruento duntaxat expiationis ſacrificio vim tantam tribuerent Iudæi; de cruentis itaque duntaxat diſputandum erat, non de incruentis.

XVII. Quintum argumentum. Apoſtolus per totam Epiſtolam ad Hebræos nil aliud conatur perſuadere, quàm paſsionem Chriſti fuiſſe ſufficiens ſacrificium pro peccatis omnibus electorum: Iniuriam ergo faciunt Paſsioni Chriſti, qui ei adijciunt alia ſacrificia, quaſi illa ſola non ſufficeret. Reſp. Sacrificium crucis fuit ſufficientiſsimum ſacrificium pro peccatis totius mundi in genere ſuo, hoc eſt, quantum ad redemptionem totius mundi,

mũdi, & ſolutionem pretij pro peccatis omnium, iuxta illud Apoſtoli; *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*: ſed non quantum ad applicationem huius pretij ad ſingulos particulares. Et ſanè mirum eſt, quòd Aduerſarij hanc diſtinctionem tàm obſtinatè negent, & nominatim Caluinus: Certum enim eſt & euidentiſsimũ, prę- ter paſsionem Chriſti requiri applicationẽ illius ad ſingulos per fidẽ, ſpem, charitatem, pœnitentiã & ſacramenta: Non .n. iuſtificantur infideles, non impij, non blaſphemi: ſed neq; ſunt illi adhuc iuſtificati, qui nondũ ſunt nati, aut illi qui poſt multos annos naſcentur. Aliud ergo eſt pretium pro omnibus ſolui, aliud illud ſingulis applicari. Per ſacrificium crucis Chriſtus ſoluit iuſtiſsimum pretium Deo Patri pro delictis totius mundi: Per ſidem viuam, per ſacramenta, & per Sacrificium Miſſæ hoc pretium ſingulis applicatur congruẽti & conuenienti tempore.

1. Timoth. 2. v. 6.

Cal. ad v. 17 & 18. c. 10. ad Hebr.

XVIII. Ex his deniq; & illud diluitur, de quo falsò nos criminantur Aduerſarij, nẽpe, quòd præferamus, aut certè exæquemus ſacrificiũ Miſſæ crucis ſacrificio. Nos. n. conſtãter docemus, Miſsã dũtaxat applicare nobis vim, & efficaciam paſsionis Chriſti: ſed neq; hãc totam, verũ modicã illius partem: Ipſum etiã Miſſæ ſacrificiũ eſſe vnum ex effectis ſacrificij crucis, & ex eo vim ſuam accipere.

XIX. Sextum argumentum. Omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes: habent enim *ſacerdotium ſanctum ad offerendas ſpirituales hoſtias, ſuntque regale Dei ſacerdotium*, vt teſtatur Apoſtolus Petrus: Non eſt igitur ſpeciale ſacerdotium aut ſacrificium in noua lege. Reſp. Idem argumentum, ſi quid valeret, probaret neque in Moſaica lege fuiſſe vllum ſacerdotium, aut ſacrificium ſpeciale:

1. Pet. 2. v. 5. & 9.

Nam eodem modo loquitur ipſe Deus populo
Exod.19. v.6. Iudaico, cùm ait: *Vos eritis mihi in regnum ſacerdotale.*

XX. Sunt autē omnes Chriſtiani ſacerdotes dupli- ci ratione. Primò, quia omnes per Sacerdotes, qui Miſſas celebrant, Deo offerunt verum ſacrificiū corporis & ſanguinis Chriſti. Hac enim ratione & in antiqua lege Iudæi dicebantur habere regnū ſacerdotale: Enimuerò in antiqua lege non tantùm dicebātur Sacerdotes ipſi offerre ſacrificium Deo, ſed etiam illi, quorum nomine aut rogatu Sacerdotes offerebant. Sic totus populus Iſraeliticus dicitur immolare ſacrificia Domino, Leuit. 19.v.5. Leuit 22.v.21. Deut.17.v.1. Iud.2.v.5. Item *2. Reg vlt. v. vlt. & 3. Reg 8. v.5.* 1.Reg. 11. v.vlt.& aliàs ſæpiſsimè. Sic Dauid, Salomon, totuſq; populus Iſrael dicuntur immolaſſe hoſtias Deo, quòd nimirum id fecerint per Sacerdotes: Nam alioqui nec ipſis Regibus licitum erat per ſeipſos ſacrificium offerre. Id enim cùm auſus *1. Reg. 13. v. 12. 13. & 14.* fuiſſet Saul rex attentare, regno priuari meruit. Et *2. Paralip. 26. v 19. & 21.* Ozias Rex Iudæ, cùm conaretur ſacrificium duntaxat incruētum thymiamatis adolere, lepra percuſſus eſt, & è regno deiectus. Verùm illi, qui Sacerdotes non erant, dicebantur ſacrificare, quia curabant, vt Sacerdotes pro ipſis ſacrificarent. Ad *S. Greg. l.4. Dialog. c. 57.* hunc modum & in noua lege dicit S. Gregorius, vxorem cuiuſdam viri, quę exiſtimabat maritum ſuum defunctum, pro eius anima ſingulis hebdomadibus ſacrificium obtuliſſe, hoc eſt, curaſſe, vt *S. Greg. ho. 37 in Euāgelia.* Sacerdotes ſingulis hebdomadibus ſacrificiū pro eo offerrent, quemadmodū ipſe S. Gregorius alio in loco explicat, dum eādem recenſet hiſtoriam.

XXI. Alia etiam ratione dicuntur omnes Chriſtiani ſacerdotes, quòd nimirum tempore ſacrificij Miſſæ, cùm adeſt Chriſtus reipsâ in altari, quiuis

Chriſtianus poſsit & debeat Chriſtum Deo Patri offerre, tum in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, tum in remiſsionem ſuorum peccatorum, tum ad impetranda quæcunque dona ſpiritualia, aut corporalia vitæ præſenti vtilia, quẽadmodum paulò pòſt comprobabimus ex Patribus, & ipſo Canone Miſſæ. *Cap. 8. huius cont. §. 13. & ſeq.*

Verùm triplex eſt diſcrimen inter ſacrificium Sacerdotis & populi. Primum eſt, quòd Sacerdos, cùm ſit miniſter publicus totius Eccleſiæ, offert hoc ſacrificium incruentum non ſuo tantùm nomine, ſed etiam nomine totius Eccleſiæ; ac proinde valorem accipit Sacerdotis oblatio non à propria ipſius fide & deuotione tantummodò, ſed etiam à fide & deuotione totius Eccleſiæ. Ex quo etiam conſequitur, quòd quamuis Sacerdos, qui offert, impius ſit, nihilominus oblatio eius vim & valorem habeat coram Deo, propter fidẽ & deuotionem vniuerſalis Eccleſiæ. Atque hinc eſt, quòd Sacerdos proximè ante communionem ita oret: *Domine Ieſu Chriſte, ne reſpicias peccata mea, ſed fidem Eccleſiæ tuæ.* At verò oblatio ſingulorum Chriſtianorum, qui ſacrificio Miſſæ interſunt, cùm propria vniuſcuiuſque fide & deuotione nitatur, longè minoris eſt efficaciæ, & penè nullius, ſi ille, qui offert, ſit Dei inimicus. XXII.

Secundum diſcrimen eſt, quòd Sacerdos vnà cum Chriſto conſecret & offerat, dum ipſa Chriſti verba profert: Nam Chriſtus tunc inuiſibiliter conſecrat & offert, ſacerdos viſibiliter; quod illi facere non poſſunt, qui ſacerdotes non ſunt. Porrò in conſecratione, quæ fit, dum Chriſti verba proferuntur, conſiſtit eſſentia ſacrificij Chriſti: Nam tunc corpus Chriſti à ſanguine ſeparatur, & ſanguis à corpore, atque hac ratione corpus XXIII.

Digitized by Google

Suprà c. 5. huius cont. §. 24. & ſeqq. CHRISTI immolatur, & ſanguis eius myſticè, verè tamen effunditur, vt ſuprà declaratum eſt.

XXIV. Tertium diſcrimen eſt, quòd CHRISTVS in ſuo ſacrificio ſe accommodet ad intentionem Sacerdotis offerentis, ita quidem vt CHRISTVS certiſsimè ſeipſum ſemper offerat in hoc ſacrificio pro illis, pro quibus Sacerdos intendit offerre: quod in priuatis aliorum ſacrificijs non facit certâ & fixâ lege: ſed aliquando ſe accommodat priuatorum deuotioni, aliquando minimè; iuxta orantis fidem & charitatem, atque rei, quæ petitur, conditionem. Atque in hac re cernitur magna Sacerdotis poteſtas & excellentia, qua poteſt non tantùm ſacrificium ſuum & totius Eccleſiæ, ſed etiam ipſius Chriſti, cui voluerit, applicare. Quemadmodum enim in Sacramento baptiſmi illum ſolùm baptizat Chriſtus, quem miniſter baptiſmi intendit baptizare, & non alium: ita illi ſoli applicat Chriſtus ſacrificium ſuum, cui illud intendit Sacerdos applicare.

XXV. Septimum argumentum deſumunt Aduerſarij ab ipſa appellatione Miſſæ, de qua propterea litem mouent, quòd ea in ſacris literis non extet. Sed admodum infirmum eſt hoc argumentum; Nam neque nomen Trinitatis habetur in ſacris literis, neque nomen perſonæ, nec eſſentiæ in ea ſignificatione, qua vſurpantur, quando dicimus in Deo tres eſſe perſonas, & vnam eſſentiam: Nemo tamen niſi Arrianus aut Antitrinitarius negabit Trinitatem, aut tres perſonas, & vnam eſſentiam eſſe in Deo. Enimuerò cùm res ipſa, de qua quæritur, extet in ſacris literis, friuolum eſt & ſuperuacaneum de eius appellatione litigare.
S. Athan. Tom. 1. Certè S. Athanaſius teſtatur Arrianos ſuæ ætatis hoc

Digitized by Google

hoc Catholicis obieciſſe, quòd voces eſſentiæ,& conſubſtantialitatis non extarent in ſacris literis. Quare ſi ſaperent Aduerſarij, hoc argumentum relinquerent Arrianis, & alijs illis ſimilibus.

Epiſt 15. in principio, quod inſcribitur, Narratio de Concilio Nicano, iuxta editionem Commelianam.

XXVI. Porrò inter Scriptores Catholicos non deſunt aliqui in Hebraica lingua benè verſati, qui conati ſunt probare nomen Miſſæ extare in ſacris literis, nempe Deuteronom. 16. v. 10. vbi Latinè habetur, *oblatio*. Et inter cæteros doctiſsimè hoc conatur probare Gilbertus Genebrardus vir in Hebraicis verſatiſsimus. Non deſunt etiam ex aduerſarijs, qui hoc ipſum agnoſcant, & inter cæteros ipſe Lutherus, qui ita de nomine Miſſę ſcribit: *Vocabulum Miſſæ, quod ab Apoſtolis acceptum apparet, Hebraicâ linguâ idem valet, quod cenſus aut tributum ſeu ſeruitium.*

Genebrard. in ſua Liturgia Apoſtolica Gallicè conſcripta c. 7.

Luther. To. 7. Lat. VVitēberg. excuſ. Anno 1557. fol. 312. p. 2. in principio, in Ser. de ſumma Chriſtiana vita, ſuper illa verba, 1. Tim. 1. v. 5. finis præcepti eſt charitas.

XXVII. Veriſimilius tamen eſt vocem Miſſæ non eſſe traditam ab ipſis Apoſtolis, ſed à populo Latino vſurpatam, vt benè probat Bellarminus. Nam ſi ipſi Apoſtoli tale nomen Hebræum huic ſacrificio impoſuiſſent, extaret aliquod teſtimonium huius rei apud Patres antiquos, & eos præſertim, qui in lingua Hebræa fuerunt benè verſati: Nec veriſimile eſt Græcos, Chaldaicos, & Syros Chriſtianos nomen ab Apoſtolis commendatum ignoraſſe, aut illud in alia nomina commutaſſe. Veriſimilius igitur eſt, nomen Miſſæ primùm vſurpatum fuiſſe in Latina Eccleſia, & populum ipſum Latinum nomen Miſſæ huic ſacrificio primò impoſuiſſe: Nam cùm audirent oēs tā infideles & Catechumeni, quàm baptizati, bis in ſingulis ſacrificijs altâ voce Diaconū proclamantē; *Ite Miſſa eſt*, (ſemel namq; ita proclamabat Diaconus

Bellar. lib. 1. de Miſſa, c. 1.

Digitized by Google

Conc. Carthag. 4. c. 84.

conus in fine Miſſæ Catechumenorum, cui etiam intereſſe poterant infideles, & iterum in fine Miſſæ fidelium, vt teſtantur omnes, qui de ritibus Eccleſiaſticis ſcribunt) ex frequēti hac repetitione vocis, *Ite Miſſa eſt*, populus nomen Latinum Miſſæ attribuiſſe videtur huic myſterio. Miſſa enim dicitur quaſi miſsio, ſeu potius dimiſsio populi: Nam verbis illis, *Ite Miſſa eſt*, dimittebatur populus, & finis illius actionis myſticæ omnibus palàm denunciabatur, vt ſatis conſtat ex Concilio quarto Carthaginenſi, cui interfuit & ſubſcripſit S. Auguſtinus. Et in hoc ſenſu in hodiernum vſque diem dicitur in fine Miſſarum in tota Eccleſia Latina, *Ite Miſſa eſt*.

Concil. 4. Carthag. c. 84.

XXVIII. *Cal. lib. 4. Inſtit c. 18. ſect. 8.*

Friuolum autem eſt, quod aſſerit Caluinus, Miſſam à mittendis oblationibus dictam eſſe, quòd veteres plurali fere numero hanc vocem vſurpent. Nam ſi à mittendis oblationibus nomen accepiſſet, non dixiſſet Diaconus; Ite (hoc eſt, diſcedite) Miſſa eſt, ſed potiùs, accedite, Miſſa eſt, quia tempore oblationum inuitabatur populus, vt accederet, nō amandabatur, vt diſcederet. Verum quidem eſt antiquiores Scriptores ſacros in plurali numero hāc vocē vſurpaſſe: Sic antiqui illi duo Martyres & Pontifices Pius I. in epiſtola ad Iuſtum Epiſcopum, & S. Cornelius in Epiſtola ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopū: Ambo enim iſti dicunt ſe Miſſas agere. Sic S. Clemens Papa & Martyr, diſcipul⁹ S. Petri, Epiſt. 3. dicit Sacerdotes Miſſas celebrare. Sic Alexander I. ſextus à S. Petro, Miſſarum vocat ſolemnia. Sic S. Teleſphorus, octauus à S. Petro, Epi. 1. Sic S. Sother Papa & Martyr. Sic alij, quorum verba adducit Gratianus: Hi .n. omnes loquuntur ſemper in plurali numero de Miſſarum ſolemnijs vel celebratione, vel celebritate.

Hæ duæ Epiſtolæ extant To. 3. Bibliothecæ veterum Patrum.

Grat de cōſecr. Diſt. 1. & 2.

tate. Sed vera cauſa, cur veteres vſi ſunt hac voce in plurali numero, ea eſt, quòd in ſingulis Miſſarum celebrationibus duæ fuerint Miſſæ, & duæ publicæ dimiſſiones populi, primò Catechumenorum, ſecundò fidelium, vt modò diximus. *Hoc cap. §. præcedent.*

XXIX. Et quamuis appellatio iſta Miſſæ originem acceperit à populo, tamen diuina planè prouidētia factum eſt, vt populus hanc appellationem huic myſterio tribueret: vulgò enim dici ſolet, quòd vox populi vox ſit Dei: id, quod populo Chriſtiano, populo ſancto, populo à Deo electo, denegare impium eſſet. Quamobrem etiamſi fateamur, primam huius vocis Miſſæ vſurpationē à populo profectam eſſe, tamen non dubitamus, quin Spiritus ſancti inſtinctu id factum fuerit: tanta eſt ſimilitudo inter noſtrū ſacrificiū, & illud legis, quod nomine Miſſę olim ſignificabatur.

XXX. Nam in primis in nomine planè conueniunt, noſtrum vocatur Miſſa, illud legis Miſſa. Quamuis enim in Hebræo ſcribatur מִסַּת Miſſat, propter regimen, hoc eſt, quia regit genitiuum caſum, tamen caſus rectus eſt מִסָּה Miſſa, omnium Hebræorum ſententia. *Deut. 16. v. 10.* Neque quempiam in Hebræis non adeò verſatum mouere debet, quòd legamus, Miſſa, vt eſt Latinè, non Miſſah, cum litera ה He in fine; nam ſatis conſtat literam He apud Hebræos in fine dictionis non legi, cùm præcedit accentus longus, ſed in eo quieſcere. Id, quod benè obſeruauit Bellarminus in fine ſuæ Grammaticæ Hebrææ, cùm interpretatur Pſalmum 33. & Hebræa ſcribit Latinis literis. Nam verſu 7. non legit Choneh, ſed Chone, nec verſ. 13. legit Mirmah, ſed Mirma. Ita iuxta Hebræos non eſt legendum in recto caſu, Miſſah, ſed Miſſa eodem prorſus modo, quo Latinè legitur.

XXXI. Sed neque mirum videri debet, quòd dicamus ſimilem omninò vocem apud Hebræos & Latinos inueniri: ſunt enim & aliæ non paucæ voces Hebrææ, quæ Latinis Latinæ videri poſſent, niſi diuerſa ſignificatio obſiſteret, præſertim cùm voces Hebrææ deſinunt in literam, a, verbi gratia עלמה alma, id eſt, virgo. בתולה, vetula, id eſt, virgo ſenex. מסה maſſa, id eſt, tentatio, זונה Zona, id eſt, meretrix, כרה cera, id eſt, ciborum copia; & aliæ ſimiles voces non paucæ. In nomine itaque Miſſæ nullum eſt diſcrimen inter antiquum illud ſacrificium, & noſtrum, niſi quòd vnum ſit Latinum, & aliud Hebræum.

XXXII. Tribuuntur etiam in Scripturis huic veteri ſacrificio alia nomina, quæ non tam veteri illi, quàm noſtro conueniunt. Vocatur enim ſacrificium ſeptem hebdomadarum, ſeu Pentecoſtes: *Septem hebdomadas* (inquit Dominus) *numerabis tibi.* & ſtatim poſteà, *celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo*, *oblationem* (Hebraicè Miſſam) *ſpontaneam manus tuæ*: quæ non tam veteri illi oblationi, quàm noſtræ conueniunt: nam ſacrificium nouæ legis tum primò cœpit celebrari, & ab omnibus frequentari, quando in diſcipulos effuſa eſt gratia Spiritus ſancti, cùm complerentur dies Pentecoſtes, vt ſcribit ſanctus Lucas. meritò igitur vocatur & noſtrum ſacrificium, Sacrificium Pentecoſtes, & ſeptem hebdomadarum, hoc eſt, Spiritus ſancti, & ſeptiformis eius gratiæ. vocatur etiam hoc ſacrificium legis in Hebræo textu מנחה Mincha, hoc eſt, incruentum ſacrificium: Sic & noſtrum eſt incruentum. vocatur illud non tantùm Mincha, ſed etiam מנחה חדשה Minchà Chadaſchà, hoc eſt,

Deut.16. v.9.& 10.

Act.2.v. 42.

Leuit.23. v.16.

Leuit.23. v.16.

eſt, ſacrificium incruentum nouum, quòd videlicet conficeretur ex nouo frumento illius anni. Quæ appellatio optimè conuenit noſtro ſacrificio: nam noſtrum ſacrificium eſt veriſſimè nouum ſacrificium incruentum in noua lege à Christo inſtitutum. Denique appellatur iſtud veteris legis ſacrificium, *panis primitiarum*: noſtrum verò ſacrificium veriſſimè eſt panis illarum primitiarum, de quibus loquitur Apoſtolus, cùm ait, *primitiæ Chriſtus*.

& Num. 28. v. 26. *Leuit. 23. v. 20.* *1. Cor. 15. v. 23.*

Deinde non tantùm in nominibus & appellationibus eſt ſimilitudo magna inter hoc ſacrificium legis, & noſtrum, ſed etiam in materia & forma externa hoſtiæ, ſeu rei oblatæ: Illa enim legis hoſtia conficiebatur ex ſimila tritici, Hebraicè סֹלֶת, Sólet, quæ vox ſignificat albiſſimam & puriſſimam farinam tritici; Erat enim ſubtilis valdè & tenuis ille panis, & rotundæ figuræ, ſicut & hoſtiæ, quibus nos vtimur in ſacrificio Miſſæ. Nam in libro Numerorum hoc ſacrificium vocatur Hebraicè חַלָּה Challa, quæ vox ſignificat panem ſubtilem rotundæ figuræ; quod non tantùm docet Genebrardus Catholicus, ſed etiam aduerſarij in Hebræis magis verſati, vt Ioannes Forſterus Lutheranus, & Ioannes Mercerus Caluinianus: ambo enim ſcribunt hanc vocem Hebræam propriè ſignificare, *cruſtulam rotundam panis*. Erat igitur ſacrificium illud legale Pentecoſtes inter omnia legis ſacrificia ſimillimum noſtro ſacrificio in forma & figura externa. XXXIII.

Leuit. 23. v. 17. *Num. 15. v. 20.* *Genebrar. c. 7. Liturg. Apoſt. Forſter. in rad.* חלל *in fine.* *Mercerus in radice* חל.

Tertiò non tantùm in appellatione, & externa forma hoſtiæ oblatæ erat ſimilitudo inter veterem illam Miſſam, & noſtram nouam, ſed etiam in XXXIV.

in modo & ritu offerendi: nam oblatio illa vete-
Vide ſuprà c.1. huius contr. §. 37. Num. 15. v. 20. ris Teſtamenti fiebat per duos illos agitandi ritus, quibus ſuprà oſtendimus incruenta ſacrificia offerri conſueuiſſe in lege Moſaica, qui Hebraicè vocantur Teruma, & Tenupha. Nam de Teruma, qua oblatio mouebatur ſurſum & deorſum, habet liber Numerorum: de Tenupha verò, qua mouebatur verſus quatuor mundi plagas, in formam crucis, habet liber Leuitici. Porrò hanc vtramque motionem fieri in ſacrificio Miſſæ ſequenti capite oſtendemus.

Leuit. 23. v. 17. Cap. 7 ſeq. §. 12.

XXXV. Adhæc ſacrificio huic panis addebantur alia illa tria cruenta ſacrificia legis, nempe holocauſtum, ſacrificium pro peccatis, & pacificum, vt videre eſt Leuit. 23. v. 18. & 19. quo ſignificabatur ſacrificium nouæ legis per vetus præfiguratum omnibus veteribus ſacrificijs ſucceſſurum, vt loquitur S. Auguſtinus: illudque & in gratiarum actionem, & in remiſſionem peccatorum, & in impetrationem beneficiorum Dei offerendum eſſe. Denique ſacrificium illud antiquæ legis comedebatur à Sacerdotibus: Sic & noſtrum ſacrificium.

S. Aug. to. 8. in v. 7. Pſal. 39. Leuit. 23. v. 10.

XXXVI. Quartò, ſunt & proprietates quædam eximiæ, quæ illi legali ſacrificio ſingulariter aſcribuntur in Deuteronomio, vbi nomen Miſſæ ei imponitur; ex quibus vna eſt præcipua, quæ noſtro duntaxat ſacrificio perfectè conuenit, non veteri legis ſacrificio. Quemadmodum enim Salomoni Regi, & alijs, qui Chriſtum præſignificabant, multa tribuuntur in veteri lege, quæ in illis nūquam impleta fuerunt, ſed in Chriſto, quem illi præmonſtrabant (vt ex Scripturis probat S. Auguſtinus:) Ad eundem modum & huic ſacrificio legis nonnulla tribuuntur, quæ non in illo, ſed in

Deut. 16. v. 10.

S. Aug. to. 5. lib. 17. de ciuit. Dei, c. 8.

in noſtro, quod illud prænunciabat, plenè impleta ſunt: nam prima huius oblationis veteris proprietas erat, quòd debebat eſſe *ſpontanea*. Et quid magis ſpontaneum eſſe poteſt, quàm illud, quod Chriſtus ſuo Patri offert? Secunda proprietas erat, quòd manu offerri debebat: *Oblationem*, inquit, *ſpontaneam manus tuæ*: Et Chriſtus in cœna panem & calicem manu accepit, cùm ſacrificium nouæ legis inſtituit: & eius miniſtri adhuc manibus hoc ſacrificium accipiunt, & offerunt.

Deut. 16. v. 10. *Eodem v. 10.*

XXXVII.

Additur & tertia proprietas, quæ noſtro ſacrificio optimè quadrat, legis autem nequaquam, nempe quòd ſacrificium illud vetus debebat reſpondere omnibus beneficijs à Deo collatis, imò quod debebat eſſe ſufficiens dònum pro his omnibus: *Quam offeres* (inquit Dominus) *iuxta benedictionem Domini Dei tui*, hoc eſt, iuxta ea bona, quę à Deo accepiſti: nam benedictionem Dei ſignificare bona nobis à Deo collata conſtat, & hoc etiam infrà ex Scripturis probamus.

Deut. 16. v. 10. *Vide infrà hac contr. c 8. §. 25.*

XXXVIII.

His addo eos, qui meliùs verſati ſunt in Hebræis, Chaldæis & Syriacis, benè obſeruaſſe, quòd vox מסה Miſſa, non ſit vox Hebræis propria, ſed potiùs à Chaldæis aut Syris mutuata, cũ ſemel tantùm inueniatur in Scriptura Hebræa, nempe in hoc loco Deuteronomij: apud Chaldæos autem & Syros hæc vox ſignificat etiam ſufficientiam, ſeu oblationem ſufficientem. Ita docent non tantùm Pagninus, & Arias Montanus Catholici, ſed etiam Ioannes Mercerus Caluinianus. Quare Pagninus & Arias Montanus ita vertunt hunc locum, *ſufficientiam ſpontaneam manus tuæ*. atque iuxta hanc ſignificationem vocis Miſſæ præcipitur hic, vt offerens Deo offerat ſufficientem oblationem pro beneficijs à Deo acceptis.

Pagninus in radice מסס. *Mercerus ibid.*

Digitized by Google

tis. Porrò in veteri lege nulla erat talis oblatio, ſed iam in noua lege oblatio noſtra cùm ſit ipſe Chriſtus, verus Deus, ſufficientiſſima eſt oblatio pro omnibus beneficijs à Deo nobis collatis, cùm ea omnia finita ſint; Chriſtus Deus infinitus.

XXXIX. Ex his omnibus facilè eſt animaduertere Hebræum nomen Miſſæ non immeritò tribui noſtro ſacrificio: Et quamuis illud alioqui Latinum ſit, atque à populo Latino alia de cauſa noſtro ſacrificio primò impoſitum; tamen propter magnam ſimilitudinem, quæ eſt inter illud vetus ſacrificium, olim nomine Miſſæ deſignatum, & hoc noſtrum, non abſque ſingulari Dei prouidẽtia factum eſſe, vt tale nomen huic noſtro tribueretur ſacrificio, tum etiam aduerſarios Catholicæ Eccleſiæ verè criminari non poſſe nomen noſtri ſacrificij in ſacris literis nuſquam inueniri.

CAPVT VII.

De ritibus & cæremonijs ſacrificij Miſſæ.

1\. DE ritibus & cæremonijs ſacrificij Miſſæ nonnulla dicenda erunt; præcipuos ritus paucis attingemus. Vnus ritus eſt, quòd ſacrificium Miſſæ offeratur in honorem Sanctorum. Hic ritus apertum habet teſtimonium ex ſacris literis: ſacrificium enim Miſſæ in gratiarum actionem referri debere ſatis probat vel ipſum nomen Euchariſtiæ; ſacrificiũ etiam Melchiſedech (cui hoc reſpondet) in gratiarum actionem pro obtẽta victoria oblatum fuiſſe cõſtat. Sed & ipſi aduerſarij hoc

Gen. 14. v. 20.

Cal. lib. 4.

Digitized by Google

hoc ſacrificium eſſe εὐχαριστικὸν negare non poſſunt, hoc eſt, ſacrificium, quod in laudem Dei & gratiarum actionem pro acceptis à Deo beneficijs offertur: Quare meritiſſimò offerri à nobis debet in gratiarũ actionẽ pro tot tantiſque beneficijs, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis & Martyribus collatis, cæteriſque Beatis, qui cũ Chriſto in æternũ viuunt. Cũ enim ſimus oẽs mẽbra vnius corporis Chriſti, *quando gloriatur vnũ mẽbrũ, meritò cõgaudent omnia mẽbra*, Apoſtolo teſte. Quare quẽadmodũ ritus ſacrificãdi pro mortuis in eo fundatur, quòd Miſſa ſit ſacrificiũ propitiatoriũ: ita ritus ſacrificãdi in honorẽ & memoriã Sãctorũ in eo fundatur, quòd Miſſa ſit ſacrificiũ εὐχαριστικόν, id quod ipſi aduerſarij negare non poſſunt.

Inſtit c. 18. ſect. 13 & 16.

1. Cor. 12. v. 26.

II. Adhæc, dum ſacrificium Deo offerimus pro beneficijs illis eximijs, quæ Beati ab ipſo acceperunt, rem valdè gratam beatis illis ſpiritibus præſtamus: quemadmodum enim ipſimet continuò gratias Deo agunt pro beneficijs à Deo collatis; ita etiã ſummoperè deſiderant, vt alij oẽs, qui eiuſdẽ corporis Chriſti ſunt mẽbra, pro ijſdẽ beneficijs illis collatis gratias agant: alioqui eſſent Deo ingrati, quod abſit. Et conſequenter quotieſcumq; ſacrificia Deo offeruntur in gratiarum actionẽ pro beneficijs beatis illis ſpiritibus à Deo collatis, non tantũ facimus illis rẽ admodũ gratã. ſed etiã obligamus quodammodo & deuincimus eos officio adeo grato, vt apud Deũ pro nobis feruenter & aſſiduè intercedant. Lex .n. charitatis hæc eſt, vt benefacientibus beneficia præſtemus. Porrò de cõſuetudine antiquæ Eccleſiæ in offerẽdo hoc ſacrificio ad honorẽ Sanctorũ teſtimonia varia extãt apud Bellar. lib. 2. de Miſſa, c. 8. & Coccium tom. 1. lib. 5. ar. 13. & 14.

III. Alter ritus Miſſæ eſt, quòd aqua cum vino miſceatur, cui etiam teſtimonium perhibent ſacræ literæ. Primò, quia cùm vetus Teſtamentum conditum & ſancitum fuit, aquam cum ſanguine miſcuit Moyſes, vt Apoſtolus expreſsè ſcribit; Debebat ergo & in noui Teſtamenti conſtitutione aqua adhiberi.

Ad Hebr. 9. v. 19.

IV. Præterea in calida illa regione omnes ſolebant miſcere aquam cum vino: vinum autem merum bibebat nemo: adeo, vt Hebraica locutione idem planè eſſet vinum miſcere, quod vinum ad potandum propinare. *Sapientia* (inquit Salomon) *miſcuit vinum ſuum, & propoſuit menſam ſuã.* Et paulò pòſt: *Bibite vinum, quod miſcui vobis.* Quibus in locis miſcere vinum, nihil aliud eſt, quàm proponere & parare vinum ad potandum. Sic Danielis decimoquarto, verſu decimo: *Pone eſcas, & vinum miſce.* Et Apocalyp decimo octauo, verſu ſexto: ***In poculo, quo miſcuit, miſcete ei duplum.***

Prouerb. 9. v. 2.

Ib. v. 5.

V. Denique, quòd Chriſtus in cœna vinum cum aqua miſcuerit, teſtes habemus omni exceptione maiores, Patres nempe antiquiſſimos, qui proximi fuerunt Apoſtolorum ætati; S. Iuſtinũ, S. Irenæum, S. Cyprianum, S. Clementem, denique & ipſum S. Iacobum Apoſtolum fratrem Domini, qui cœnæ præſens aderat. Eundem etiam ritum à temporibus Apoſtolorum diligenter obſeruatum fuiſſe à Chriſtianis omnibus manifeſtè probant liturgiæ omnium Chriſtianorum, tam Occidentalium, quàm Orientalium.

S. Iuſt in Apol ad Anton. Piũ, ſub fin. S. Iren. lib. 4. c. 57. & lib. 5. c. 2. S. Cypr. lib. 2. epiſt. 3. Clemens lib. 5. Conſtit. Apoſt. c. 17. S. Iacob. in ſua liturgia cùm refert verba Chriſti. quibus ille vſus eſt in cœna.

VI. Sunt & alia tria præclara myſteria, quæ hac mixtione repræſentantur. Primum eſt, quòd è latere Chriſti in cruce adhuc pendentis effluxerit ſanguis & aqua. Secundum, quòd *Chriſtus venerit*

nerit non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Tertium, quòd ſicut aqua illa, quæ cum vino miſcetur, vnitur vino & ſanguini Chriſti; ita vi huius ſacrificij, populi, gentes & linguæ variæ (quæ per aquas in ſacris literis ſignificantur) Chriſto Saluatori noſtro intimè vniantur. *Apoc.17.v.15.*

VII. Tertius ritus, quem reprehendunt aduerſarij, eſt, quòd priuatim celebrentur nonnunquam Miſſæ: cuius tamen ritus extat perſpicuum exemplum in ſacra Scriptura, & non alterius, quàm ipſius Chriſti, qui ipſo die reſurrectionis ſuæ hoc ſacrificium in Emaus celebrauit, duobus tantummodò præſentibus, vt ex Euangelio S. Lucæ ſuprà demonſtrauimus. *Luc.24.v.30. Vide contr. 8.c.4.§.7. & ſeq.*

VIII. Deinde hoc ſacrificium non præſentibus duntaxat, ſed & alijs multis abſentibus prodeſt: *Pro vobis* (inquit Chriſtus) *& pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum.* Quod enim multis prodeſt ad peccatorum remiſſionem, etiam abſentibus prodeſt. Denique, quod pluribus prodeſt, paucioribus obeſſe non poteſt. *Luc.22.v.20. Matt.26.v.28. Marc.14.v.24.*

IX. Quartus ritus, quem reprehendunt, eſt, quòd non vulgari, ſed Latina lingua celebretur hoc ſacrificium; quaſi Deus vulgare duntaxat, & non Latinum idioma intelligeret. Neque enim offertur ſacrificium populo, ſed ſoli Deo. Alia igitur eſt, & longè diuerſa Concionum ratio, quæ populo fiunt, non Deo; proinde à populo intelligi debent: alia ſacrificij, quod ſoli Deo offertur, cui non tantùm idioma omne, ſed & omnis cordis cogitatio manifeſta eſt. *1. Paral.28.v.9.*

X. Quintus ritus, quòd ſolus Sacerdos aliquando communicet. *Optaret quidem Eccleſia, vt in ſingulis Miſsis adſtantes communicarent*, teſte Cõcilio Tridentino. Verùm cùm ſacrificium hoc proſit non *Conc.Trid. ſeſſ.22 c.6.*

tantùm communicantibus,ſed & multis alijs tã præſentibus,quàm abſentibus,non eſt propterea omittendum hoc ſacrificium, quòd deſint communicantes,dummodò publicus miniſter Eccleſiæ(qui ſacrificium offert,& loco omnium communicat)hanc ſalutarem victimam conſumat. In lege ſanè Moſaica ex ſacrificijs,quæ pro peccatis, & pro delictis offerebantur,non comedebat populus,ſed ſoli Sacerdotes.

Leuit. 6. v. 29. & c 7. v. 6. & 7.

XI. Sextus ritus,quem reprehendunt, eſt, quòd Sacerdos tot cruces faciat ſuper Sacramentum, & cum Sacramento,tam ante, quàm poſt conſecrationem. Longè aliter S. Auguſtinus, qui ita de hoc ſigno crucis ſcribit;*Quod ſignum*(crucis nempe)*niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ,qua regenerantur, ſiue oleo,quo Chriſmate vngũtur. ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur*. Et alibi, *hoc ſigno crucis conſecratur corpus Dominicum*.Et rurſus, *Cum eiuſdem crucis charactere altaris Sacramenta, cum interpoſitione Dominicorum verborum conficiuntur*. Cui ſuffragatur S.Chryſoſtomus;*Omnia,quæ ad ſalutem*(inquiens) *noſtram conducunt,per ipſam*(crucem videlicet)*conſummantur. Nam cùm regeneramur, crux Domini adeſt; cùm ſacratiſſimo alimur cibo,cùm in ordine conſecrandi ſtatuimur, vbiq; & ſemper id victoriæ inſigne nobis aſſiſtit*. Hoc enim crucis ſignum & nobis in mentem reuocat Chriſti paſſionẽ atque mortẽ, & declarat totã vim incruenti noſtri ſacrificij à cruẽto crucis ſacrificio oriri. Quã etiã ob cauſã in antiquis ſacrificijs incruentis fiebat illa hoſtiæ agitatio verſus 4.mundi plagas,quæ perfectã crucis figurã in ſe cõtinebat,& Hebraicè vocabatur תנופה Tenuphà; quemadmodum ſuprà ex ipſa ſacra Scriptura & Rabinis oſtendimus.

S. Aug. to. 9. in Euan. S. Ioan. tract. 118. S. Aug. to. 10. ſer. 181. de tempore c. 3. Idem ſer. 19. de Sanctis ſub fin. S. Chryſ. ho. 55. in c. 16. S. Matt.

Cap 1. huius contr. §. 37.

Et

Et ſicut in ſacrificijs legis Moſaicæ fuerunt XII.
duæ agitationes, ſeu motiones hoſtiarũ à Deo
præſcriptæ, nempe, תרומה Teruma, qua hoſtia *Leuit.* 10.
in altum eleuabatur, & ſtatim deponebatur; & *v.* 14. & 15.
תנופה Tenupha, qua hoſtia mouebatur verſus
quatuor mundi partes, iñ formam crucis, vt ſuprà
etiã diximus: ita in ſacrificio Miſſæ fiunt ambæ i-
ſtæ agitationes hoſtiæ conſecratæ. Nam ſtatim *Suprà* §. 37.
poſt conſecrationem eleuatur Sacramentum, & *cit.*
mox deponitur, vt hoc ritu ſignificetur ſacrificiũ
hoc offerri Domino cœli & terræ: Item vt ſigni-
ficetur eleuatio Chriſti in cruce, & depoſitio eius
in ſepulchro. Et denique vt in terra adoretur
Chriſtus ab omnibus præſentibus. Mouet etiã Sa-
cerdos hoſtiam conſecratam in formã crucis ver-
ſus quatuor mũdi plagas, vt hoc ritu ſignificetur,
primò illũ, cui hoc ſacrificiũ offertur, vbiq; do-
minari: Secundò, vt forma crucis, quę hac motio-
ne exprimitur, in memoriã nobis reuocet ſacrifi-
ciũ cruẽtũ Chriſti pro nobis in cruce oblatũ: tum
etiã vt omnẽ vim & efficacitatẽ ſacrificij Miſſę ab
illo Chriſti ſacrificio in cruce peracto emanare
intelligamus. Quas etiã ob cauſas fiũt tam crebræ
cruces ſuper hoſtiã & calicẽ: Oẽs. n. cruces iſtæ ſi-
gnificãt ſacrificiũ incruentũ offerri, quo & ſacri-
ficiũ crucis repræſentatur, & eius effectus nobis
largè & copioſè applicantur. Porrò agitatio iſta
corporis Chriſti verſus 4. mũdi plagas in forma
crucis, fit in fine ſacrificij, ante orationẽ Domini-
cã, quaſi cõſummatio totius ſacrificij; nã ab ora-
tione Dominica incipiunt ea, quæ ad cõmunionẽ
& perceptionẽ ſacrificij pertinent: non ergo fiunt
cruces iſtæ, vt Chriſti corpus & ſãguis his benedi-
cantur, aut ſanctiora efficiãtur, vt aduerſarij ca-
lũniãtur, ſed vt crucis ſigno deſignetur corporis

& ſanguinis Chriſti oblatio incruenta, quæ fit in Miſſæ ſacrificio,& vt declaretur,quòd hoc ſacrificium vim habeat à crucis ſacrificio.

XIII. Septimus ritus eſt, quòd multa in ipſo ſacrificio dicantur ſubmiſſa voce. Sed cùm hoc reprehendunt aduerſarij, ſatis declarant ſe ignorare veram ſacrificij naturam: Sacrificium enim non hominibus, ſed ſoli Deo offertur, qui benè intelligit non tantùm ea, quæ ſubmiſſa voce dicuntur, ſed & omnes cordium cogitationes. Atque hinc eſt, quòd à principio mundi, & præſertim in lege Moſaica, ſacrificia ſummo ſilentio peragerentur; & populus foras tempore ſacrificij oraret. In noua verò lege magno ſilentio hoc myſteriũ peragendum eſſe, ex ipſa Apoſtolorum traditione docent Patres antiqui, S. Dionyſius Areopagita, & S. Baſilius.

Pſal. 7. v. 10. Leuit. 16. v. 17. Luc. 1. v. 10. Dionyſ. Areop. de Eccleſ. hierar. in princip. & rurſus in fin. Item ep. 9. quæ eſt ad Titum. S. Baſil. de Spiritu S. c. 27.

XIV. Sed neque animaduertunt aduerſarij Chriſtũ Dominum, cùm in cruce perfectiſſimum illud peragerct ſacrificium, & tribus continuò horis in ara crucis penderet, magno vſum fuiſſe ſilentio, quod non niſi ſeptem duntaxat vicibus interrupiſſe legitur, & quidem paucis admodum ſingulis vicibus prolatis verbis. Id, quod in Miſſæ ſacrificio perſpicuè repræſentatur. Nam quemadmodum Chriſtus in cruce ſepties tantùm altiori voce vſus eſt, cætera ſilentio peregit: ad eundem modum Sacerdos, qui Chriſti perſonam refert, ſepties in canone Miſſæ rumpit ſilentium, altiori vtens voce, cætera omnia ſilentio peragit.

XV. Enimuerò Chriſtus Redemptor noſter in crucis ſacrificio primò altiori vſus eſt voce, cùm orauit pro peccatoribus viuentibus; *Pater* (inquiẽs) *dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*: Sic Sacerdos in canone Miſſæ poſt conſecrationem primò rum-

Luc. 23. v. 34.

rumpit ſilentium, quando altiori voce dicit; *Nobis quoq; peccatoribus*, &c. Secundò rupit Chriſtus ſilentium, cùm latroni promiſit regnum cœlorũ: ſic ſecundò rumpit Sacerdos ſilentium, cùm recitat orationem Dominicam, in qua poſtulat regnũ cœlorum. Tertiò rupit Chriſtus ſilentium, quando matri diſcipulum ſuum Ioannem, & rurſus diſcipulo matrem commendauit: quo ſignificabat ſe Eccleſiæ ſuæ, quam mater repræſentabat, Ioannem, id eſt, gratiam ſuam relinquere: Sic Sacerdos tertio loco rumpit ſilentium, cùm pacem Domini toti Eccleſiæ precatur. Quarto loco rupit Chriſtus ſilentium, cùm magna voce clamans oſtendit, quàm acerba pro nobis pateretur, ita Patrem alloquens; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Sic Sacerdos quarto loco clara voce prædicat effectum tam acerbi Chriſti doloris & paſſionis, cùm ter ait; *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, &c. Denique quinta, ſexta, & ſeptima vice rupit Chriſtus ſilentium, quando eodem fere tẽpore, primò quidem dixit, *Sitio*; deinde, *conſummatum eſt*; poſtremò, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Sic & Sacerdos paulò ante Communionem ter rumpit ſilentium, parua aliqua mora interpoſita, dum ter dicit clara voce, *Domine, non ſum dignus*, & cætera ſubmiſſa voce proſequitur; quaſi diceret; Domine, non ſum dignus, vt pro me ſitires; Domine non ſum dignus, vt pro me guſtares acetum: Domine, non ſum dignus, vt pro me morereris.

Luc. 23. v. 34. *Ioan. 19. v. 26. & 27.* *Matt. 27. v. 46.* *Ioan. 19. v. 28. & 30.* *Luc. 23. v. 46.*

XVI. Non ſunt igitur iſta ſpernenda, quæ myſteria paſſionis Chriſti tam perſpicuè nobis repræſentant; quemadmodum & cæteri ritus omnes, qui diuino hoc Miſſæ ſacrificio continentur: quod facile nobis eſſet in ſingulis oſtendere, niſi prolixita-

Antiqui hi ſcriptores extant in to. 1 appendicis Bibliothecæ ſacræ Patrum. Bellar. lib. 2. de Miſſa, à c. 8. vſq; ad finem libri. Coccius to. 2. lib. 6. ab art. 9. vſq; ad finem libri.

lixitas obſtaret; & horum omnium explicatio ex alijs peti poſſet, nẽpe ex ſancto Iſidoro, Alcuino, Amalario, Rabano, VValafrido, qui ante octingentos annos ſcripſerunt: Et ex his quoq;, qui nouiſſimè de his egerũt, Bellarmino & Coccio, qui omnes hos ritus ſigillatim declarant. Nobis hic ſatis erit rationes aliquot adferre, cur retinendæ ſint, & diligenter obſeruandæ omnes omninò cęremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ.

XVII. *Bellar. & Coccius locis citatis. Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 5.*

Prima ratio, quia cæremoniæ iſtæ non ſunt à nobis recèns excogitatæ (vt ſunt aduerſariorũ cæremoniæ ab illis,) ſed ab antiquis Patribus acceptæ: quare non nobis, ſed antiquis Patribus litem intendere debent aduerſarij. Omnes enim cæremonias Miſſæ, aut ferè omnes in antiqua Eccleſia ſanctè obſeruatas eſſe ante mille & eò ampliùs annos, probant Bellarminus & Coccius. Et *cùm natura hominum ea ſit* (quemadmodum rectè docet Concilium Tridentinum; & quotidiana experientia etiam in ipſis aduerſarijs, qui ſuis non carent cæremonijs,) *vt non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem ſuſtolli*, facilè eſt iudicare, expediatne antiquas cæremonias à Patribus acceptas retinere, an illis exploſis, cæremonias nuper ab aduerſarijs excogitatas in earum locum introducere.

XVIII. Deinde etiamſi nonnullæ cæremoniæ eſſent vel hoc ipſo tempore, vel non ita pridem ab Eccleſia adiectæ, non ob id contemnendæ ſunt illæ, aut negligendæ, ſed potiùs magna reuerentia & obſeruantia amplectendæ: Idem enim eſt Spiritus S. qui olim docuit Patres, & *qui iam docet Eccleſiam omnem veritatem: & quem nobiſcum manſurũ in æternum promiſit Chriſtus.* Sed neque fallere nos poteſt Chriſtus, qui dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omni-*

Ioan. 16. v. 13 Ioan. 14. v. 16. Matt. vlt. v. vlt.

Digitized by Google

omnibus diebus vſque ad conſummationem ſaculi. Et alibi: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* *Luc.16.v. 16.*

Poſtremò, cùm omnes cæremoniæ Miſſæ ea, quæ Chriſtus pro nobis paſſus eſt, ante oculos noſtros ſtatuant, mentemque ad Chriſtum paſſum, & crucifixum deducant, atque in eo inſiſtere cogant (quemadmodum fusè probant authores citati, qui de ſingulis in ſpecie tractant,) nemo niſi crucis Chriſti inimicus has ſpernendas, aut negligendas eſſe contendet. XIX.

CAPVT VIII.

De Canone Miſſæ.

ADVERSARII non tantùm carpunt ritus & cæremonias Miſſæ, ſed etiam verba, & ſanctiſſimas illas orationes, quas ab ipſo S. Petro conſcriptas, & traditas fuiſſe Romanæ Eccleſiæ teſtatur S. Iſidorus. Cùm enim S. Petrus, natione Hebræus, & in ſacris literis à Spiritu S. edoctus, non paucos loquendi modos in Hebraicis Scripturis vſitatos orationibus ab eo compoſitis insereret (quod & fecit in duabus ſuis canonicis epiſtolis,) aduerſarij iſtarum locutionum ignari carpunt, quæ non intelligunt. Verùm hæ tã frequentes phraſes Hebraicæ, etiamſi aliud argumentum antiquitatis canonis non eſſet, ſatis probant ſacroſanctas has orationes non ab alio, quàm ab ipſo ſancto Petro conſcriptas eſſe, homine nimirum Hebræo, & in ſacris literis verſatiſſimo. Sunt enim omnes locutiones iſtæ, quas aduerſarij carpunt, ex ipſis I. *S. Iſidor. lib.1. de Eccleſiaſt. officijs, c.15.*

ſacris literis deſumptæ, & ex his præſertim libris, qui Hebraicè ſunt ſcripti. Quod vt planiùs fiat, nonnulla huius rei exempla afferemus.

II. Primò quidem reprehendunt, quòd ante conſecrationem panis & vini, tam in minore canone, quàm in principio maioris canonis, ſacrificiũ tunc præſens dicatur offerri pro peccatis, cùm iſtud nondum ſit conſecratum, ſed panis duntaxat & vinum. Verũ non animaduertunt aduerſarij vſitatũ ac tritũ eſſe in ſacris literis, vt ſola pars viſibilis hoſtiæ, nomen hoſtiæ ſibi vendicet, etiãſi alia & alia fuerit interior & inuiſibilis hoſtię ſubſtantia. Nã (vt ſuprà diximus) tã Sacramenta, quã ſacrificia ſunt ſigna viſibilia; de quorũ proinde natura, ratione & eſſentia non eſt inuiſibilis & interior ſubſtantia rei. Id, quod omni etiam ſignorum generi commune eſt: Vocantur enim Angeli, viri & iuuenes non rarò in ſacris literis, quia externã & viſibilem viri, & iuuenis formam habebant, quanquam veram viri aut iuuenis ſubſtãtiam & naturam interiorem non haberent. Sic & in ſacrificijs veteris legis ſæpiſſimè dicuntur agni, vituli, & alia animalia offerri in holocauſtũ, & comburi in Dei honorem, & manducari, cùm tamen ante combuſtionem & manducationem interficerentur, & conſequenter mutaretur interior animalis ſubſtantia (cùm animal mortuũ nó ſit verum animal, ſicut neque homo mortuus verus homo:) dicebatur tamẽ idẽ animal offerri in holocauſtum, propterea quòd remaneret eadẽ externa & viſibilis ſpecies & forma animalis.

Suprà contr. 4. c. 3. §. vlt.

Marc. vlt. v. 5. Luc. vlt. v. 4. Act. 1. v. 10. Num. 7. v. 15. & ſæpiùs eodem cap.

Ad eundẽ planè modũ accidẽtia viſibilia panis & vini, quæ ante conſecrationẽ habẽt cóiunctã inuiſibilem ſubſtantiam panis & vini, ſed poſt conſecrationem inuiſibilem ſubſtantiã corporis

III.

&

& ſanguinis Chriſti, rectè vocantur ſacrificia illibata, rectè etiam dicuntur pro peccatis offerri. Nam corpus & ſanguis Chriſti, quæ offeruntur, nec ſunt viſibilia ſacrificia, nec viſibiliter offeruntur, niſi ratione harum viſibilium ſpecierum, in quibus continentur: & mutatio interioris ſubſtantiæ ſacrificij naturam ſacrificij non mutat, dummodo eadem remaneat externa, & viſibilis ſpecies rei oblatæ. Id quod in omnibus quoque ſacrificijs legalibus cruentis videre eſt: Nam in his interficiebatur ſemper animal in principio ſacrificij, eiuſque interior ſubſtantia in aliam nō viuam, ſed mortuam mutabatur: eadem tamē remanebat hoſtia, eadem victima, idem omninò ſacrificium, quòd eadem remaneret externa animalis figura, forma & ſpecies. Quare qui has ſacri Canonis locutiones reprehendunt, ſatis declarant ſe neque in Hebraicis phraſibus, neque in ſacrarum Scripturarum locutionibus admodum verſatos eſſe.

Secundo loco reprehendunt illud, quòd poſt confecrationem orat Sacerdos, vt Deus accepta habere velit munera oblata, ſicut accepta habuit munera Abel, & ſacrificia Abrahæ, atque Melchiſedech: ex quo inferunt Sacerdotem æquare corpus & ſanguinem Chriſti corporibus brutorum animaliū, aut rebus inanimatis. Sed animaduertere deberent vocem, *ſicut*, in ipſis ſacris literis non ſignificare æqualitatem, ſed ſimilitudinem quamcunque etiam imperfectam. Sic loquitur Chriſtus Dominus, cùm Patrem rogat, *vt nos ſimus vnum inter nos, ſicut ipſe & Pater vnum ſunt:* Non eſt tamen æqualis vnitas noſtra cum ea, quæ eſt inter Patrem & Filium, ſed longè minor & imperfectior. Sic dicit Moyſes de Chriſto loquēs, IV.

Ioan. 17. *v.* 11 & 22.

Deut. 18. *v.* 15. & 18.

X 5 teſte

Act.3.v.22. teſte S. Petro, quòd *Dominus ſuſcitabit Prophetam, ſicut erat Moyſes*: Magnum tamen diſcrimen fuit inter Chriſtum & Moyſem. Sic denique monet *Matth. 5. v. vlt.* Dominus, vt ſimus perfecti, ſicut & Pater noſter cœleſtis perfectus eſt: Infinita tamen eſt diſtantia inter perfectionem Dei & noſtram.

V. Tertio loco obijciunt, quòd poſt conſecrationem oret Sacerdos, vt Deus iubeat corpus & ſanguinem Chriſti perferri per manus ſancti Angeli ſui in conſpectu diuinæ maieſtatis ſuæ. Vbi animaduertere deberent, non alium eſſe hunc Angelum, quàm ipſum Chriſtum, ſi de ipſo corpore *Malach.3. v.1.* & ſanguine Chriſti hæc intelligantur: *Chriſtus enim eſt veriſſimus ille Angelus teſtamenti, quem nos volumus*, teſte Malachia Propheta. Nam cùm hic celebretur ipſum Chriſti teſtamentum, iuxta illa *1. Cor. 11. v.25.* CHRISTI verba; *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*; teſtamenti huius Angelus & miniſter eſt ipſe Chriſtus, qui ſeipſum Patri offert in hoc myſtico ſacrificio. *Hic enim Chriſtus* (vt *S. Amb. lib. 1. offic. c. 48.* loquitur S. Ambroſius) *offert ſeipſum quaſi Sacerdos, vt peccata noſtra dimittat*. Et alibi; *Etſi Chriſtus* *Idem in Pſ. 38. ad illum v.7. In imagine pertranſit homo.* *nunc non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur; imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium, quod offertur.*

VI. Porrò, quod in eadem oratione habetur de ſublimi altari, quod eſt in conſpectu diuinæ Maieſtatis, deſumptum eſt ex Apocalypſi Sancti *Apoc.8.v. 3. & 4.* Ioannis, qui ſcribit ſe vidiſſe *altare aureum ante thronum DEI, ſuper quod offerebantur orationes omnium Sanctorum de manu Angeli coram DEO.* Quæ omnia myſticè intelligenda ſunt de ipſo CHRISTO mediatore noſtro: Eſt enim Chriſtus ipſe

ipſe & Sacerdos, qui offert, & ſacrificium, quod offertur, & altare aureum, ſuper quod offertur, & quo fulcitur ac ſuſtentatur hoc ſacrificium, vt cùm ab eo in ſublimi hoc altari præſentatur in conſpectu Dei, ſupra illud Deus propitiato ac ſereno vultu reſpiciat. Id quod alijs verbis indicat Apoſtolus, cùm ſcribit: *Chriſtum introiſſe in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* *Ad Heb. 9. v. 24.*

VII. Verùm vt meliùs intelligantur ambæ iſtæ orationes Canonis, & aliæ non paucæ, quæ ſunt in eodem canone, obſeruandum eſt, duplicem fieri oblationem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacrificio Miſſæ. Prior eſt ipſius Chriſti oblatio, qua per ſacerdotem viſibilem, qui eius perſonam gerit, ſeipſum Patri offert. Et hæc oblatio fit ſolis verbis Chriſti, & Euangeliſtarum, nullâ aliâ additâ oratione. Nam cùm ipſa Chriſti verba apertè ſignificent corpus ſuum dari, & frangi, hoc eſt, incruentè offerri pro nobis; & ſanguinem ſuum effundi in remiſsionem peccatorum, ſatis manifeſtè declarant Chriſtum hîc ſeipſum offerre pro nobis. Hinc illa verba S. Irenæi Apoſtolorum ætati admodum vicini: CHRISTVS *eum, qui ex natura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens;* Hoc eſt corpus meum. *Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo.* Quibus verbis apertè docet Sanctus Irenæus, CHRISTVM ipſis verbis inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ in cœna nouiſsima prolatis inſtituiſſe nouũ ſacrificiũ legis nouæ, hiſque Chriſti verbis ſubſtantiam ſacrificij nouæ legis perfici. Eodem ſpectat & illud, *Irenæus l. 4. c. 32.*

quod

S. Ambr. in Pſal. 38. ad illa verba v. 7. In imagine pertrãſit homo. quod ſcribit S. Ambroſius: *Ipſum Chriſtum hoc ſacrificium offerre, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium, quod offertur.* Ipſius enim Chriſti verbis hoc ſacrificium ſanctificatur, & offertur; non autem verbis Sacerdotis, vt & alibi latiùs proſequitur idem Sanctus Ambroſius, cùm ait: *Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti, Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum.* S. Amb. l. 4. de Sacram. c. 4.

VIII. S. Irenæus loco cit. Malach. 1. v. 11. Ob hanc etiam cauſam affirmat S. Irenæus, *Hoc eſſe purum illud, & mundum ſacrificium, quod Malachias Propheta manifeſtiſsimè præſignificauit offerendum Deo inter Gentes ab ortu ſolis vſque ad occaſum.* Et meritò mundum vocatur, & purum hoc ſacrificium, cùm *iſtud nullâ indignitate aut malitia offerentium inquinari poſſit*, vt rectè monet Concilium Tridentinum: qua ratione inquinari poterant omnia ſacrificia, ſiue legis naturalis, ſiue Moſaicæ. Enimuero victima, quæ hîc offertur, ſanctiſsima eſt, & Deo gratiſsima, Chriſti nempe corpus & ſanguis. Ipſe etiam qui offert, tãquam præcipuus, & maximè proprius ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, eſt ipſemet Chriſtus, Filius Dei, Patri gratiſsimus: Nam viſibilis ſacerdos miniſter tantùm eſt Chriſti, qui principaliter offert: Quemadmodum & in baptiſmo miniſter viſibilis viſibile exhibet miniſterium, ſed qui inuiſibiliter & principaliter baptizat, eſt ipſe Chriſtus, vt ex illis verbis optimè probat contra Donatiſtas Sanctus Auguſtinus: *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.* Quibus optimè cohærent & illa S. Chryſoſtomi verba: *Sacra ipſa oblatio, ſiue illam*

Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 1. Matth. 3. v. vlt. Ioan. 1. v. 33. S. Aug. To. 9. tract. 6. in Euang. S. Ioannis. S. Chryſoſt. hom. 2. in 2. Epiſt. ad Timoth.

Digitized by Google

illam Petrus, ſiue illam Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit ipſe Chriſtus, quamq; Sacerdotes modò conficiunt. Cùm igitur & ipſe Chriſtus ſit, qui offertur, & ipſe quoq; Chriſtus, qui offert: neque ex parte rei oblatæ, neque ex parte offerentis, poteſt vlla immunditia aut impuritas locum habere in hac priore oblatione, quæ eſt ipſius Chriſti. Quare vt Deus hanc Chriſti oblationem acceptet, nequaquam orat Sacerdos: Neque enim opus eſt, vt oblatio ipſius Chriſti Deo Patri à nobis commendetur.

Hæc porrò ipſius Chriſti oblatio illa eſt, à qua præcipuè pendet vis & fructus ſacrificij Miſſæ, vt veriſsimè declarat Concilium Tridentinum. Nam cùm id, quod offertur, ſit ipſe Chriſtus verus Deus, & verus homo, hoſtia ipſa, quæ offertur, infiniti eſt pretij & valoris: Et cùm ille, qui offert, ſit etiam Chriſtus verus quoque Deus & homo, qui offert, non poteſt non eſſe Deo gratiſsimus. Quare mirum non eſt, ſi dicamus ſacrificium iſtud valere ad obtinendam remiſsionem peccatorum, multaq; alia bona, tàm ſpiritualia, quàm corporalia, ſiue pro viuis, ſiue pro defunctis. IX. *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2.*

Hæc etiam Chriſti oblatio eſt illa, quæ exigit Sacerdotem ſpeciali modo ab Eccleſia diuina poteſtate ordinatum ad talem oblationem offerendam: quæque exigit altare, & alios cultus ſacros, quibus Chriſti cruentum ſacrificium repræſentatur. In hoc enim ipſius Chriſti ſacrificio cóſiſtit præcipua, & propria repræſentatio mortis Christi. X.

Poſtremò de hac Chriſti oblatione intelligendum eſt illud, quod ſcribit S. Gregorius: *In initio naſcentis Eccleſiæ morem Apoſtolorum fuiſſe, ad ipſam* XI. *S. Greg. lib. 7. Epiſt. 63.*

ſolum-

Digitized by Google

ſolummodò orationem Dominicam oblationis hoſtiam conſecrare; non quòd vnquam conſecrauerint Apoſtoli ſine verbis, quæ Chriſtus in cœna protulit, ſed quòd verbis illis Chriſti alia non addiderint, præter illa, quæ continentur in oratione Dominica, quam ante communionem publicè recitabant. Nam de publica vocali oratione hoc accipi debere, non de priuata cuiuſuis, & mentali oratione, paulò pòſt declarabimus.

XII. Altera oblatio, quæ fit in Sacrificio Miſſæ, eſt illa, quæ maxima ex parte compoſita fuit ab ipſis Apoſtolis, aut poſteà à viris Apoſtolicis, & ſanctis, qui ante mille annos vixerunt, & communiter vocatur Canon Miſſæ, quaſi Regula generalis, fixa & ſtabilis, ab omnibus obſeruanda in celebratione huius diuini ſacrificij. Ita enim hanc partem Miſſæ appellat S. Gregorius: Partem autem priorem Miſſæ, in qua recitatur Epiſtola, Euangelium, & aliæ orationes, vocant antiquiores Scriptores Miſſam Catechumenorum, quòd liceret Catechumenis intereſſe huic parti Miſſæ: Canonem verò vocabant Miſſam fidelium, quòd ſolis baptizatis liceret Canoni intereſſe. Ita Alcuinus. Ab alijs denique: *Canon olim vocabatur etiam Actio, quia in eo Sacramenta conficiuntur Dominica*, teſte VValafrido. Hinc vnam partem Canonis adhuc vocamus *Infra orationem.* Atque in hunc modum verba, quibus ipſius CHRISTI ſacrificium conficitur, ab ipſo CHRISTO tradita ſunt: At verba ſequentia, quibus Sacrificium Eccleſiæ peragitur, ab ipſa Eccleſia ſunt compoſita, atque ordinata.

S. Greg. l. 7. Epiſt. 63.

Alcuinus de diuinis officijs, c. 19. quod eſt de celebratione Miſſæ in fine.

VValafridus de rebus Eccleſiaſticis c. 22.

XIII. Cauſa autem & origo huius Canonis hæc fuit. Corpus & ſanguis CHRISTI acceptiſſimum

mum eſt Deo Sacrificium; *Nihil enim in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti; nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit*, vt loquitur S. Alexander Martyr. Par igitur erat, vt tàm gratum Deo ſacrificium non tantùm ab ipſo CHRISTO capite noſtro, ſed & à toto CHRISTI corpore myſtico, nempe Eccleſia, & à ſingulis etiam Chriſtianis Deo offerretur in gratiarum actionem, atque etiam ad impetrationem omnium bonorum ſpiritualium, aut temporaliũ, quibus in hac vita indigemus. Nihil enim aliud ſignificat clauſula illa vſitata in fine omnium orationum Eccleſiaſticarum; *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, quàm quòd per oblationem Chriſti Patri factam deſideremus ea impetrare, quæ poſtulamus. Idem ſignificant & illa Pſalmiſtæ verba; *Reſpice in faciem Chriſti tui.* Id, quod præcipuè faciendum eſt, cùm CHRISTVS verè & realiter ad nos accedit in hoc Sacramento, nobiſque corporali præſentia adeſt, etſi ſpirituali & inuiſibili modo. *Dominus* (inquit Sanctus Cyprianus, aut certè Sancti Cypriani coætaneus) *vſque hodie hoc veraciſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & piè ſumentibus diuidit. In huius præſentia non ſuperuacuè mendicant lacrymæ veniam.* Et Sanctus Chryſoſtomus: *Quando ipſum* (nempe corpus Chriſti) *videris propoſitum, dic, propter hoc corpus non ſum ego amplius terra & cinis; non ſum amplius captiuus, ſed liber: propter hoc ſpero me accepturum cælos, & omnia bona, quæ in eis ſunt, vitam, immortalitatem, Angelorum conditionem, cum Chriſto conſuetudinem.*

S. Alexander Epiſt. 1.

Pſal. 83. v. 10.

S. Cypr. ſer. de cœna Domini. De his verbis plura §. 22. huius cap.

S. Chryſ. hom. 24 in 1. Epiſtolam ad Corinth.

XIV. Imò certiſſima perſuaſio, & fides antiquæ Eccleſiæ fuit, quòd tempore huius diuini ſacrificij, dum

dum corpus & ſanguis Chriſti realiter præſentia adſunt, non tantùm homines, ſed & Angeli (quos huic ſacrificio aſsiſtere non dubitabant) corpus & ſanguinem Chriſti pro ſalute hominum offerent. Id quod ſatis teſtatur S. Chryſoſtomus, qui de tempore, quo Chriſtus in myſterijs adeſt, ad hunc modum ſcribit: *Tempore illo, mi frater chariſſime, non ſolùm homines clamorem illum horribilẽ reddunt, ſed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant. Habent ſibi tempus id idoneum: Habent ſacram oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes, mouere Reges conſueuerunt, eoq́ arboris genere miſericordiam commemorant, & humanitatem: Sic Angeli tunc pro ramis oleagenis corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant; Pro his Domine, rogamus, quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares. Pro his, ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.* Hactenus S. Chryſoſtomus ex antiquæ Eccleſiæ ſenſu & conſenſu ante mille ducentos, & amplius annos.

S. Chryſ. l. 6 de Sacerdotio.
S. Greg. l. 4. Dialog. cap. 58.
S. Chryſ. de incomprehẽſibili Dei natura contra Anomæos hom. 3. in fine.

XV. Ad hunc itaque modum in præſentia corporis & ſanguinis Chriſti orabant Chriſtiani vnà cum Angelis: Chriſtumq́ue, quem realiter & veriſsimè præſentem agnoſcebant, pro ſuis, aliorumq́ue neceſsitatibus Deo Patri offerebant. Sed in exordio naſcentis Eccleſiæ non tam vocali, quàm mentali oblatione vtebantur: Quiuis namque ſeorſim iuxta ſuam fidem, & deuotionem Chriſtum offerebat. Neque enim opus eſt, vt ſacrificium verbis fiat, ſed dummodò res quæ offertur, ſit viſibilis, ſufficit, quòd oblatio ſolâ mente fiat, etiam in vero & proprio ſacrificio. Deus enim, cui ſoli offertur ſacrificium: *Scrutatur corda,*

Apoc. 2. v. 23.

corda, & renes: nec vocis, ſed cordis auditor eſt, vt poſt Tertullianum loquitur S. Cyprianus. Hinc videmus in Moſaica lege, res quæ offerri debebant, viſibiles fuiſſe, & in ſpecie à Domino deſignatas eſſe: de verbis tamen, quibus vti deberent Sacerdotes, nihil præſcriptum legimus, niſi quòd in genere aliquando dicatur; Orabit pro ipſo Sacerdos. Verùm quibuſnam verbis vti deberet Sacerdos; & an voce, an tantùm mente orare, præſcriptum eſſe non legimus.

Tertull in lib de oratione.
S. Cyp. de oratione Dominica, in principio.

XVI. Cùm igitur in principio naſcentis Eccleſiæ quiuis Chriſtianus, qui hoc ſacro myſterio intererat, iuxta ſuam peculiarem deuotionem & pietatem Chriſti corpus & ſanguinem offerret; nec alia vocali oratione vterentur publicè omnes Chriſtiani, quàm oratione Dominica, vt iam ex S. Gregorio diximus, Apoſtoli Spiritu Sancto inſpirati ſatius eſſe iudicarunt, vt vna generalis, fixa atque ſtabilis regula præſcriberetur, qua vterentur publicè miniſtri Eccleſiæ, tùm nomine ſuo, tùm totius Eccleſiæ, vt hac ratione omnes Chriſtiani eadem orationis & oblationis forma vterentur in publico hoc miniſterio: quod proinde non ſolâ mente, ſed etiam certis, & definitis verbis fieri mādarunt. Id quod Apoſtolos feciſſe etiam ex epiſtola priore ad Corinthios cap. 11. rectè colligit S. Auguſtinus. Nam cùm Apoſtolus primò quidem adduxiſſet ipſa Chriſti verba, quę ipſe in cœna dixit, quibus conſtat ſubſtantia oblationis ipſius Chriſti, poſtea de oblatione Eccleſiæ, cæteriſque cæremonijs oblationi Eccleſiæ adiunctis: *Statim ſubtexuit; Cætera autem, cùm venero, ordinabo: Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in Epiſtola illa totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem vniuerſum per orbem ſeruat Eccleſia,*

S. Greg. lib. 7. Epiſt. 63.
Auguſt. to. 2. Epiſt 118. ad Ianuarium c. 6.

Digitized by Google

ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur. Ita S. Auguſtinus.

XVII. Porrò hæc tàm Sacerdotum, quàm populi, atque adeò totius Eccleſiæ oblatio declaratur in ipſo Canone Miſſæ, cùm ante conſecrationem dicit Sacerdos; *Pro quibus tibi offerimus*, quod nomine ipſius Sacerdotis dicitur: *vel qui tibi offerunt*, quod dicitur nomine totius populi. Et clariùs ſtatim poſt conſecrationem, & oblationem ipſius Chriſti, cùm dicit Sacerdos; *Vnde & memores, Domine, nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta, &c. offerimus præclaræ Maieſtati tuæ:* Vbi expreſsè dicitur, quòd tàm Sacerdotes, (qui in primitiua Eccleſia ſæpè plures aderant, Epiſcopo præſertim ſacrificante) quàm plebs ipſa offerat hoc Eccleſiæ ſacrificium: Neque id mirum, nam, cùm nomine totius Eccleſiæ offeratur, plebs ſancta huius Eccleſiæ pars eſt non exigua.

Vide S. Dionyſium Areopag. de Eccleſiaſt. Hierarch. c.3.

XVIII. Et quia in priori Chriſti ipſius ſacrificio nulla poteſt eſſe culpa, ſiue ex parte rei oblatæ, ſiue ex parte offerentis; hinc eſt, quòd pro iſta Chriſti oblatione nulla fiat oratio, aut deprecatio ad Deum: Sed Chriſti præcepto, *Hoc facite, &c.* excuſat & purgat ſe Sacerdos, quòd tantum & tàm ſublime myſterium, quod ipſius dignitatem ſuperat, auſus ſit aggredi, vt benè docet S. Dionyſius Areopagita. At verò in ſacrificio, quod à Sacerdotibus & populo offertur, poteſt intercedere culpa, & negligentia, non quidem ex parte rei oblatæ, corporis nempe & ſanguinis Chriſti, quæ non poſſunt non placere Deo, ſed ex parte offerentium, Sacerdotum aut Laicorum: *Pauperes quidem ſpiritu* (inquit ſanctus Cyprianus) *ad hoc myſterium eligit, & deligit Spiritus Sanctus: & eorum, qui pompaticè & glorioſè ſacris ſe altaribus ingerunt,*

Luc. 22. v. 19.

S. Dionyſius loco cit.

S. Cypr. ſer. de Cœna Domini.

ingerunt, obſequia deteſtatur. Et paucis interiectis: *In his omnibus laborare ſe dicit Deus, nec eſſe voluntatem ſuam in miniſtris impuris, indignatione diſtricta teſtatur*, per Malachiam nimirum Prophetam. Cùm igitur in hac Eccleſiæ oblatione oriri poſsit grauis culpa, aut negligentia, meritò cùm de ſecunda hac oblatione agitur, interponuntur orationes, quibus petimus à Deo, vt acceptabile illi fiat ſacrificium hoc Eccleſiæ, & plebis, ſicut fuerunt ei olim valdè grata, & acceptabilia ſacrificia Abelis, Abrahæ, & Melchiſedech. *Malach. c. 1. v. 10. & c. 2. v. vlt.*

Precamur præterea, vt preces & orationes Sacerdotum & populi, quibus offeruntur corpus & ſanguis Christi, Deo perferantur per manus Angeli in ſublime altare, quod eſt in conſpectu diuinæ Maieſtatis. Quæ tota oratio ad verbum deſumpta eſt ex illis S. Ioannis verbis: *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* His igitur verbis ſacri Canonis nil aliud poſtulamus, quàm vt oblatio hæc corporis & ſanguinis Christi, quam offert Eccleſia, non priuetur ſuo fructu propter indignitatem, aut peccata offerentium, ſed vt illa adeò ſit grata Deo: *vt quotquot ex hoc ſacrificio participant*, (ſiue ſacramentaliter, ſiue ſpiritualiter) *omni benedictione cæleſti, & gratiâ repleantur*. Sed Aduerſarij dum neſciunt diſtinguere inter ſacrificiũ Chriſti, & ſacrificium Eccleſię, illa quæ dicuntur de ſolo Eccleſię ſacrificio, imperitè interpretãtur

XIX. *Apoc. 8. v. 3. & 4.*

Y 2 de

de Sacrificio ipſius Chriſti. Denique ambas has duas orationes, quas reprehendunt Aduerſarij, non eſſe recèns à nobis inuentas, ſed ante mille ducentos annos in Latina Miſſa eodem modo fuiſſe recitatas, teſtatur S. Ambroſius.

S. Ambr. l. 4. de Sacramentis c 6.

XX. Cætera quæ reprehendunt Aduerſarij, leuiora ſunt. Verbi gratia, quòd in Canone dicatur, quòd *Deus non ſit æſtimator meriti*, cùm nihilominus aſſeramus Deum magni æſtimare merita bonorum operum. Sed animaduertere debuiſſent Aduerſarij, quòd iſtud non dicatur de bonis meritis, ſed de malis, quæ Deus pœnitentibus gratis remittit. Id quod integrà verba ſatis indicant, nempe, *Non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor*. Mala enim merita noſtra non æſtimat Deus, quando pœnitentibus veniam largitur. Eſſe autem tàm mala, quàm bona merita, probat illud, quod S. Auguſtinus ſcribit: *S. Paulum poſt bona merita conſecutum coronam, qui poſt multa mala merita conſecutus eſt gratiam*. Aduerſarij autem illud, quod de malis meritis dicitur, ad bona merita non rectè detorquent.

S. Aug. To. 7. de gratia & lib. Arb. c.6.

XXI. Nec abſimile eſt, quod obijciunt Sacerdotem in fine Canonis, ante orationem Dominicã, aſſerere, quòd Deus per Chriſtum creet, ſanctificet, viuificet, benedicat, & præſtet nobis hæc ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti. Verùm hæc de integris ſacramentis dicuntur, quæ conſtant ex inuiſibilibus corpore & ſanguine Chriſti, & ex viſibilibus ſpeciebus panis & vini: Nam expreſsè ibidem dicitur; *Hæc omnia ſemper bona*. Et quidem, quod ſpectat ad partes viſibiles ſacramenti, non eſt in his verbis vlla difficultas: Deus enim iſtas viſibiles creaturas primò per Chriſtum creauit: *Omnia enim per ipſum facta ſunt*, teſte S. Ioanne.

Ioan. 1. v. 3.

Secun-

Secundò ſanctificauit illas, dum eas ad tam diuinum myſterium deputauit. Tertiò illas viuificauit,dum illis adiunxit reipſâ Chriſtum , veram vitam animæ noſtræ,iuxta illa Chriſti verba:*Ego ſum via,veritas,& vita.* Quartò , illas benedixit, cùm eas conſecrauit . Deniq; illas præſtat nobis; cùm cõmunicamus. Et ita de viſibilibus his ſignis interpretati ſunt iſta verba ante octingentos annos Alcuinus & Amalarius.

Ioan.14. v 6.

Alcuinus de diuinis officijs, c.39. quod inſcribitur de celebrat. Miſſa. Amalar. lib. 3. de Eccleſiaſt. officijs, c.26. ſub finem.

Sed quia S. Cyprianus (aut certè Pater aliquis ſanctus & eruditus, qui S. Cypriani ætate ſcripſit ad S.Cornelium Papam,ad quem varias etiam Epiſtolas dedit S. Cyprianus) hæc eadem verba in ſermone illo de cœna Domini interpretatur de ipſo corpore Chriſti : etiam verba iſta rectè intelligi poſſe de ipſo Chriſti corpore ita oſtendimus: Verba illius Patris , cùm de Chriſto loquitur,ſunt iſta : *Qui vſque hodie hoc veraciſſimum , & ſanctiſſimum corpus ſuum creat,& ſanctificat,& benedicit,& piè ſumentibus diuidit.* Ex quibus facilè cognoſcitur , quàm ſit antiquus iſte Canon Miſſæ, cùm ex verbis illius tanquam fide digniſsimis,& ab omnibus receptis argumentum certiſsimum ſumat auctor iſte,qui ſcripſit ante mille trecentos & quinquaginta annos.

XXII.

Ser. de Cœna Domini, apud S. Cyprianum.

XXIII.

Scribit itaque primò Chriſtum *vſque hodie corpus ſuum veraciſſimum creare.* Hoc eſt , dum ipſe vt ſummus, & præcipuus ſacerdos conſecrat,& conficit hoc ſacramentum,nouum,ſpiritualem & inuiſibilem modum exiſtendi conferre ſuo corpori. Nam creare in ipſis ſacris literis non tantùm ſignificat ex nihilo aliquid facere,aut totam rem nouam efficere;ſed etiam rem anteà exiſtentẽ renouare,immutare,aut in aliam formam & figurã

 con-

Pſal.50.v.12. conſtituere. Sic dicitur *Deus cor mundum in nobis creare:* Sic dicitur *populus, qui à Deo ſanctificatur, creari:* Sic dicuntur omnia creari, quæ à Spiritu Dei immutantur,& renouantur. Ad eundem modum loquitur Apoſtolus, cùm ad Epheſios ſcribit, *Iuſtificatos eſſe creatos in Chriſto Ieſu*, hoc eſt, per Chriſtum Ieſum: Et rurſus: *Nouum hominem ſecundùm Deum creari in iuſtitia, & ſanctitate veritatis,* hoc eſt, nouum hominem coram Deo renouari per iuſtitiam & ſanctitatem veram. Rectè igitur dicit ſanctus iſte Pater CHRISTVM vſque hodie creare ſuum corpus, cùm illud innouat, & nouum atque diuinum modum exiſtendi illi tribuit vi conſecrationis ſacramentalis. Eodem modo intelligendum eſt & illud, quod ex S Auguſtino refert Gratianus; Corpus Chriſti verbis Chriſti creari.

Pſal.101. v.19. Pſal.103. v.30. Ad Eph.2. v.10. Ad Epheſ. 4.v.24.

De conſecratione diſt. 2. can. 72. vtrum ſub figura in fine.

XXIV. Secundò dicit *Chriſtum corpus ſuum ſanctificare,* hoc eſt, offerre & ſacrificare pro nobis: Ita .n. loquitur ipſe Chriſtus Dominus noſter apud S. Ioannem, cùm dicit in Oratione, quam paulò ante paſſionem habet ad ſuum Patrem: *Pro eis* (nempe diſcipulis) *ego ſanctifico meipſum,* hoc eſt, offero & ſacrifico. Quemadmodum enim Chriſtus in paſſione ſua ſanctificauit, & obtulit ſeipſum pro nobis ſemel cruento modo: ita quotidie in ſacrificio Miſſæ offert ſeipſum pro nobis incruento modo. Quare veriſsimè ſcribit Pater iſte Sanctus Chriſtum vſque hodie corpus ſuum ſanctificare, id eſt, ſacrificare.

Ioan.17. v.19.

XXV. Tertiò dicit *Chriſtum corpus ſuum benedicere.* Verbum hoc, *benedicere*, quando in Scriptura ſacra Deo, aut Chriſto tribuitur, ſignificat beneſacere, aut bona dare, augere & multiplicare. Sic dicitur *Dominus benedixiſſe nouiſsimis Iob, magis*

Iob vlt. v.12.

quàm

quàm principio eius: hoc eſt, plura dedit ei, quàm anteà habuerat. Sic dicit Apoſtolus, *Deum benedixiſſe nos omni benedictione ſpirituali*, quia dat nobis omnia dona ſpiritualia. Ad eundem modum Chriſtus rectè dicitur benedicere corpus ſuum in hoc myſtico ſacrificio: Nam ipſe CHRISTVS, quatenus eſt Sacerdos, qui offert ſuum corpus, magnam vim & efficaciam donat corpori ſuo, nimirum vt ſit pura illa hoſtia, quæ diſplicere Deo non poſsit, de qua loquitur Malachias Propheta, vt ſuprà probauimus. Enimuerò cùm ex vna parte hoſtia ipſa ſit puriſsima;& ex alia parte CHRISTVS Sacerdos, qui offert, non poſsit non eſſe puriſsimus, hæc hoſtia adeò erit pura, vt nulla ex parte impura reddi poſsit: idque accipit corpus CHRISTI, tanquam ſingularem benedictionem, ex ipſo CHRISTO offerente. Nam alioqui quæcunque hoſtia, quantumuis ex ſe ſacra, peccatis offerentium fœdari poteſt, & fieri Deo ingrata. Imò quò ſanctior eſt ipſa hoſtia, eò grauiùs DEVM offendit, qui eam non veretur Deo offerre irreuerenter, & indignè. Rectè igitur dicitur Chriſtus corpus ſuum benedicere, qui ſuâ præſentiâ inuiſibili tam excellens donum ſuo largitur corpori, vt illud non poſsit non eſſe DEO hoſtia gratiſsima, ſiue ex parte ipſius hoſtiæ, ſiue ex parte offerentis.

Ad Epheſ. 1. v. 3.

Cap. 4. huius contr. §. 25. & ſeqq.

XXVI. Quartò dicit Sanctus ille Pater, quòd CHRISTVS *piè ſumentibus diuidat ſuum corpus*. Nam quemadmodum in nouiſsima cœna Chriſtus ipſe fuit, qui ſuum corpus ex pane fecit, creauit, conſecrauit,& diſtribuit Apoſtolis: ita adhuc quotidie omnia hęc façit in ſacrificio hoc ſuo incruéto: niſi quòd in cœna hęc viſibiliter peregerit. In noſtro ſacrificio inuiſibiliter. Hinc illa præclara S.

Digitized by Google

S. Chryſ. ſer. de proditione Iudæ. non procul à fine.
S Chryſ. hom 8. in Matt.

Chryſoſtomi verba, cùm de hoc ſacrificio loquitur: *Nunc ille præſtò eſt Chriſtus, qui illam ornauit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione menſæ Domini corpus Chriſti facit & ſanguinem: ſed ille, qui crucifixus eſt pro nobis, Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia.* Et alio in loco: *Non ſunt humanæ virtutes opera hæc, quæ proponuntur: qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoq; facit, nos miniſtrorum tenemus locum: qui verò ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt.* Ita S. Chryſoſtomus de conſecratione, oblatione, & benedictione corporis & ſanguinis Domini. De diſtributione verò hunc in modum: *Verùm & tu Laice, cùm Sacerdotẽ videris offerentem, ne vt Sacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.*

S. Chryſ. ho eadem paulò poſt.

Loquitur autem S. Chryſoſtomus Scripturarum ſacrarum more, quæ ſæpè dicunt, illum non facere, qui principaliter & præcipuè non facit, & illũ duntaxat facere, qui eſt principalis cauſa, vt cùm dicit ipſe Saluator noſter Chriſtus ad Apoſtolos: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis,* hoc eſt, vos non tantùm eſtis, qui loquimini, ſed etiam Spiritus ſanctus, qui eſt principalis cauſa eorum, quæ vos dicitis. Sic S. Chryſoſtomus dicit Laicum non debere putare Sacerdotem ſolum ei Euchariſtiam porrigere, ſed Chriſtum ipſum, vt principalem & præcipuam cauſam.

Matt. 10. v. 20.

XXVII. In Canone Miſſæ additur & aliud verbum, nẽpe, *viuificat*, (neque enim ſolent Patres, cùm ipſa Scripturarum verba adferunt, omnia ad verbum referre) hoc autem verbum ſiue referatur ad ſpecies viſibiles panis & vini, ſiue ad corpus & ſanguinem Chriſti, quæ ſunt inuiſibilia, nullam habet

Digitized by Google

habet difficultatem. Nam viuificare iuxta Scripturas, & phraſim Hebraicam, non tantùm ſignificat dare vitam, ſed etiam cuiuſuis rei exiſtentiam efficere, conſeruare & inſtaurare, ſiue res illa animata ſit, ſiue inanimata: Ea eſt enim ſignificatio verbi חיה Chaia. Sic vbi nos habemus in vulgata editione; *Ioab reliqua vrbis extruxit*, Hebraicè ad verbum ita habetur; *Ioab viuificauit reſiduum vrbis.* Et alibi, vbi Latinè habemus, *Nunquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris?* Hebraicè ad verbum ita eſt, Nunquid viuificabunt lapides de aceruis pulueris? Et multò magis locum habet iſta ſignificatio verbi חיה Chaia, cùm illud Deo attribuitur: Deus enim dicitur *omnia viuificare, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt*, quia omnia conſeruat. Cùm igitur Deus in ſacris literis dicatur omnia viuificare, rectè dicitur tam ſpecies panis & vini, quàm corpus & ſanguinem Chriſti viuificare, hoc eſt, conſeruare.

1. Paral. 11. v. 8. *2. Eſdr. 4. v. 2.* *2. Eſdr. 9. v. 6.* *1. ad Tim. 6. v. 13.*

XXVIII. Sed quia S. Petrus auctor Canonis Miſſæ (S. Iſidoro teſte) natione Hebræus, non paucis Hebraicis phraſibus in eo conſcribendo vſus eſt, valde probabile eſt, illum, cùm dixit, *Deum per Chriſtum viuificare hoc Sacramentum*, voluiſſe ſignificare, Deum per Chriſtum efficere, vt hoc Sacramentum alios viuificet, vitamque alijs præſtet, iuxta illa Chriſti verba; *Si quis manducarit ex hoc pane, viuet in æternum*: Et, *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*: Item, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Nam iuxta phraſim Hebraicam, ſicut verbum חיה Chaia in prima coniugatione (quam vocant Paal ſeu Cal) ſignificat viuere, & in ſecunda coniugatione, nempe Piel, atque in tertia Hiphil, ſignificat viuificare, ſeu vitam alteri dare, aut conſeruare: ita in vltima coniuga-

S. Iſidor. lib. 1. c. 15. de Eccleſiaſt. offic. *Ioan. 6. v. 52. 58. & 59.*

Digitized by Google

tione Hithpael (quæ omnium Hebræorum conſenſu transfert actionem in tertiam perſonam, vt Hiphil in ſecundam) ſignificat facere alium, vel aliud viuificare. Quare Deum viuificare hoc Sacramentum, eſt Deum efficere, vt illud alios viuificet. Atque in hunc ſenſum ante octingentos annos interpretatus eſt iſta verba Alcuinus, cùm ait; *Deus viuificat ea, vt ſint myſteria vitæ*, hoc eſt, vitam conferentia. Et poſt Alcuinum Remigius Antiſſiodorenſis. Nec refert, quòd in Biblijs non legatur hoc verbum חיה Chaia in vltima coniugatione: nam regula eſt apud Hebræos recepta, quòd quando verbum aliquod inuenitur in Scriptura, vel in vna coniugatione, inde formari poſſint & cæteræ coniugationes. Porrò verbum hoc in ipſa Scriptura expreſsè inuenitur non tantùm in vna, ſed in tribus coniugationibus, nempe in 1.2.& 3. idque non ſemel: quare dubitandum non eſt, quin ex his rectè formari poſſit 4. ſeu vltima coniugatio: in qua vſus eſt hoc verbo S. Petrus iuxta Hebraicam phraſin. Quare Deum per Chriſtum hoc ſacrificium viuificare, nihil aliud eſt, quàm Deum efficere, vt illud det alijs vitam, & ſalutem æternam.

Alcuinus de diuinis offic. c. 39. quod inſcribitur de celebr. Miſſæ. Remigius de celebr. Miſſæ. Extat in fi. to. 6. Biblioth. SS. Patrũ.

XXIX. Tandem contra Canonem obijciunt aduerſarij, quòd ille non fuerit compoſitus à S. Petro, vt nos aſſerimus poſt ſanctum Iſidorum, ſed à quodam Scholaſtico homine obſcuro, idque paulò ante tempora ſancti Gregorij, vt teſtatur ipſe S. Gregorius. Deinde Canonem hunc diuerſis temporibus, & ab auctoribus diuerſis confectum eſſe, vt ipſi Scriptores Catholici teſtantur. Reſpondeo inprimis, quod ad antiquitatem Canonis attinet, etiamſi ille compoſitus non fuiſſet, niſi paulò ante

S. Greg. lib. 7. epiſt. 63.

Digitized by Google

te S. Gregorium, tamen non proinde cenſeri deberet paruæ auctoritatis aut antiquitatis, cùm iã effluxerint plures, quàm mille anni à morte S. Gregorij, qui anno Chriſti ſexcenteſimo quarto vitam cum morte commutauit. Certè tam antiquum celebrandi modũ non habent aduerſarij. Sed neque facilè reijciendum eſt illud, quod ampliùs, quàm mille annis ab vniuerſa Latina Eccleſia in tanta veneratione habitum eſt.

Deinde falſum omninò eſt, quod illi pro certo aſſumunt, imò ne veriſimile quidem. Neque enim veriſimile eſt S. Gregorium ſcripſiſſe Canonem Miſſæ à quodam Scholaſtico paulò ante ſua tempora conſcriptum eſſe, cùm ſanctus Iſidorus, qui eadem ætate vixit, imò qui viuente adhuc ſancto Gregorio factus fuerit Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Primas totius Hiſpaniæ (nempe anno Domini 596.) ſcripſerit, Canonem non tantùm ab ipſo S. Petro eſſe compoſitum, ſed etiam, quia à Beato Petro Apoſtolo compoſitus fuerit, eius ordinem & celebrationem vno eodẽque modo vniuerſum orbem peragere. Quod etiam ante illum ſcripſit ſanctus Auguſtinus. XXX.

Iſidor. de officijs Eccleſiaſt. lib. 1. c. 15.
S. Aug. to. 2. epiſt. 118. ad Ianuarium c. 6. Verba S. Aug. ſuprà adduximus §. 16. huius cap.

Verùm error aduerſariorum inde ortus eſt, quòd verba S. Gregorij non ſatis perpenderint. Nam quando loquitur de prece, quam Scholaſticus ille compoſuerat, non loquitur de ipſo Canone, ſed de prece, quæ diu ante Canonem dicitur ſuper oblata, ſeu oblationem, quæ iam vocatur *ſecreta* (quòd ſecretò dicatur;) nã ſtatim poſt primam oblationem panis & vini illa vocantur oblata, & accipiunt nomen oblationis & ſacrificij, iuxta Hebræam phraſim, de qua ſuprà. Atq; hinc eſt, quòd mox poſt primam oblationẽ panis & vini Sacerdos ita oret: *Suſcipe, ſancta Trinitas,* XXXI.

Vide ſuprà hac contr. c. 8. §. 2. & 3.

tas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Ieſu CHRISTI *Domini noſtri*, &c. Et oratio, quæ poſtea dicitur ſuper panem & vinum iam oblatum, vocatur oratio ſuper oblata aut ſuper oblationem, quæ & Secreta vocatur. Hoc euidenter conſtat ex libro Sacramentorũ S. Gregorij, cuius meminit VValafridus de rebus Eccleſiaſt. c. 22. & qui adhuc extat apud Iacobum Pamelium, tom. 2. Liturgicon Eccleſiæ Latinæ. Idem conſtat ex Alcuino (qui hanc orationem vocat Collectam ſuper oblata) & ex Amalario. Dicit ergo S. Gregorius, quòd ſi recitamus precem à Scholaſtico compoſitam ſuper oblationem, potiori ratione debeamus orationem, quam ipſe Chriſtus compoſuit, dicere ſuper eius corpus & ſanguinem. Verba S. Gregorij ſunt iſta: *Et valdè mihi inconueniens viſum eſt, vt precem, quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinem non diceremus.* Quibus in verbis apertè diſtinguit ſanctus Gregorius inter precem, quæ dicitur ſuper oblationem, & ea, quæ dicuntur ſuper corpus & ſanguinem Chriſti: Illam dicit à Scholaſtico compoſitam, ſed non iſta. Verùm aduerſarij confundunt oblata cum corpore & ſanguine Chriſti, quæ confundi non debent. Nam oblata ſeu oblatio vocantur panis & vinum hoc ipſo, quòd Deo offeruntur in conſecrationem, diu antequã conſecrentur in corpus & ſanguinẽ Chriſti, vt ſuprà oſtẽdimꝰ: & paucis repetere nõ tędebit.

Alcuinus de diuinis officijs, c. 39. de celebr. Miſſ. Amalar. lib. 3 de Eccleſ. offic. c. 20.

S. Greg. lib. 7. epiſt. 63.

Suprà c. 8. huius cont. §. 2. & 3.

XXXII. Quemadmodum enim in veteri Teſtamento animalia vocabantur oblata, ſeu oblationes ex ipſo, quo adducebantur ad oſtium tabernaculi, antequam effunderetur eorum ſanguis: ita nunc panis

panis & vinum accipiunt nomen oblatorum, ſeu oblationis eo ipſo, quo primùm dedicantur ad materiam huius ſacrificij incruenti: Eſtque modus iſte loquendi valdè vſitatus in veteri Teſtamento, & inde ad noſtrum ſacrificium traductus. Ad hunc enim modum ſæpè dicuntur illi, qui nō erant Sacerdotes, offerre oblationem ſeu ſacrificium, quia adducebant animalia ad oſtiū tabernaculi, vt illa à Sacerdotibus immolarentur. Sic eo ipſo, quo panis & vinum dedicantur ad conſecrationem corporis & ſanguinis Domini, dicuntur oblata, & oblationes, imò & ſacrificia, vt cùm dicit Sacerdos in offertorio diu ante conſecrationem; *Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum.*

Leuit 3. v. 1. Sic Leuit. 4. 5. 6. & Num. 28. & alibi frequenter.

Facit quidem S. Gregorius mentionem Canonis Miſſæ in principio eiuſdem epiſtolæ (quod fortè nonnullos decepit;) ſed ibi non loquitur de prece à Scholaſtico compoſita, ſed de oratione Dominica, quam affirmat mox poſt Canonem dici, & dici ſuper corpus Chriſti & ſanguinem. (quēadmodum & hodie fieri videmus) At verò cùm loquitur de prece à Scholaſtico compoſita, affirmat illam dici ſuper oblationem, non autem ſuper corpus & ſanguinē Chriſti: oblatio autem eſt panis & vinum, quæ præcedit conſecrationem, vt diximus. XXXIII.

Porrò Scholaſticus iſte, de quo loquitur S. Gregorius, videtur fuiſſe vir quidam Eccleſiaſticus in doctrina excellens, cuius opera vſus fuerat S. Gelaſius Papa (qui non diu præceſſit S. Gregorium) in colligendis & componendis orationibus illis offertorij, quæ præcedunt conſecrationem & Canonem: cognomen enim Scholaſtici olim attributum fuiſſe illis, qui excellenti erant ingenio, XXXIV.

nio,teſtatur illud,quod de S. Serapione Epiſcopo(qui contra Arrianos egregiè certauit) ſcribit ſanctus Hieronymus: *Serapion*(inquit)*ob elegantiã ingenij cognomen Scholaſtici meruit.* Sanctus enim Papa Gelaſius dicitur compoſuiſſe, & in certum ordinem reduxiſſe,tam præfationes Miſſæ,quàm orationes omnes(quas collectas vocabãt,)quę dicuntur in Miſſa,ſiue ante,ſiue poſt Euangelium: Ita Pontificale Romanum in vita ſancti Gelaſij, & ex eo Alcuinus,VValafridus, & alij poſteriores.

S.Hier de Script.Eccleſ.in Serapione. Pontif. Rõ. in vita S. Gelaſij. Alcuin c. 39.cit.cùm agit de præfationibus Miſſæ. VValafrid. c.22.de reb. Eccleſ.

XXXV. Non deſunt Scriptores aliqui Catholici, qui putant S.Gregorium loqui de orationibus, quæ iam dicuntur in Miſſa poſt *Agnus Dei*,ante Communionem Sacerdotis.Sed(vt omittamus, quòd hi confundant oblationem non conſecratam cũ corpore & ſanguine Domini)ſatis conſtat illas orationes fuiſſe additas multis annis poſt mortem ſancti Gregorij. Nam illarum non meminit Alcuinus,non Amalarius,non VValafridus, qui omnes dicunt,mox poſt *Agnus Dei* Sacerdotem ſolitum eſſe communicare.Imò Micrologus, qui ſcripſit tempore Gregorij VII.quadringentis & ampliùs annis poſt ſanctum Gregorium Primũ, dicit ſuo tempore has orationes recitari non ex præcepto & ordinatione Eccleſiæ,ſed tantùm ex deuotione Religioſorum. De hoc loco S.Gregorij paulò fuſiùs egimus, quòd ille diuerſis modis à diuerſis explicetur.

Alcuin.c. 39.cit. Amalar. lib.3.c.3. VValafrid. c.22.cit. Microl.c. 18.de Eccleſiaſt.obſeruationibus.

XXXVI. Iam quod poſteriori loco obijciunt aduerſarij,Canonem Miſſæ à diuerſis auctoribus, atque diuerſis temporibus confectum eſſe, ſi quid firmitatis,aut roboris haberet, etiam ipſis ſacris literis fidem derogaret. Nam & libri ſacræ Scripturæ à diuerſis auctoribus,diuerſiſque temporibus

bus conſcripti ſunt. Sed quemadmodum illi nihilominus ſacri ſunt, & ab omnibus recipiendi, quòd vnus & idem fuerit omnium principalis, & præcipuus auctor, nempe Spiritus ſanctus, qui errare non poteſt. Ad eundem planè modum, etſi varij fuerunt, qui cæremonias Miſſæ compoſuerunt, vnus tamen fuit omnium principalis & præcipuus auctor, ipſe nimirum Spiritus ſanctus, *à quo ſemper gubernatur Eccleſia, & qui eam docet omnem veritatem.* Quare non multum intereſt, à quo homine inſtitutæ ſint hæ cæremoniæ, cùm omnes inſtitutæ ſint & receptę à Catholica Eccleſia, & conſequenter ab ipſo Spiritu S. *Ioan. 14. v. 16.* *Ioan. 16. v. 13.*

XXXVII.

Adhæc, cùm cæremonia aliqua, aut oratio, quæ in Miſſa recitatur, dicitur à Catholicis ſcriptoribus inſtituta ab hoc vel illo ſummo Pontifice, non eſt id ita ſemper intelligendum, quaſi ſummus ille Pontifex fuerit primus auctor & inſtitutor illius; ſed quòd fuerit reſtaurator, aut certè primus, qui de ea retinenda expreſſum Canonem ediderit. Sic in vitis Pontificum Romanorum (quæ ſancto Damaſo tribuuntur) dicitur, quòd Alexander Papa Primus inſtituit, quòd panis tantùm, & vinum aqua mixtum aſſumerentur pro materia Sacramenti Euchariſtiæ: Quòd Pius Primus inſtituerit, vt Iudæi conuerſi baptizarentur: Quòd Victor Primus inſtituerit, vt in quauis aqua naturali fieri poſſit Baptiſmus in neceſſitate: Quòd Innocentius Primus inſtituerit, vt infantes, qui naſcuntur ex Chriſtianis parentibus, baptizarentur: quæ omnia conſtat ab ipſo Chriſto Domino conſtituta fuiſſe. Eodem modo de alijs pleriſque cæremonijs, & precibus Miſſæ loquuntur veteres Scriptores ſæpiſſimè.

Atque

Digitized by Google

XXXVIII. Atque hæc de ſacrificio & cæremonijs Miſſæ pro Epitomes breuitate dicta ſufficiunt. Qui plura deſiderat, conſulere poterit Bellarminum, qui duobus integris libris de his vberiùs agit; & Coccium tomo ſecundo, libro ſexto, ab articulo quarto vſque ad finem libri.

FINIS TERTII TOMI.

Digitized by Google